# Enchiridion Liturgicum

in usum

## Clericorum et Sacerdotum

in sacris functionibus.

Ex libris liturgicis
S. Rituum Congregationis decretis
et probatis auctoribus

collegit

**JOSEPHUS ERKER,**

**Consistorii episcopalis consiliarius, direct. spiritualis Seminarii clericalis Labacensis.**

*Lucra dabuntur orphanis sublevandis.*

LABACI.

Sumptibus Auctoris. Venumdatur in Libraria catholica Labaci in Austria.

Literis Typographiae catholicae.

1896.

*N. 1897.*

*Rev. Domino* ***Josepho Erker,*** *Consiliario Consistoriali et Directori Spirituali in dioecesano Seminario clericali*

*Labaci.*

»Enchiridion Liturgicum«, multa cum sollertia et diligentia a Te compositum, non probamus tantum imprimique permittimus, sed pro merito laudamus etiam universoque Clero Nostro summopere commendamus, desiderantes quam quod maxime, ut sancta sancte, proindeque semper debita cum observantia et obedientia erga ea omnia tractentur, quae S. M. Ecclesia pari cum sapientia ac pietate pro cultu divino rite obeundo praescripsit.

Datum ex Curia Nostra Pr. Episcopali

Labaci, die 16. Julii 1896.

(L. S.)

† Jacobus m. p.
Eppus.

# Praefatio.

Ut ea, quae ad sacrum altaris ministerium rite decenterque obeundum tam Clericis quam Sacerdotibus scitu necessaria sunt, quaeque in libris liturgicis et apud diversos auctores dispersa reperiuntur, Compendio comprehendantur, hocce opusculum concinnandum putabamus.

In quo exarando principia quaedam generalia statuere juvabat, partim ut doctrina proposita facilius memoria teneatur, partim ut ejusdem ad similes casus expeditior fiat applicatio. Regulas igitur certas capitibus nonnullis adjunximus, praemisimus aliis.

Totum opus in quatuor divisimus sectiones, in quarum prima agitur de quibusdam caeremoniis fundamentalibus occurrentibus in sacris functionibus, in secunda de officiis Ministrorum inferiorum, in tertia de officiis Ministrorum sacrorum, in quarta denique de ipso Celebrante. Quum vero, uti patet, officia quaedam Celebrantis et Ministrorum ita invicem cohaereant, ut neque explanari separatim facile potuerint, factum est, ut quaedam ad secundam et tertiam sectionem pertinentia in sectione quarta occurrant.

Fontes, ex quibus hausimus, genuinos vocare licet omnino. Sunt etenim libri liturgici: Missale, Caeremoniale Episcoporum, Rituale; deinde S. Rituum Congregationis decreta; sunt denique auctores in Liturgicis

optimae notae et probatissimi, tum antiquiores: Gavantus, Merati, Cavalieri, Gardellini, tum recentiores: Baldeschi, Martinucci, Carpo, Herdt, Schober aliique.

Ceterum totum opus Ecclesiae judicio humiliter submittimus et si quid, lector benevole, in eo negligentius scriptum deprehenderis, id culpae des nostrae et memor imbecillitatis humanae benigne indulgeas. Quidquid vero ad cultum divinum promovendum aptum in eo inveneris, opitulanti gratiae Dei tribuas ac Divo Numini nobiscum gratias agas. Vale et memento nostri ad altare!

Labaci, in festo pretiosissimi Sanguinis D. N. Jesu Christi 1896.

*Auctor.*

# INDEX.

## Sectio prima.

### Instructio praeliminaris.

#### Tractatus I.

De quibusdam caeremoniis fundamentalibus occurrentibus in sacris functionibus.


Pag.

*Caput I.* De crucis formatione et manuum junctione . . 1
*Caput II.* De Reverentiis . . . . . . . . . . . . . . 3
A. De Inclinationibus . . . . . . . . . . . . 3
B. De Genuflexionibus . . . . . . . . . . 4
*Caput III.* De Birreto ejusque usu . . . . . . . . . . 8


#### Tractatus II.

De diebus liturgicis.


*Caput I.* Observationes praeviae . . . . . . . . . . 10
*Caput II.* De Feria et Dominica . . . . . . . . . . 16
*Caput III.* De Festis . . . . . . . . . . . . . . . 18
*Caput IV.* De Vigilia et Octava . . . . . . . . . . 21


#### Tractatus III.

De Choro.


*Caput I.* De disciplina in choro servanda . . . . . . 24
*Caput II.* De modo standi, genuflectendi et sedendi in choro infra Missam solemnem . . . . . . . . . . 27


## Sectio secunda.

### De Ministris inferioribus.


*Caput I.* Regulae generales . . . . . . . . . . . 31
*Caput II.* De Crucifero . . . . . . . . . . . . . 34

Pag.
*Caput III.* De Ceroferariis . . . . . . . . . . . . . 35
§ 1. Regulae . . . . . . . . . . . . . . 35
§ 2. De officio Ceroferariorum in Missa solemni 37
§ 3. De officio Ceroferariorum in Missis pro defunctis . . . . . . . . . . . . . . . 42
§ 4. De officio intortitia ferentium . . . . . 43
*Caput IV.* De Ministro de gremiali et de Syrmifero . . . 45
*Caput V.* De Ministro de libro . . . . . . . . . . . 46
*Caput VI.* De Ministro de bugia . . . . . . . . . 48
*Caput VII.* De Ministro de mitra . . . . . . . . . . . 48
*Caput VIII.* De Ministro de baculo . . . . . . . . . 50
*Caput IX.* De Thuriferario . . . . . . . . . . . . 51
*Caput X.* De Caeremoniario . . . . . . . . . . . . 56
§ 1. Regulae . . . . . . . . . . . . . . 56
§ 2. De officio Caeremoniarii in Missa solemni . 58
*Caput XI.* De officio duorum Clericorum in Missa cantata assistentium . . . . . . . . . . . . . . 62

# Sectio tertia.

## De Ministris sacris.

### Tractatus I.

**De officio Ministrorum sacrorum in Missa solemni.**

*Caput I.* Regulae generales . . . . . . . . . . . . 67
*Caput II.* De praeparandis ad Missam solemnem . . . 71
*Caput III.* De Diacono et Subdiacono in Missa solemni . 72
§ 1. De Ingressu et Aspersione usque ad Introitum 72
§ 2. De Introitu usque ad Evangelium . . . 75
§ 3. De Evangelio usque ad Offertorium . . . 77
§ 4. De Offertorio usque ad Consecrationem . 82
§ 5. De Consecratione usque ad Communionem 86
§ 6. De Communione usque ad finem . . . . 89
*Caput IV.* Conspectus genuflexionum a Ministris sacris faciendarum in Missis solemnibus . . . . . . 92
*Caput V.* De Diacono et Subdiacono in Missa solemni cum planetis plicatis . . . . . . . . . . . . 96

### Tractatus II.

**De Incensatione, de Pace et de osculis manuum et instrumentorum.**

*Caput I.* De modo et ordine incensandi . . . . . . 97
*Caput II.* De Pace . . . . . . . . . . . . . . . 104
*Caput III.* De osculis manuum et instrumentorum . . . 109

## Tractatus III.

### De officio Ministrorum sacrorum in Missa pontificali et in Missis coram Episcopo.

Pag.

*Caput I.* Regulae generales . . . . . . . . . . . . 111
*Caput II* De Tertia cantanda ante Missam pontificalem Episcopi . . . . . . . . . . . . . . 112
*Caput III.* De officio Diaconi et Subdiaconi in Missa pontificali . . . . . . . . . . . . . . . . . 114
*Caput IV.* De Mitra imponenda et deponenda in Missa pontificali . . . . . . . . . . . . . . . . . 119
*Caput V.* De Diacono et Subdiacono in Missa solemni coram Episcopo assistente in choro . . . . . 121
*Caput VI* Regulae servandae in Missis solemnibus coram Episcopo assistente in throno . . . . . . . 122
*Caput VII.* De Diacono et Subdiacono in Missa solemni coram Episcopo cappa induto in throno . . . 126

# Sectio quarta.

## De Celebrante.

## Tractatus I.

### De Missa ejusque Ministro generatim.

*Caput I.* De variis Missae denominationibus . . . . . 131
*Caput II.* De Applicatione Missae . . . . . . . . . . . 134
*Caput III.* De Requisitis in Ministro Missae seu in Celebrante . . . . . . . . . . . . . . . . 140
§ 1. Intentio . . . . . . . . . . . . . . . 140
§ 2. Status gratiae . . . . . . . . . . . . . 142
§ 3. Jejunium naturale . . . . . . . . . . 143
§ 4. Matutinum cum Laudibus et Oratio . . . 145
§ 5. Cognitio Rubricarum . . . . . . . . . 147
§ 6. Devotio . . . . . . . . . . . . . . . 149

## Tractatus II.

### De Missa privata.

*Caput I.* De praeparandis ad Missam in sacristia . . . 151
*Caput II.* De Egressu e Sacristia . . . . . . . . . . 154
*Caput III.* De Progressu per ecclesiam ad altare . . . . 155
*Caput IV.* De Accessu ad Altare et Recessu ab eodem . 158
*Caput V.* De signo Crucis et benedictione in Missa . . 160
*Caput VI.* De Oculorum elevatione et demissione in Missa 164
*Caput VII.* De Osculis in Missa privata . . . . . . . . 165
*Caput VIII.* De pronuntiatione et vocis modulatione in Missa 167

Pag.
*Caput IX.* De Manuum positionibus in Missa . . . . . 171
*Caput X.* De Inclinationibus in Missa occurrentibus . . 177
§ 1. Regulae generales . . . . . . . . . . 178
§ 2. De Corporis Inclinatione in Missa . . . 179
§ 3. De Humerorum Inclinatione in Missa . . 179
§ 4. De Capitis Inclinatione in Missa . . . . 180
*Caput XI.* De Genuflexionibus in Missa occurrentibus . . 184
§ 1. Regulae generales . . . . . . . . . . 184
§ 2. De Genuflexione simplici in Missa . . . 184
§ 3. De Genuflexione duplici in Missa . . . 186
*Caput XII.* De Orationibus et Commemorationibus in genere 188
§ 1. Notio et Divisio . . . . . . . . . . 188
§ 2. De Numero et Ordine Orationum nec non de Modo eas recitandi . . . . . . . 189
*Caput XIII.* De Orationum Conclusionibus . . . . . . 194
§ 1. In singulis Orationibus . . . . . . . 194
§ 2. In pluribus Orationibus . . . . . . . 196
§ 3. In Orationibus extra Missam et extra Horas canonicas . . . . . . . . . . . . . 198
*Caput XIV.* De Orationibus et Commemorationibus in specie 199
§ 1. Commemoratio Sanctissimi . . . . . . 199
§ 2. Oratio A Cunctis . . . . . . . . . . 204
§ 3. Oratio ad libitum . . . . . . . . . . 206
§ 4. Oratio imperata . . . . . . . . . . 207
§ 5. Oratio pro Imperatore . . . . . . . . 210
*Caput XV.* De Precibus recitandis post Missam . . . . 212
*Caput XVI.* De Defectibus et Erroribus in Missae celebratione committi solitis . . . . . . . . . . 216
*Caput XVII.* De Ministro inserviente in Missa . . . . . 220

## Tractatus III.

**De ss. Eucharistiae distributione et renovatione nec non de sacrorum Vasorum purificatione.**

*Caput I.* Regulae generales circa s. Communionis distributionem . . . . . . . . . . . . . . 222
*Caput II.* De Communionis distributione intra Missam . 226
*Caput III.* De Communionis distributione extra Missam . 228
*Caput IV.* De Benedictione post Communionem . . . . 232
*Caput V.* Regulae generales circa s. Specierum renovationem . . . . . . . . . . . . . . . 234
*Caput VI.* De Hostiis minoribus consecrandis . . . . 236
*Caput VII.* De Hostia majore consecranda pro Ostensorio 238
*Caput VIII* Regulae generales circa Vasorum sacrorum purificationem . . . . . . . . . . . . . 239
*Caput IX.* De Modo purificandi . . . . . . . . . . 241
*Caput X.* De sacris Vasibus Vestibusque attingendis et lavandis . . . . . . . . . . . . . . 243

## Tractatus IV.

### De Missa solemni et cantata.


| | | Pag. |
|---|---|---|
| *Caput I.* | Observationes generales circa Missam solemnem | 245 |
| *Caput II.* | De Aspersione aquae benedictae in Dominicis . | 247 |
| *Caput III.* | De Celebrante in Missa solemni . . . . . . | 250 |
| *Caput IV.* | Observationes generales circa Missam cantatam | 261 |
| *Caput V.* | De Celebrante in Missa cantata . . . . . . | 262 |


## Tractatus V.

### De Missis et Functionibus coram exposito ss. Sacramento.


| | | |
|---|---|---|
| *Caput I.* | Regulae generales pro Celebrante in Missis coram exposito ss. Sacramento . . . . . . . . . | 264 |
| *Caput II.* | Ritus Missae privatae coram exposito ss. Sacramento . . . . . . . . . . . . . . . . | 266 |
| *Caput III.* | Ritus Missae solemnis coram exposito ss. Sacramento . . . . . . . . . . . . . . . . | 271 |
| *Caput IV.* | De Expositione et Repositione ss. Sacramenti . | 277 |
| | § 1. Regulae generales . . . . . . . . . | 277 |
| | § 2. De Expositione et Repositione privata . . | 279 |
| | § 3. De Expositione et Repositione publica . . | 280 |


## Tractatus VI.

### De Missis et Functionibus pro defunctis.


| | | |
|---|---|---|
| *Caput I.* | Praenotationes generales . . . . . . . . . . | 285 |
| *Caput II.* | De Orationibus in Missis de Requiem . . . . | 286 |
| *Caput III.* | De Missa privata de Requiem . . . . . . . . | 288 |
| *Caput IV.* | De Missa solemni de Requiem . . . . . . . . | 289 |
| | § 1. Regulae generales . . . . . . . . . . | 289 |
| | § 2. Ritus Missae solemnis de Requiem . . . | 290 |
| *Caput V.* | De Absolutione post Missam de Requiem . . | 293 |
| | § 1. Absolutio absente corpore . . . . . . . . | 294 |
| | § 2. Absolutio praesente corpore . . . . . . | 298 |
| *Caput VI.* | De Missa pontificali de Requiem . . . . . . | 298 |


## Tractatus VII.

### De Missis votivis.


| | | |
|---|---|---|
| *Caput I.* | De Missis votivis in genere . . . . . . . . . | 301 |
| *Caput II.* | De Ritu celebrandi Missas votivas . . . . . . | 304 |
| *Caput III.* | De Missa votiva solemni . . . . . . . . . . . | 308 |
| *Caput IV.* | De Missa votiva privata . . . . . . . . . . . | 311 |
| *Caput V.* | De Missis votivis ad libitum seu per annum . . | 313 |

## Tractatus VIII.

### De Missis quibusdam peculiaribus.

Pag.

*Caput I.* De Celebrante Missam privatam coram Episcopo 317
*Caput II.* De Celebrante Missam solemnem coram Episcopo 320
*Caput III.* De Missis Neosacerdotis . . . . . . . . . 325
*Caput IV.* De Missis in aliena ecclesia . . . . . . . . 327

### Appendix

Complectens orationes in ss. Missae sacrificio memoriter recitandas . . . . . . . . . . . . . . . . . . 329
Ordo servandus in celebrandis Missis votivis privatis . . . 337
Expositio synoptica Ritus Missae solemnis . . . . . . . . 338
Statio in Missa pontificali ad Confessionem . . . . . . . 364
Statio in Missa pontificali ante Evangelium priusquam Diaconus accedat ad thronum ad accipiendam benedictionem 364
Statio in Missa pontificali ad thronum infra benedictionem Diaconi ante Evangelium . . . . . . . . . . . . 365
Statio in Missa pontificali infra Evangelium . . , . . . 365
Statio in Missa pontificali ad altare post Orate fratres . . 366
Statio in Absolutione ad tumbam absente corpore . . . . 366
Statio in Absolutione ad tumbam praesente corpore Sacerdotis 367

# Sectio prima.

## Instructio praeliminaris.

## Tractatus I.

### De quibusdam caeremoniis fundamentalibus occurrentibus in sacris functionibus.

### Caput I.

*De crucis formatione et manuum junctione.*

I. Crux minor est et major. Prior formatur in fronte, ore et pectore non ungue sed pulpa [1]) pollicis manus dexterae, reliquis quatuor digitis extensis, invicem junctis et a pollice separatis, palma sinistra interim in pectore posita. In hac triplici cruce, lineae rectae non excedant altitudinem frontis, lineae transversae vero non latitudinem oris.

Crux major efficitur modo sequenti. Manu sinistra posita paulum infra pectus, digitis dexterae manus extensis et invicem junctis palmaque ad signantem conversa,[2]) summitate digitorum manus dexterae tangitur leviter frons dum dicitur *In nomine Patris;* demissa hinc eadem dextera ad pectus pari modo pectus tangitur in parte media inferiori dum profertur *et Filii;* translata dein manu ad humerum sinistrum, qui pariter tangitur ad verba *et Spiritus*, eadem manus demum transfertur ad humerum dexterum, ad cujus contactum dicitur *Sancti;* postremo absque mora intercedente junguntur [3]) manus ante pectus et dicitur *Amen.* Quae junctio manuum extra Missam locum habet saltem tunc, quando crucem subsequitur oratio.

[1]) *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 6. n. 3.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 219. — [2]) *Rit. cel.* miss. III. n. 5. — [3]) *Martinucci*, Man. sacr. caer. lib. I. c. 1. n. 2.; *S. Alphonsus* l. c. cap. 3. n. 2.

Regulae generales:

1. Crux sive major sive minor semper formatur manu dextera, nunquam sinistra.

2. In omni cruce conficienda digiti manus dexterae extensi invicem junguntur et quidem omnes, etiam pollex cum reliquis, si facienda sit crux major, quatuor autem digiti excepto pollice, qui ab iis separatur, si formanda sit crux minor.

3. In cruce formanda tam majori quam minori palma sinistra non impedita extensis et junctis invicem digitis paulum infra pectus ponitur, non quidem infra locum cinguli, extra tamen limites crucis formandae.[4])

4. In formanda cruce majori frons, pectus atque humeri non tanguntur tota palma, neque omnibus digitis, sed summitate tantum trium digitorum, indicis, medii et anularis.

**2.** Manus junguntur ita, ut palma et digiti invicem juncti unius manus exacte applicentur palmae et extensis junctisque digitis alterius manus, pollice dextero super sinistrum posito in modum crucis. Manus taliter compositae ante pectus ita sustinentur, ut parum distent a vestibus, apices autem digitorum neque terram, neque faciem directe respiciant, sed naturaliter sint elevati ad coelum,[5]) nisi facienda sit profunda corporis inclinatio, quo in casu digitorum apices propius pectori admoveantur,[6]) ne infra inclinationem prorsus sint conversi ad terram.

Regulae generales:

1. In omnibus functionibus sacris tam Clerici quam Sacerdotes manus ante pectus junctas teneant, nisi forte sint occupatae.

2. Si alterutra manus sit occupata, altera, non occupata, digitis extensis et invicem junctis pectori applicetur, palma ad ipsum conversa.[7])

---

[4]) *Carpo*, Caerem. pars 1. cap. 2. n. 6. — [5]) *Baldeschi*, Ausführl. Darstell. des Röm. Ritus, p. 13. nota *a*. — [6]) *Herdt*, l. c. I. n. 136. — [7]) *Martinucci* l. c. lib. 1. cap. 1. n. 4.

## Caput II.

### *De Reverentiis.*

**3.** Reverentiae sensu liturgico sunt quaedam honoris exhibitiones in sacris functionibus praestitae vel Deo vel personis vel rebus venerandis. Duplicis generis sunt juxta Rubricas, videlicet inclinationes et genuflexiones. Utraque species potest pro objecto habere cultum latriae, si reverentia refertur ad Deum, vel cultum hyperduliae, si refertur ad beatam Virginem Mariam, vel cultum duliae, si refertur ad Sanctos Sanctasque Dei.

Regula generalis: Omnes reverentiae, sive inclinationes sive genuflexiones, regulariter faciendae sunt capite detecto.

### A. De Inclinationibus.

**4.** Tres [1] distinguuntur inclinationes: profunda seu corporis, mediocris (media) seu humerorum, minima (simplex, infima) seu capitis inclinatio, prout inclinantur vel corpus, vel humeri, vel caput. Capitis inclinatio in tres subdividitur species, nempe in minimarum maximam, minimarum mediam, minimarum minimam, videlicet in capitis inclinationem maximam, mediam et infimam.

**5.** Profunda seu corporis inclinatio tali fit corporis incurvatione, ut extensis [2]) vel cancellatis i. e. in modum crucis dispositis [3]) brachiis digitorum extremitate tangi possint genua. Ad decenter hanc inclinationem faciendam necesse est, ut simul cum corpore paulisper inclinetur et caput. [4])

**6.** Mediocris seu humerorum inclinatio mediat inter corporis et capitis inclinationem et tali fit humerorum depressione, ut curvatis humeris conspici possint pedum extremitates. Etiam in hac inclinatione facienda caput nequaquam erigatur, sed paululum incurvetur.

**7.** Capitis inclinatio profunda seu minimarum maxima est ea, quae absolvitur tota capitis et aliquantula

---

[1]) Sciendum est, ait *Merati* pars. 2. tit. 2. n. 2, inclinationes ab auctoribus peritioribus ad tres reduci classes. — [2]) *Martinucci* lib. 1. cap. 1. n. 5. — [3]) *Herdt* S. Lit. Prax. I. n. 121.; *Bouvry*, Expos. Rubr. tom. II. § 2. pct. 2. n. 8. — [4]) *Hartmann*, Repert. Rit. § 74.

humerorum incurvatione. Tam in hac quam in aliis capitis inclinationibus, modeste caput est demittendum et lente erigendum, ne fiat solus capitis nutus.

Profunda capitis inclinatio etiam extra Missam semper locum habet in actionibus liturgicis, quando inclinatio capitis rationem habet cultus latriae, ergo dum dirigitur ad ss. Trinitatem, sive ejusdem mentio [5]) fiat simpliciter per verba »sancta vel beata Trinitas«, sive expresse nominentur tres divinae Personae, ut in fine psalmorum,[6]) hymnorum [7]) et alias, praesertim in doxologia *Gloria Patri etc.*, in qua inclinatio fit usque ad verba *Sicut erat etc.* exclusive;[8]) deinde dum dirigitur ad ss. Sacramentum, ad s. Crucem vel ad Reliquiam Crucis Domini reconditam in custodia [9]) et dum pronuntiatur ss. Nomen Jesu.

**8.** Inclinatio capitis media seu minimarum media fit inclinando ex toto caput tantummodo et locum habet, quando inclinatio capitis rationem habet cultus hyperduliae, ergo ad prolationem s. nominis Mariae non solum intra sed etiam extra missam.

**9.** Minima demum capitis inclinatio seu minimarum minima consistit in levi tantum capitis depressione et habet rationem cultus duliae. Unde quum hic debeatur Sanctis Dei, haec inclinatio facienda est ad nomina Sanctorum, quorum fit specialis memoria nec non ante insignes Reliquias Sanctorum expositas.[10]) Insignes autem Reliquias S. R. C. die 8. Aprilis 1628 declaravit esse corpus, caput, brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab Ordinario approbata.

## B. De Genuflexionibus.

**10.** Altera species reverentiarum est genuflexio. In se spectata genuflexio majoris observantiae signum

---

[5]) *Bauldry*, pars. 2. cap. 4 n. 2.; *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 40. — [6]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 1. n. 8. — [7]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap 6. n. 8 — [8]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 1. n. 6. — [9]) *S. R. C.* 7. Maji 1746 ad 12. — [10]) *Herdt*, l. c. 1. n. 200. ad 3.

est, quam inclinatio; plus enim honoris tribuo illi, coram quo genuflecto, quam illi, cui tantum inclinationem exhibeo. Genuflexio duplicis generis est, simplex et duplex; prior fit unico, posterior utroque genu.

Regulae generales:

1. Omnes genuflexiones, sive unico sive utroque exsequantur genu, modeste et reverenter fiant, non praecipitanter neque cum strepitu.[11])

2. Ante et post genuflexionem alia reverentia, sive inclinatio sive genuflexio, facienda non est, nisi quando per aliquod temporis spatium flexis genibus orandum sit in loco altiori quam locus est pedum i. e. in genuflexorio vel gradu altaris. Oraturus itaque prius se inclinat vel in plano genuflectit, quatenus alias transeundo sese inclinare vel genuflectere deberet; deinde se erigit et genuflexus orat: oratione finita surgit et eandem facit reverentiam antequam discedat. Si ss. Sacramentum sit expositum, tunc ante et post orationem fit genuflexio utroque genu in plano.[12]) Si vero flexis genibus orandum sit in plano, non ante sed post orationem, quum discedendum erit, reverentia conveniens facienda est.[13])

3. Si duo vel plures genuflectere simul debeant, sive unico sive utroque genu, advertant ut uno eodemque tempore, pari modo atque ea motus uniformitate genuflexionem absolvant, ita ut adhaerere invicem humeris atque unam quasi personam efficere videantur.[14])

## § 1. *De Genuflexione simplici.*

II. Genuflexio simplex fit demittendo genu dexterum usque ad terram juxta talum pedis sinistri (nisi facienda sit in gradu), erecto tamen corpore, erecto capite, non hinc non inde, non ante vel retro deflexo. Genu deflexum nullo modo pavimento insistat, sed vix

[11]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 115. ad 6. — [12]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 2. n. 5.; cap. 15. n. 5.; cap. 18. n. 1. 2. 4.; *Herdt* l. c. ad 4. — [13]) Cf. *S. R. C.* 10. Maji 1895 ad 10.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 4.; *Carpo*, pars 1. n. 20. — [14]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 1. n. 6.

demissum ad terram, confestim i. e. sine mora quidem, debita tamen cum gravitate inde erigatur.

Regulae:

1. Genuflexio simplex regulariter facienda est capite detecto.

2. In ipso actu genuflexionis manus nequaquam ponantur super genu sinistrum, sed junctae ante pectus teneantur, nisi sint impeditae.

3. In perficienda genuflexione simplici caput et corpus directe convertantur versus objectum, cui exhibetur haec reverentia. Quapropter v. g. in transitu ante medium altaris genuflexio minime fiat transeunter, sed genuflectens prius sese convertat ad altaris medium et subsistens genuflectat.

4. Genuflexio simplex, utpote majus obsequium, includit obsequium minus, quod est inclinatio. Unde omnis genuflexio simplex fiat absque capitis aut corporis inclinatione, etiamsi infra genuflexionem pronuntiandum esset aliquod verbum aut nomen (v. g. Jesu, Mariae), ad cujus pronuntiationem praescriberetur inclinatio capitis.[15]

**12.** Genuflexio simplex facienda est extra Missam:

1. A transeuntibus quibuscunque ante tabernaculum, in quo inclusum est ss. Sacramentum,[16] exceptis iis, qui in processione theophorica transeunt ante tabernaculum hujusmodi.[17]

2. A transeuntibus quibuscunque ante altare, in quo celebratur, si tunc Missa sit a Consecratione usque ad Communionem inclusive.[18]

3. A transeuntibus quibuscunque ante altare, super quo in loco principali exposita est Reliquia s. Crucis[19] vel pretiosissimi Sanguinis.[20]

---

[15]) *Martinucci*, l. c. n. 7. — [16]) *S. R. C.* 14. Dec. 1602. — [17]) Cf. *Carpo*, Caerem. pars 3. n. 178. — [18]) Ratio est, quia ss. Sacramentum ob Sacerdotem celebrantem est in altari quasi esset absconditum in tabernaculo. *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 2. n. 7.; *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 170. *l.*; *Eph. lit.* 1889 pag. 227. — [19]) *S. R. C.* 7. Maji 1746. — [20]) *S. R. C.* 22. Sept. 1827.

4. Ab omnibus Clericis et Sacerdotibus, exceptis Celebrante et Canonicis ecclesiae cathedralis, in actu functionis transeuntibus ante Episcopum proprium vel ante altare majus, quamvis ibi non adsit Sanctissimum, sed sola Crux.[21])

5. Ab omnibus Clericis et Sacerdotibus, Canonicis ecclesiae cathedralis non exceptis, etiam non in actu functionis transeuntibus ante Crucem altaris majoris feria sexta in Parasceve post adorationem Crucis usque ad Nonam Sabbati sancti inclusive.[22])

Notandum, quod genuflexiones istae faciendae sunt non solum a transeuntibus ante altare hujusmodi, sed etiam ab accedentibus ad altare et a recedentibus ab eodem,[23]) imo non solum ab iis, qui directe transeunt ante dictum altare, sed etiam ab iis, qui transeunt a latere ejus, dummodo in transitu videatur.

### *§ 2. De Genuflexione duplici.*

**13.** Haec genuflexio fit utroque genu ita, ut usque ad terram demittatur prius genu dexterum juxta talum pedis sinistri, deinde genu sinistrum juxta dexterum, adjecta simul profunda capitis inclinatione. In surgendo, erecto jam capite, primo levatur genu sinistrum et ponitur pes juxta genu dexterum, dein levatur genu dexterum.

Regulae:

1. In genuflexione duplici semper caput est detegendum.

2. Genuflexio duplex semper adnexam habet profundam capitis, non corporis,[24]) inclinationem toto tempore

[21]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 3.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 119. et Prax. Pont. I. n. 150. f. et II. n. 37 *a.*; *Carpo* l. c. pars 1. n. 17.; *S. R. C.* 30. Aug. 1892 ad 12. et 9. Maji 1857 n. 5238 — [22]) *S. R. C.* 9. Maji 1857 ad 5. n. 5241 et 12. Sept. 1857 ad 4. — [23]) Quapropter minister serviens in Missa privata in accessu, discessu et transitu ante medium altaris simpliciter genuflectere tenetur in plano, sive in altari adsit Sanctissimum inclusum sive sola Crux. — [24]) *Bouvry*, Expos. Rubr. tom. 2. § 2. pct. 2. n. 10. Genuflexio duplex, cui adjungitur profunda corporis inclinatio, prostratio nuncupatur et praestanda est ad verba: Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui, nec non ad Confiteor. *Carpo*, Caer. pars 1. n. 21.

genuflexionis, nisi interea aliquid sit agendum e. g. orandum, ss. Sacramentum incensandum.

3. Quotiescunque genuflectendum est cum mora, semper facienda est genuflexio duplex.

**14.** Genuflexio duplex facienda est extra Missam:

1. In accessu, recessu et transitu coram ss. Sacramento, sive sit expositum [25] in altari, sive elevetur post Consecrationem,[26] sive transferatur in ostensorio aut ciborio, sive administretur pro Communione.[27]

2. Ad benedictionem cum Sanctissimo.

3. In adoratione sanctae Crucis feria sexta in Parasceve. Post adorationem et osculum sanctae Crucis Celebrans, Ministri, Clerus et populus surgant, genuflectant unico genu et redeant ad propriam sedem.[28]

Omissis aliis casibus minus frequentibus, sufficit, adduxisse frequentiores.

## Caput III.

### *De Birreto ejusque usu.*

**15.** Vox birretum a birro, cujus est deminutivum, derivatur et denotat tegumentum capitis, sicut birrum tegumentum corporis. Formam prae se fert quadratam habetque in summitate tres apices seu tria cornua. Birretum quatuor cornibus instructum non est indumentum chorale, sicut S. R. C. die 7. Dec. 1844 declaravit, imo nec indumentum ecclesiasticum sed civile, ob Magisterium et Lauream aut Licentiam in disciplinis theologicis vel sacris canonibus receptum, quapropter in functionibus ecclesiasticis ne Laureatus quidem eo uti potest, sicut eadem Congregatio definivit, nisi usus approbetur per consuetudinem legitimam.[1]) Interrogata nuper S. R. C.,

[25]) *S. R. C.* 19. Aug. 1651 ad 6. et 7. Maji 1746 ad 9. — [26]) Conf. *Rit. cel.* mis. II. n. 1. et Rub. gen. miss. XVII. n 5. — [27]) Cf. *Cavalieri*, Comment. tom 4. cap. 180. n. 5. — [28]) *S. R. C.* 10. Maji 1895 ad 10.

[1]) *Eph. lit.* 1893 pag. 209 sq.; cf. Münster Pastoral-Blatt 1894 pag. 185.; *Thalhofer*, Liturgik I. pag. 892.

an possint Episcopi adhibere birretum doctorale cum quatuor apicibus; eadem Congregatio die 6. Sept. 1895 ad 8 respondit: Negative, quoad birretum formae doctoralis. Eo minus ergo id licet Episcopis inferioribus.

Imponitur et deponitur regulariter dextera, sinistra posita infra pectus, qua in actione accipitur vel apice anteriori vel, quod melius, apice dextero. Imponitur capiti ita, ut pars apice carens sit a sinistra. Dum detecto capite standum est vel procedendum, birretum non tenetur nec sola dextera nec sola sinistra pendula, sed ambabus manibus, si sint liberae, ante pectus cum apertura versus pectus, pollicibus positis intra, reliquis digitis junctis extra birretum. Quando vero infra sessionem caput est detegendum, sola dextera birretum super genu dexterum sustinetur. — Ceterum birretum Celebrantis non est ponendum super altare, neque super missale, neque super calicem.[2])

**16.** Birretum imponitur:

1. Generatim in accessu ad sacras functiones et in recessu ab iisdem. E. g. ante et post celebrationem Missae, ante et post administrationem Sacramentorum.

2. In processionibus sine ss. Sacramento et sine Reliquia s. Crucis. Clerus in ecclesia graditur capite detecto, extra ecclesiam vero caput cooperit birreto; Celebrans (Officiator) autem et Diaconus et Subdiaconus etiam per ecclesiam contecto incedunt capite.[3])

3. In choro dum sedetur, modo non sit Sanctissimum in altari expositum.

**17.** Birretum deponitur:

1. In functionibus quibuscunque coram ss. Sacramento exposito.

2. In celebratione Missae privatae, sive sit expositum ss. Sacramentum sive non, tam ante quam post Consecrationem. In Missis solemnibus nec Celebrans

[2]) *Schober* in S. Alphonsi lib. de caer. miss. cap. 2. nota 1. — [3]) *Carpo*, Caer. pars 3. n. 178.

nec Ministri birreto uti possunt,[4] nisi infra sessionem, Sanctissimo non exposito.

3. In administratione Sacramentorum, excepto Sacramento Poenitentiae.

4. In benedictionibus impertiendis, in Aspersione aquae benedictae, in danda et accipienda thurificatione [5] et Pace.

5. In inclinationibus et genuflexionibus faciendis, nisi manus sint impeditae per calicem, quem Celebrans defert ad altare, ut suo loco dicetur.

6. In processionibus, in quibus defertur ss. Sacramentum vel Reliquia s. Crucis,[6] nemini unquam licet adhibere birretum. In aliis vero processionibus hoc vetitum est solummodo Crucifero, Ceroferariis,[7] Caeremoniario et iis, qui deferunt Reliquias vel statuas Sanctorum, nec non Clericis, qui processionem moderantur.[8]

7. In concionibus ante ss. Sacramentum palam expositum,[9] licet Sanctissimum velo sit obductum.[10] In aliis concionibus potest adhiberi birretum, praesertim si talis vigeat consuetudo.

# Tractatus II.

## De diebus liturgicis.

### Caput I.

*Observationes praeviae.*

Quum in rebus liturgicis tractandis saepe saepius occurrant nomina et vocabula non omnibus sat clara, non abs re erit, si, antequam ipsam materiam de diebus liturgicis tractandam aggrediamur, significationes nonnullorum vocabulorum huc spectantium exponamus in utilitatem praesertim tironum.

---

[4]) *S. R. C.* 4. Apr. 1699 ad 7. — [5]) *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 14. — [6]) *S. R. C.* 2. Sept. 1690 ad 1. — [7]) *Carpo* l. c. — [8]) *S. R. C.* 22. Sept. 1837 ad IX. 1. — [9]) *S. R. C.* 28. Apr. 1607 et 9. Dec. 1628 ad 4. — [10]) *S. R. C.* 22. Sept. 1837 ad 4. Post conciones hujusmodi nec benedictio impertitur populo.

**18.** Officium triplici sensu accipi potest, sensu latiori, strictiori et strictissimo. Sensu strictissimo per officium intelliguntur Horae canonicae (breviarium), quo sensu communiter accipitur. Sensu strictiori officium dicitur Missa, utpote quae a Sacra Concilii Congregatione 9. Junii 1714 nuncupatur pars nobilior atque potissima totius officii.[1]) Sensu latiori autem per officium intelliguntur Horae canonicae simul et Missa.[2])

**19.** Ritus appellatur complexus precum et caeremoniarum singulas actiones liturgicas constituentium. Unde dicitur ritus Missae, ritus baptismi, ritus (ordo) ad faciendam aquam benedictam i. e. preces et caeremoniae, quae in Missae celebratione, in baptismi administratione, in facienda aqua benedicta observari solent et debent.

Ritus dicitur etiam modus exsequendi sacras caeremonias vel, quantum ad officium divinum (sensu strictissimo), modus recitandi Horas canonicas. Quo sub respectu distinguitur ritus duplex, semiduplex, simplex. Ratio hujus distinctionis est diversitas gradus, qualitatis et dignitatis mysterii aut Sancti, cujus memoria celebratur; nam quo majus est mysterium et quo dignior Sanctus, eo digniorem cultum exigunt. Unde patet, ritum duplicem esse solemniorem, minus solemniorem et quasi medium inter utrumque semiduplicem, simplicem denique ritum infimum constituere. Hinc Ecclesia primum assignare consuevit principalioribus festis, alterum minori excellentia praeditis, ultimum infimis.

Missas quod attinet diversitas inter triplicem hunc ritum consistit solummodo in majori vel minori numero orationum.

Officium vero recitari potest triplici modo: *a)* aut cum Matutino trium nocturnorum et novem lectionibus, cum Laudibus et minoribus Horis, primis secundisque Vesperis, duplicando in Horis majoribus antiphonas;

---

[1]) In una Derthusien. ab eadem Congregatione die 1. Sept. 1894 ad VII. Missa conventualis dicitur praestantior pars divini officii. Conf. etiam *Herdt,* Prax. Pont. II. n. 183. sub 2. — [2]) Conf. Eph. lit. 1890 pag. 510.

*b)* aut praefatas singulas partes recitando, quin tamen iterentur antiphonae; *c)* aut denique cum uno tantum nocturno et tribus lectionibus ad Matutinum cum Laudibus sine antiphonarum duplicatione, item cum Horis et absque secundis Vesperis. Atqui primus recitandi modus est duplex, alter semiduplex, tertius simplex.[3])

**20.** Concurrentia est illa officiorum successio, qua secundae Vesperae unius officii simul obveniunt cum primis Vesperis officii sequentis diei. Quum enim officia ritus duplicis et semiduplicis jus habeant ad duas Vesperas, primas nempe et secundas, hinc, quando duo ejusmodi officia sese proxime consequuntur, Vesperae secundae officii praecedentis et Vesperae primae officii sequentis de jure pariter recitari deberent. Datur igitur conflictus quidam inter duas istas Vesperas, ex quo necessario nascitur aliqua compositio, ne duae Vesperae integrae sint recitandae.[4]) E g. Die 26. Januarii celebratur festum duplex s. Polycarpi, Episcopi et Martyris; die sequenti 27. Januarii festum item duplex s. Joannis Chrysostomi, Episcopi. Confessoris et Ecclesiae Doctoris. Festum s. Polycarpi dicitur concurrere cum festo s. Joannis Chrysostomi; eadem enim die 26. Januarii festum s. Polycarpi exigit suas secundas et festum s. Joannis suas primas Vesperas.

**21.** Occurrentia in Liturgia significat incidentiam alicujus festi aut officii in certam determinatam diem. Hinc dicimus Assumptionem B. M. V. occurrere die 15. Augusti, festum ss. Nominis Jesu Dominica secunda post Epiphaniam.

Occurrentia oritur etiam quando duo vel plura festa in eandem incidunt diem, quae ideo eadem die sibi occurrere dicuntur. Ita anno 1894 Ascensio Domini occurrit cum festo Inventionis s. Crucis, quia ambo in eandem 3. diem Maji inciderunt.

Effectus occurrentiae est, ut, quum una die nonnisi de uno fieri possit integrum officium, alterum aliquo pacto hac eadem die cedere debeat. Quod diversis fit

---

[3]) Conf. Ibid. 1889 pag. 524. sq. — [4]) Ibid. 1890 pag. 64. sq.; Sacr. Liturg. *Ed. Mechl.* Tract. de Off. div. pars 3. sect. 2. cap. 2.

modis. Aut enim alterum officium penitus omittitur, aut de altero fit tantum commemoratio loco officii integri, aut integrum in aliam diem temporanee transfertur, aut ei alia dies perpetuo assignatur ideoque in alia die reponitur, aut mutatur. Hinc nobis sermo de commemoratione, translatione, assignatione, repositione et mutatione.

**22.** Commemoratio hic loci est quaedam exigua pars officii in ipsius integri locum substituta et quasi vicem supplens.[5]) Commemoratio locum habere potest tum in Horis canonicis tum in sacrificio Missae. In Horis canonicis (officio) fit commemoratio in Laudibus et Vesperis, aliquando etiam in nona lectione Matutini; in Missa autem in orationibus et nonnunquam in ultimo Evangelio.

Regula valet: De quo facta est commemoratio in officio, de eodem fit commemoratio in Missa, saltem stricte privata,[6]) sed non vice versa. Fieri enim potest commemoratio in Missa, quin fiat de eodem etiam in officio, e. g. feria tertia et quarta Rogationum, vigilia Immaculatae Conceptionis B. M. V., de quibus nihil fit in officio, etiamsi fiat commemoratio in Missa.

**23.** Translatio definitur amotio temporaria officii integri (Horarum canonicarum et Missae) alicujus festi accidentaliter impediti a die sua propria in aliam diem liberam, remanente festo pro foro in die propria. Dies propria appellatur dies, in qua Ecclesia memoriam alicujus Sancti vel mysterii celebrandam elegit.[7]) Dies autem, in quam officium alicujus festi accidentaliter impediti a die propria transfertur, dies translata vocatur. E. g. Dies 19. Martii est dies propria festi s. Joseph, quia haec dies ab Ecclesia electa est ad celebrandam memoriam ejus. Anno 1894 eadem dies erat feria secunda hebdomadis majoris et duo haec officia occurrebant. Praevaluit officium feriae, quia est feria major privilegiata, quae respuit omnia festa etiam du-

[5]) *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 251. — [6]) Excipitur Dominica Palmarum et vigilia Pentecostes, in quibus nulla fit commemoratio in Missis privatis de festo simplici, quamvis facta sit in officio. Cf. *Carpo*, Kalend. Perpet. cap. 6. pag. 83. — [7]) Conf. *Eph. lit.* 1891 pag. 45.

plicia primae classis, ergo etiam festum s. Joseph. Quia vero hoc festum est duplex primae classis, non potuit ejusdem die 19. Martii fieri tantum commemoratio, sed jus seu privilegium habet, ut ab hac die sua propria amoveatur ejus officium integrum in aliam diem liberam, quartam Aprilis nempe, quae erat feria quarta post Dominicam in Albis, remanente festo pro foro in die 19. Martii. Hinc quum anno 1894 die quarta Aprilis officium recitaverimus et Missam celebraverimus s. Joseph, cujus festum die 19. Martii erat impeditum, eadem dies quarta Aprilis anno 1894 dicebatur dies translata s. Joseph. Est autem illa amotio tantum temporaria, quia non omni anno locus est huic occurrentiae accidentali, sed festum cum officio s. Joseph regulariter celebratur in ipsa die propria 19. Martii.

**24.** Assignatio est amotio definitiva officii integri (non festi) a die propria festi perpetuo impediti in primam liberam diem sequentem. Amandatur tantum officium divinum cum Missa, non autem ipsum festum, quod affixum manet suae propriae diei, cujus tamen officio cum Missa ob impedimentum perpetuum i. e. quotannis recurrens alia dies libera assignatur, quae proinde dies assignata vocatur. E. g. Dies 13. Decembris in Kalendario universae Ecclesiae est dies propria s. Luciae. In dioecesi Labacensi vero hac eadem die quotannis occurrit dies octava s. Nicolai, Episcopi Confessoris, Titularis ecclesiae cathedralis Labacensis, adest ergo occurrentia perpetua utriusque officii, ideoque impedimentum perpetuum, quominus officium s. Luciae sua die celebretur. Praevalet enim officium diei octavae s. Nicolai, utpote dignius, officium s. Luciae vero, remanente ejus festo in die propria 13. Decembris, reponitur in die sequenti libera 14. Decembris, quae proinde est dies assignata s. Luciae.

**25.** Repositio est consectarium necessarium translationis et assignationis. Quia nempe officium vel festum aliquod vel temporanee a die propria transfertur, vel eidem perpetuo impedito alia dies assignatur, ideo necessario in certa die reponitur. Quo sensu ergo repositio non est nisi officii alicujus a propria die amoti in

alia die collocatio, sive ad tempus haec fiat, sive perpetuo. Unde distinguitur repositio accidentalis (translatio sensu strictiori) et perpetua (assignatio); et *dies accidentaliter reposita* idem est ac dies translata, *dies perpetuo reposita* idem ac dies assignata.[8])

**26.** *Mutatio* dicitur amotio definitiva alicujus *festi* a die sua propria perpetuo impedita et in aliam diem collocatio. Differt mutatio ab assignatione in eo, quod in mutatione festum ipsum et officium in aliam diem liberam amoveatur, in assignatione autem tantum officium festi. Unde patet, quid sit *dies mutata*? Est scilicet illa dies, in qua Ecclesia perpetuo celebrat festum alicujus mysterii vel Sancti, quorum dies natalitia quacunque ex causa manet impedita. Sic festum s. Jacobi majoris, qui circa festum Paschatis obiisse traditur, mutatum est in diem 25. Julii, quae dies idcirco dicitur dies mutata s. Jacobi.

Ex dictis jam eruitur, quid sit dies fixa, dies impedita, dies libera?

**27.** *Dies fixa* est dies perpetuo determinata pro celebrando aliquo festo. E. g. Dies 26. Decembris est dies fixa festi s. Stephani protomartyris, quia dies ista perpetuo determinata est pro celebrando hoc festo ita, ut ab hac die amoveri nequeat.

**28.** *Dies impedita* illa appellatur, in qua perpetuo occurrit sive festum sive officium sub ritu duplici aut semiduplici, quae proinde nunquam manet sine festo vel officio aliquo celebrando. Quando vero agitur de occurrentia temporanea, impedita dicitur quoque dies illa, in qua occurrit vel Dominica vel feria privilegata.[9])

**29.** *Dies libera* seu non impedita est illa, in qua aut nullum officium perpetuo assignatum est, aut si festum occurrat, ritu tamen simplici recolitur, ita ut in ea aliud festum mutari possit vel officium assignari perpetuo aut tantum accidentaliter transferri.[10]) Sic e. g. libera dicitur in casu nostro dies 28. Januarii, etsi in ea occurrat festum simplex s. Agnetis secundo.

---

[8]) *Stella*, Instit. liturg. pag. 414. n. 17. — [9]) *Eph. lit.* 1890 pag. 592. — [10]) Ibid.

## Caput II.

### *De Feria et Dominica.*

**30.** — 1. Dies hebdomadis feriarum nomine distinguuntur, quarum prima et ultima Dominicae et Sabbati nomine veniunt. Feria dicitur a feriando, non quod a necessariis vitae operibus sit feriandum, sed quia toto tempore a vitiis feriari seu vacare debemus[1]) et ut significetur, Clericos abjecta ceterarum rerum cura quotidie uni Deo prorsus vacare debere.[2])

2. Feriae dividuntur in majores et minores. Majores sunt, quae nunquam penitus omittuntur, quia de iis semper fit vel integrum officium cum Missa vel saltem commemoratio in officio et Missa.[3]) Minores autem sunt, de quibus occurrente festo qualicunque etiam simplici aut vigilia nec officium cum Missa fit nec sola commemoratio, ideoque penitus omittuntur,[4]) exceptis feriis Rogationum, de quibus in Missa fit commemoratio.

3. Feriae majores subdividuntur in privilegiatas et non privilegiatas. Privilegium consistit in eo, quod feria hujusmodi semper affixa maneat loco suo nec a festis occurrentibus ab eo amoveri possit. Feriae privilegiatae nulli unquam festo aut officio locum cedunt, nequidem duplici primae classis, sed quodcunque occurrens aut penitus respuunt aut pro commemoratione tantum admittunt.[5]) E. g. Anno 1894 festum s. Joseph, duplex primae classis, die 19. Martii, occurrit in feria secunda hebdomadis majoris. Praevaluit officium feriae et officium s. Joseph translatum est. Eodem anno festum s. Romualdi, duplex, 7. Februarii, occurrit in feria IV. Cinerum. Praevaluit officium feriae et de s. Romualdo erat tantum commemoratio. — Feriae majores

---

[1]) *Eph. lit.* 1892 pag. 83. — [2]) Conf. *Brev. fest.* s. Silvestri 31. Dec. lect. 6.; *Kozma*, Liturg. § 159. nota 2. — [3]) Majores sunt: Feriae Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum et feria secunda Rogationum. — [4]) Minores sunt omnes reliquae praeter majores. — [5]) Feriae privilegiatae sunt: Feria IV. Cinerum, feriae hebdomadis majoris.

non privilegiatae autem non cedunt quidem festis simplicibus et vigiliis, cedunt autem festis duplicibus et semiduplicibus, in quibus tamen earum semper fit commemoratio.[6] Hinc e. g. tempore Adventus semper fit commemoratio feriae in omnibus festis etiam in festo Immaculatae Conceptionis, quod est festum duplex primae classis.

**31.** — 1. Prima dies hebdomadis communiter nuncupatur dies Domini vel Dominica. Quoad dignitatem Dominicae dividuntur in majores et minores. Majores sunt, in quibus praecipua Creationis et Redemptionis nostrae mysteria recoluntur, quales sunt omnes Dominicae Adventus et quae occurrunt a Dominica Septuagesimae inclusive usque ad Dominicam in Albis inclusive, dein Dominica Pentecostes et Trinitatis. Reliquae sunt minores et dicuntur etiam Dominicae communes vel per annum. Hae cedunt festis duplicibus.

2. Dominicae majores sunt aliae primae aliae secundae classis. Dominicae primae classis sunt adeo privilegiatae, ut nulli unquam festo nequidem primae classis cedant.[7] E. g. Si festum s. Josephi, duplex primae classis, occurreret in Dominica Passionis, locum cedit officio Dominicae et officium s. Joseph transfertur. — Dominicae secundae classis sunt minus privilegiatae, quum non cedant nisi festo primae classis, quales sunt omnes reliquae Dominicae majores. E. g. Si festum Immaculatae Conceptionis B. M. V., duplex primae classis, occurrat in Dominica secunda Adventus, locum cedit officium Dominicae et fit officium Immaculatae Conceptionis cum commemoratione Dominicae.

3. Quoad ritum distinguuntur Dominicae, quae celebrantur ritu duplici, videlicet Dominica in Albis et Dominicae, quae sunt simul festa: Paschatis, Pentecostes et ss. Trinitatis; et Dominicae, quae celebrantur ritu semiduplici, quales sunt omnes reliquae

---

[6] Feriae non privilegiatae sunt omnes reliquae feriae majores praeter enumeratas. — [7] Sunt sequentes octo: Dominica I. Adventus, Dominica I. Quadragesimae, Dominica Passionis, Palmarum, Paschatis, in Albis, Pentecostes et ss. Trinitatis.

Dominicae, sive minores sive majores, sive primae sive secundae classis, quae ita tantum dicuntur quoad exclusionem aliorum festorum.[8]) Bene ergo distinguendum est inter dignitatem et ritum Dominicarum. Potest enim celebrari Dominica ritu semiduplici, quamvis sit secundae vel primae classis, e. g. Dominicae quadragesimales.

4. Datur denique distinctio inter Dominicas vacantes et non vacantes. Vacantes dicuntur illae Dominicae, de quibus nihil fit in officio et Missa, quod tunc locum habet, quando festa et dies octavae Nativitatis Domini, s. Stephani protomartyris, s. Joannis Apostoli, ss. Innocentium, Epiphaniae, ejusque vigilia incidunt in Dominicam. Reliquae omnes sunt non vacantes et habent per se in ipsa die Dominica vel officium vel saltem commemorationem in officio et missa.

## Caput III.

### *De Festis.*

**32.** — 1. Festum est dies, qua ab Ecclesia cultu liturgico aliquod mysterium vel Sanctus recolitur. Festa Sanctorum regulariter non celebrantur die nativitatis, qua huic mundo nati sunt, sed plerumque die obitus, qua morte interveniente nati sunt coelis, quae proinde nuncupatur dies natalitia seu simpliciter natalitia vel natalis. Ita e. g. dies 21. Junii est dies natalitia et festum s. Aloisii, dies 29. Junii dies natalitia et festum ss. apostolorum Petri et Pauli.

A die natalitia distinguenda est dies quasi-natalitia, quae, etsi Sanctus in ea non occubuerit, nihilominus suis de causis ab apostolica Sede seligitur ad ejus festum recolendum, ita ut fictione juris quasi illius Sancti natale reputetur. E. g. Quamquam s. Paulus a Cruce die 18. Octobris mortem oppetierit, quae dies prorsus esset ejus natalitia, nihilominus, quum Pius IX. ejus festum die 28. Aprilis celebrandum decreverit, dies ista quasi-natalitia s. Pauli a Cruce censetur.[1])

---

[8]) *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 20. ad 4.

[1]) *Eph. lit.* 1890 pag. 592. et 1891 pag. 42, 43.

2. Festa celebrari possunt cum vel sine feriatione. Feriatio dicitur cultus alicujus diei ex parte populi per abstinentiam ab operibus servilibus et audientiam Missae. Unde exorta est distinctio inter festa fori et chori i. e. inter festa, quae etiam a populo coluntur modo enarrato et festa, quae tantum a Clero recoluntur per recitationem divini officii et celebrationem Missae. Hinc e. g. die prima Januarii agi dicitur festum Circumcisionis Domini cum feriatione, feria sexta post octavam Corporis Christi agi dicitur festum ss. Cordis Jesu absque feriatione. Primum est festum fori (et chori), posterius tantum festum chori. Olim plura festa celebantur cum feriatione in foro, quae successu temporis suppressa sunt, ideo festa suppressa dicta, quaeque per se hodie non obligant ad abstinendum a servilibus et ad audiendum Sacrum et celebrantur tamquam festa chori.[2] Festa suppressa sunt e. g. festa singulorum apostolorum praeter festum ss. Petri et Pauli.

3. Festa sunt alia universalia alia particularia, quatenus aguntur vel in universali Ecclesia vel tantum in singulis regionibus, dioecesibus, ordinibus etc. Festa universalia per se sunt e. g. festa apostolorum, particulare est e. g. festum s. Ruperti. Ad particularia pertinent festa aliquibus locis ab apostolica Sede concessa.

4. Distinguuntur deinde festa mobilia et immobilia seu fixa. Mobilia sunt, quae non determinatae diei mensis, sed aut feriae aut Dominicae sunt affixa e. g. festum Paschatis, Septem Dolorum B. M. V. Immobilia seu fixa sunt, quae quotannis eadem mensis die celebrantur, nisi per accidens transferantur e. g. festum s. Antonii Patavini die 13. Junii, Assumptionis B. M. V. die 15. Augusti.

5. Celebris est distinctio inter festa primaria et secundaria. Primaria dicuntur, quae pro objecto habent mysterium aliquod peculiare Domini et Deiparae, quod non continetur in alio ipsorum festo e. g. Nativitas, Epiphania, Resurrectio, Ascensio Domini, Immaculata Conceptio, Nativitas, Annuntiatio, Visitatio, Purificatio,

[2]) De reductione festorum videsis *Hartmann*, Repert. Rit. § 40.

Assumptio B. M. V. Pro Sanctis illud festum primarium reputatur, quo recolitur eorum triumphalis in coelum ingressus, si excipias s. Joannem Baptistam, cujus primarium festum recolitur non in die obitus, sed in die nativitatis ejus. — Festa secundaria sunt, quae pro objecto habent factum aliquod vel mysterium, quod implicite celebratur in alio festo e. g. Nominis, Cordis Jesu, Rosarii, Maternitatis B. M. V., Apparitionis s. Michaelis, Patrocinii s. Josephi, utriusque Cathedrae Petri etc. Quaenam sint festa primaria et secundaria, definitum est per novam a Leone XIII. approbatam catalogum horum festorum de die 27. Augusti 1893.

6. Ritum quod attinet, distinguuntur festa duplicia, semiduplicia et simplicia. Duplex est vel duplex primae vel secundae classis, et duplex majus vel minus. Duplex minus etiam duplex per annum vocatur vel simpliciter duplex.[3]) Duplicia primae et secundae classis possunt ampliari per octavam, quinimo duplicia primae classis per octavam privilegiatam. Infimum gradum quoad ritum tenent festa simplicia, succedunt deinde per ordinem festa semiduplicia, duplicia minora, majora, secundae classis, primae classis, duplicia primae classis cum octava et supremo duplicia primae classis cum octava privilegiata. Regula valet: Quo digniora sunt festa, eo minus commemorationes admittunt et difficilius loco moventur.

7. Nonnunquam accidit, ut festa duplicia minora (exceptis illis s. Ecclesiae Doctorum) et semiduplicia in ritum simplicem redigantur, quae festa proinde festa simplificata nuncupantur et redactio ipsa in simplex simplificatio audit. Cujus simplificationis effectus est, ut ejusmodi festa (vel officia) in ritum simplicem redacta tamquam vere simplicia considerentur et qua talia secundum dispositionem Rubricae Breviarii X. n. 8 de Translatione festorum non transferantur, sed solummodo commemorentur vel eo anno penitus omittantur [4])

---

[3]) Ubi in Directorio adnotatur dup., semper intelligendum est de duplici minori. — [4]) Conf. Breve apostol. 28. Julii 1882, in Collect. Gardell. n. 5846.

8. Ratione dignitatis personae, cujus festum recolitur, primum locum in ordine festorum obtinent festa Domini, secundum festa Deiparae, tertium ss. Angelorum, quartum s. Joannis Baptistae, quintum s. Joseph, sextum ss. Apostolorum et Evangelistarum, septimum reliquorum Sanctorum.

## Caput IV.

### *De Vigilia et Octava.*

**33.** — 1. Vigilia dicitur solemnis festi praeventio, qua ad dignam ejus celebrationem juxta mentem matris Ecclesiae disponimur. Nomen suum accepit a vigilando, eo quod ab Ecclesiae incunabulis fideles in praecipuis festivitatibus noctem antecedentem divinis in laudibus vigilantes et jejunantes in ecclesiis traducere solerent. Quum vero, frigescente fide, in nocturnis vigiliis abusus non pauci irrepserint, Ecclesia eas prudenter abstulit vel potius transtulit de nocte in diem. Quapropter in praesenti disciplina vigilia est dies ad id destinata, ut divinis officiis et plerumque etiam jejunio animi praeparentur ad digne celebrandas majores festivitates.[1])

2. Quia vigilia ex mente Ecclesiae praeparatio quodammodo proxima esse debet ad festivitatem sequentem, ideo vigilia agitur semper die festum immediate praecedente, nisi interveniat Dominica, quo in casu agitur sabbato praecedente. Ratio est, quia vigiliae sunt dies poenitentiae, quas celebrare non convenit diebus laetitiae, quales sunt Dominicae ob memoriam Resurrectionis Domini, quae in eis ex Apostolicis Constitutionibus (lib. V. cap. 21.) recolitur. Excipiuntur ab hac regula vigilia Nativitatis Domini et Epiphaniae, quae aguntur etiam in Dominicis,[2]) quia prae se ferunt quandam laetitiam exortam ex Nativitate Domini. Dantur hodie vigiliae septemdecim, adjecta nimirum a Leone XIII. per S. R. C. decretum de 5. Decembri 1879 ad priores sexdecim vigilia Immaculatae Conceptionis Deiparae.

---

[1]) *Eph. lit.* 1893 pag. 46. 47. et 1890 pag. 370.; Conf. *Cavalieri* tom. II. cap. 15. n. 1. sq. — [2]) Rub. gen. Brev. VI. n. 2.

3. Dividuntur in vigilias privilegiatas (majores) et non privilegiatas (minores). Privilegiatae sunt tres, videlicet Nativitatis Domini, Epiphaniae et Pentecostes. Prima et ultima hoc sibi vindicant privilegium, ut nunquam omittantur et a nullo unquam festo removeantur, nequidem a festo duplici primae classis. Vigilia Epiphaniae gaudet privilegio, ut locum non cedat festo semiduplici, sed tantum duplici et tunc de vigilia fit tantum commemoratio.[3] Vigiliae non privilegiatae sunt reliquae vigiliae et locum cedunt cuicunque festo etiam semiduplici.

4. Dantur deinde vigiliae, quae jejunantur et quae non jejunantur, quod semper adnotari solet in Directorio dioecesano, quia praxis varia in variis dioecesibus. De jure communi vigiliae omnes habent jejunium adnexum, praeter vigiliam Epiphaniae et Ascensionis; illa ob laetitiam Natalis Domini, haec ob gaudium Resurrectionis. In ditione Austriaca per Indultum Clementis XIV. de die 22. Jun. 1771 omnia vigiliarum jejunia suppressa sunt praeter haec quinque: ante Nativitatem Domini, Pentecosten, festum Petri et Pauli, Assumptionem Mariae et festum omnium Sanctorum. Licet vero in nonnullis vigiliis hodie non jejunemus, attamen pro effectibus liturgicis considerantur adhuc cum jejunio.

**34.** — 1. Octavae nomine intelligitur celebratio alicujus festi per octo continuas dies. Prima dies est festum ipsum; ultima dies dicitur simpliciter octava vel dies octava; dies intermediae a secunda usque ad septimam inclusive vocantur dies octavae vel communius dies infra octavam. Prima dies seu ipsum festum celebratur ritu duplici primae vel secundae classis; dies intermediae ritu semiduplici, excepta die secunda et tertia infra octavam Paschatis et Pentecostes, quae sunt ritus duplicis primae classis; dies octava est semper ritus duplicis minoris. Quia octava ex natura sua est nota et index magnae solemnitatis, ideo solummodo festa

---

[3]) *Hartmann*, Rep. Rit. § 33.; Sacra Liturg. *Ed. Mechl.* Tract. de off. div. pag. 144.

primaria et solemniora octavis decorari solent, frequentius festa primae, rarius secundae classis, nunquam festa secundaria.[4])

2. Ex jure liturgico in u n i v e r s a l i Ecclesia sexdecim festa celebrantur cum octava, videlicet quinque festa Christi Domini,[5]) unum Spiritus sancti, Pentecostes scilicet, tria Deiparae,[6]) septem nonnullorum Sanctorum.[7]) Ex his sunt quinque festa secundae classis, reliqua primae classis. Praeter haec festa in ecclesiis p a r t i c u l a r i b u s celebrantur cum octava festa Dedicationis ecclesiarum, Patroni loci et Titularis propriae ecclesiae.[8]) Hae recensitae octavae ex jure liturgico conceduntur ecclesiis localibus; alias octavas S. R. C. ex privilegio indulsit singulis dioecesibus.

3. Attamen non quolibet anni tempore festa occurrentia celebrare licet cum octava. Prohibentur enim octavae: *a)* a die 17. Decembris usque ad Epiphaniam inclusive; *b)* a feria quarta Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive; *c)* a vigilia Pentecostes usque ad festum ss. Trinitatis inclusive.[9]) Hinc duae regulae, ad quas bene attendendum est in celebratione festi Patroni loci vel Titularis ecclesiae.

P r i m a r e g u l a: Festa temporibus prohibitis occurrentia celebranda sunt sine octava. Festum s. Joseph non habet octavam, etiamsi sit festum primae classis et s. Josephus Patronus Ecclesiae catholicae, quia semper occurrit tempore vetito, in Quadragesima. Pari modo festum Annuntiationis B. M. V. nuper evectum in festum primae classis caret octava, ex eadem ratione.[10])

S e c u n d a r e g u l a: Si octavae inceptae tempus vetitum superveniat, octava est abrumpenda, nihilque de ea amplius agendum, ne ipsa quidem commemoratio. Si s. Lucia, cujus festum celebratur die 13. Decembris,

[4]) *Eph. lit.* 1889 pag. 652. — [5]) Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Corporis Christi. — [6]) Assumptionis, Nativitatis, Conceptionis. — [7]) Nativitatis s. Joannis Baptistae, Petri et Pauli, Laurentii, omnium Sanctorum, Stephani protomartyris, Joannis Apostoli, Innocentium. — [8]) *Rub. gen.* Brev. VII. n. 1. — [9]) *Rub. gen.* Brev. l. c.; *S. R. C.* 22. Maji 1894. — [10]) Conf. Decr. gen. *S. R. C.* 27. Maji 1895.

Titularis sit alicujus ecclesiae parochialis, ejus octava celebratur solummodo usque ad diem 16. Decembris inclusive, qua die cessat octava, etiamsi nondum sit completa.

4. Est distinctio inter octavas. Aliae enim sunt privilegiatae aliae non privilegiatae seu communes. Privilegiatae sunt quinque numero: Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, ss. Corporis Christi, sed non omnes eodem modo. Hoc quidem omnibus commune est privilegium, ut infra has octavas, licet ritus sit semiduplex, non admittantur Missae votivae privatae et Missae de Requiem. Quoad festa admittenda autem non omnes eodem gaudent privilegio. Aut enim quodcunque festum respuunt, quales sunt octavae Paschatis et Pentecostes, aut nonnulla festa admittunt ita tamen, ut earum semper fiat commemoratio etiam in festo primae classis, quales sunt octavae Epiphaniae, Corporis Christi et Nativitatis Domini. Reliquae autem octavae, non privilegiatae seu communes, quodcunque festum, etiam semiduplex, admittunt ita quidem, ut occurrente festo duplici primae vel secundae classis amittant etiam jus ad commemorationem.[11])

---

# Tractatus III.

## De Choro.

### Caput I.

#### *De disciplina in choro servanda.*

**35.** Quum Clerici in cathedralibus non raro choro assistere debeant, inutile non erit, si pauca de disciplina in choro servanda disseramus certasque regulas hac in causa servandas huc apponamus.

1. Clerici veste talari et superpelliceo induti, incessu gravi et capite detecto,[1]) gestantes utraque manu

[11]) Conf. *Eph. lit.* 1890 pag. 58. sq.; Sacra Liturg. l. c. pag. 154.

[1]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 2. n. 1.; *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 182. ad 4.

birretum ante pectus (recole n. 15.), bini procedunt in chorum.

2. Ad altare quum pervenerint simpliciter genuflectunt, sive in altari sit tabernaculum cum Sanctissimo incluso [2]) sive tantum Crux [3]); si vero forte expositum sit Sanctissimum duplici genuflexione ss. Sacramentum venerantur. Post genuflexionem bini sese invicem salutant capitis inclinatione profunda, dein suum quisque locum petit, alter dextrorsum, sinistrorsum alter, ibique cuncti stantes exspectant adventum aliorum, nisi forte deberent genuflectere ex eo, quod Episcopus in adventu suo genuflexus adorat Sanctissimum vel orat ante altare majus. [4])

3. In choro omnes uniformitati studeant, ita ut una simul stent, sedeant, se inclinent, genuflectant, surgant, se signent, caput aperiant et cooperiant.

4. Dum sedent, caput habent birreto coopertum, nisi facienda sit capitis inclinatio aut nisi expositum sit ss. Sacramentum. Dum vero stant, caput semper manet detectum. Unde quotiescunque sunt consurrecturi, prius caput detegunt deinde surgunt, quum autem sit sedendum, primo sedent, deinde imponunt birretum. [5])

5. Oculos unusquisque habeat non gyrovagos, sed demissos vel ad librum intentos; manus similiter teneat vel junctas ante pectus vel alio honesto modo compositas.

6. Inviolabile servetur silentium in choro, nec in illo prorsus habeantur colloquia, nisi quis forte ex non praevisa necessitate loqui cogatur de iis, quae ad functionem pertinent. Nullus pariter risu aut quovis gestu incomposito rem divinam perturbet, vel litteras aut libros quoscunque praeter Breviarium aut Diurnum legat. Et dum clara voce aliquid legitur vel canitur, e. g. Oratio, Lectio, Prophetia, Evangelium, Gloria, Credo, Praefatio, Pater noster, omnes intenti sint et debitas faciant inclinationes e. g. ad Oremus, Nomen Jesu, Mariae et Sancti, cujus fit memoria, ad Gloria Patri etc.

---

[2]) *S. R. C.* 14. Dec. 1602. — [3]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 3.; *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 150. *f.* — [4]) *Caer. Ep.* l. c. — [5]) *Hartmann*, Repert. Rit. § 78. *B.*

7. Si incepto jam officio aut Missa et Clero in loco suo jam congregato, aliquis superveniat, antequam locum suum in choro adeat, facta debita altari reverentia (vide n. 2.), statim in genua provolutus versus altare[6]) parumper orat, mox surgit, îterum facit reverentiam altari, pergit in chorum, ubi Chorales utrimque salutat capitis inclinatione (incipiens a parte, in qua sedet dignior) et locum sibi praestitutum occupat.[7]) Sed hoc valet tantum, si prima vice in chorum venerit; si enim pro aliqua necessitate exire debuerit, redeundo quidem reverentiam altari et choro sicut alias facere tenetur, non autem denuo versus altare orare.[8])

8. Si superveniat aliquis e Superioribus, tunc decet, ut Clerici in ejus adventu assurgant, eumque capite detecto salutent, neque prius sedeant, quam ipse in stallum suum advenerit.[9]) Quum tamen S. R. C. 3. Oct. 1699 ad 2. in una Zaren. definierit, Canonicis inferiores ad hoc non teneri, servetur consuetudo.

9. Si Episcopus aut Canonicorum quis in choro residentium pro aliquo officio suo assurgere debeat, consurgendum est etiam ceteris omnibus ex utraque parte chori considentibus.[10])

10. Tempore divini officii vel Missae nemini e choro egredi licet sine necessitate. Si autem justa de causa exierit, primum egressus e loco suo, in medio chori[11]) stans salutat Chorales utraque parte (vide n. 7.), nisi sit Sanctissimum expositum vel Missa a Consecratione usque ad Communionem, deinde progressus ante altare genuflectit et abit.

11. Si forte in altaribus choro proximis Missae celebrarentur, non debet Clerus in choro congregatus attendere ad ea, quae geruntur in illis altaribus, ergo nec genuflectere ad ss. Sacramenti elevationem.[12])

---

[6]) Quum dicitur versus altare, non opus est ad medium ante altare accedere, sed sufficit se vertere versus altare et genuflectere in parte, per quam quis ingreditur. *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 151. *b.* — [7]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 4. — [8]) *Herdt*, Prax. Pont. l. c. — [9]) *Caer. Ep.* l. c.; *Herdt* ibid. n. 157. — [10]) *Caer. Ep.* l. c. n. 9. et 12. — [11]) Supponitur chorus post altare. — [12]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 2. n. 6.

## Caput II.

### *De modo standi, genuflectendi et sedendi in choro infra Missam solemnem.*

**36.** In Missis solemnibus ordinariis.[1])

1. Clerus stat in choro, donec Celebrans cum Ministris ad altare pervenerit.

2. In Aspersione aquae benedictae stat semper, quamquam Celebrans cum ministris genua flectit ante altare.

3. Ad Confessionem,[2]) quam bini inter se faciunt, genuflectit, praeter Canonicos, qui stant.

4. Dum Celebrans ascendit ad altare, Clerus consurgit et stat usque ad absolutum a Celebrante *Kyrie eleison*, quod eodem tempore bini dicunt alternatim. Si musici longius protrahant *Kyrie* cantum, Clerus sedet, etiamsi Celebrans non sedeat,[3]) et si Celebrans etiam ad sedendum iret cum Ministris, caveat Clerus, ne consideat, antequam ipse Celebrans sederit.

5. Ad intonationem et recitationem hymni *Gloria* omnes stant, deinde sedent sive Celebrans cum ministris sedeat sive non.[4]) Hymnum ipsum simul cum Celebrante submissa voce recitant inclinantes caput ad voces *Deo* — *Adoramus Te* — *Gratias agimus Tibi* — *Jesu Christe* — *Suscipe deprecationem nostram* — et îterum *Jesu Christe.* Quas reverentias denuo faciunt ad horum verborum cantum.

6. Quum assurgit Celebrans rediturus ad altare et quum dicit *Dominus vobiscum* et cantat orationes, stat Clerus.

7. Sedet ad Epistolam et dum canitur Graduale, Tractus etc., in quibus, dum canuntur ea, ad quae genu-

---

[1]) Cf. *Rub. gen.* Miss. XVII. n. 5. 7.; *Martinucci*, lib. 1. cap. 3. §§ 4. 6. 8.; *Herdt.* Prax. Pont. II. n. 182—193. — [2]) Nomine Confessionis veniunt omnia, quae dicuntur a signo crucis usque dum Celebrans ad altare ascendit. *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 183. — [3]) *Herdt*, l. c. n. 184. ad 3. — [4]) Ibid.

flexio praescribitur, omnes genuflectunt,[5]) minime vero genuflectitur, quando talia a solo Celebrante submissa voce recitantur.[6])

8. Ad Evangelii cantum Clerus stat et si canuntur verba genuflexionem exposcentia, etiam in choro assistentes debent genibus procumbere.

9. Itidem stat ad Symbolum *Credo*, quod submissa voce cum Celebrante simul recitat animadvertendo, ut caput inclinet ad vocem *Deum* in intonatione Symboli nec non ad verba *Jesum Christum* et *adoratur* in ejusdem decursu, et genuflectat[7]) cum Celebrante ad *Et incarnatus est etc.*, deinde sedet sive Celebrans sedeat sive non.[8]) Infra sessionem, dum canitur Symbolum, caput inclinat ad dicta verba, ad quae inclinatio praescribitur, minime vero submittit genua ad *Et incarnatus est etc.*, sed caput declinat,[9]) praeterquam in ipsa Nativitatis die et in B. M. V. Annuntiationis festo, quando ab omnibus, etiam a sedentibus, genuflectitur ad ista verba.

10. Ad exitum Symboli consurgit Clerus una cum Celebrante et stat ad *Dominus vobiscum* et ad *Oremus.* Quo dicto sedet usque ad incensationem chori exclusive.

11. Infra thurificationem chori stat Clerus toto thurificationis tempore, exceptis Canonicis, quorum quisque post incensationem suam sedere potest.

12. Dum Celebrans incipit *Per omnia saecula saeculorum* ante Praefationem, Clerus surgit et stat usque ad dictum *Benedictus . . Hosanna in excelsis,* inclinando caput post *Gratias agamus Domino* ad *Deo nostro* atque ad ss. Nomina *Jesu* et *Mariae,* si cantentur.

[5]) E. g. in Epistola Dominicae Palmarum et Missarum s. Crucis, dum cantatur *Ut in nomine Jesu* etc., in Tractu Quadragesimae ad versum *Adjuva nos* etc., et in Missis de Spiritu Sancto ad versum *Veni Sancte Spiritus* usque ad finem versus. — [6]) Ratio est, quia quae Celebrans solus submissa voce legit, ad ipsum solum, quae autem cantantur, ad chorum et ad omnes spectant. *Herdt,* l. c. n. 186. ad 9. — [7]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 52. — [8]) *Herdt,* l. c. — [9]) *S. R. C.* 15. Jun. 1895. Nec in hoc casu locum habet dispositio *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 53., quod, caput inclinantibus Canonicis, inferiores genuflectant, prout resolutum fuit per *S. R. C.* 15. Febr. 1659 ad 2. et 13. Febr. 1677 ad 2.

Post Trisagium manet genibus flexis usque ad Calicis elevationem absolutam.

13. Elevatione facta consurgit et stat usque ad Calicis sumptionem inclusive, post quam sedet. *Agnus Dei* praesentes in choro recitant et tempestive sibi invicem dant Pacem.

14. Ad *Dominus vobiscum* et ad orationes post Communionem Clerus stat usque ad benedictionem, infra quam genua submittit, exceptis Canonicis in sua ecclesia. Ad ultimum Evangelium stat, signans se initio et genuflectens ad *Verbum caro factum est* in fine.

**37.** Perspicuitatis causa habes brevem conspectum:

| | |
|---|---|
| In accessu Celebrantis Clerus in choro . | stat. |
| Ad Aspersionem aquae benedictae . . . | stat. |
| Ad Confessionem . . . . . . . . . . | genuflectit. |
| Dum Celebrans ascendit ad altare . . . | surgit. |
| Post *Kyrie eleison* recitatum . . . . . | sedet. |
| Ad intonationem Hymni angelici . . . | surgit. |
| Hymno recitato . . . . . . . . . . | sedet. |
| Ad finem cantus Hymni . . . . . . . | surgit. |
| Ad Epistolam . . . . . . . . . . . | sedet. |
| Ad Evangelii cantum . . . . . . . . | stat. |
| Symbolo recitato . . . . . . . . . . | sedet. |
| Ad finem cantus Symboli . . . . . . | surgit. |
| Post *Oremus* ante Offertorium . . . . | sedet. |
| Adveniente Diacono ad incensandum . . | surgit. |
| Post Sanctus . . . . . . . . . . . | genuflectit. |
| Elevatione Calicis absoluta . . . . . | surgit. |
| Post sumptionem ss. Sacramenti . . . | sedet. |
| Ad *Dominus vobiscum* et Postcommuniones | stat. |
| Ad benedictionem . . . . . . . . . | genuflectit. |
| Ad ultimum Evangelium . . . . . . . | stat. |
| Ad *Verbum caro factum* . . . . . . . | genuflectit. |
| In recessu Celebrantis . . . . . . . . | stat. |

**38.** In Missis solemnibus coram ss. Sacramento. Exposito ss. Sacramento, conveniens esset, ut in reverentiam tanti Sacramenti omnes praesentes starent semper detecto capite, et nunquam sederent; sedere tamen licet. Interrogata enim S. R. C., an tolerari possit consuetudo, quod Clerus et Populus, dum ss. Sacra-

mentum expositum manet, sedeant? respondit: Affirmative, secluso scandalo aut irreverentia.[10])

**39.** In Missis solemnibus ferialibus et de Requiem.[11]) In Missis feriarum Adventus, Quadragesimae, Quatuor temporum et Vigiliarum, quae jejunantur, ac in Missis defunctorum, Clerus in choro manet genibus flexis: *a)* ad orationes ante Epistolam; *b)* a Trisagio usque ad *Pax Domini* inclusive[12]); *c)* ad orationes post Communionem et ad orationem super populum; *d)* ad versiculum *Adjuva nos etc.* in feriis quadragesimalibus.

Excipiuntur ab hac regula: Vigiliae Paschatis Pentecostes et Nativitatis Domini, feria quinta in Coena Domini et feriae Quatuor temporum Pentecostes, in quibus statur, quia missae sunt festivae. Item statur in vigiliis Epiphaniae et Ascensionis, quia in his non jejunatur.

**40.** In Missis pontificalibus observentur omnia, sicut in Missis solemnibus ordinariis.[13]) Genuflectitur utroque genu, quando Episcopus manus lavat: *a)* antequam paramenta sumat; *b)* ante Offertorium, antequam Episcopus de throno accedat ad altare; *c)* post incensationem altaris ad Offertorium; *d)* post Communionem sumpta ablutione; *e)* in fine Missae, si fiat lotio.

Tempore, quo Episcopus deponit paramenta, stat Clerus, reassumpta ab eo cappa sedet usque dum Episcopus assurgit descensurus de throno. Deinde bini et bini ordine consueto comitantur Episcopum redeuntem in residentiam.

Si ante Missam cantanda sit Tertia, Clerus stat ad *Pater, Ave*, ad intonationem Horae ad hymnum canendum et ad primi psalmi intonationem. Dum cantantur psalmi sedet. Quum assurgit Episcopus depositurus cappam, consurgit et Clerus. Dum paratur Episcopus, stat, quo parato, sedet. Ad Capitulum cantandum a Subdiacono stat usque ad initium Missae.

---

[10]) *S. R. C.* 28. Jul. 1876 ad 3. — [11]) *Rub. gen.* miss. XVII. n. 5. — [12]) *S. R. C.* 29. Dec. 1884 ad 11. — [13]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 3. § 26.

# Sectio secunda.

## De Ministris inferioribus.

41. Inter ministros inferiores referuntur in Caeremoniali Episcoporum: Thuriferarius, minister de libro, de baculo (pastorali), de mitra (infula), de candela (bugia, palmatoria, scotula, lumen fidei), de gremiali, Syrmifer (Caudatarius), Ceroferarii (Acolythi sensu strictiori), funalia seu intortitia ferentes. Quibus adnumerari potest Crucifer. Agitur in hac sectione etiam de Caeremoniario.

### Caput I.

*Regulae generales.*

42. — 1. Ministri inferiores regulariter superpelliceis [1]) induuntur. Incedentes ad altare vel aliorsum per ecclesiam et in processionibus etiam extra [2]) ecclesiam oculos demissos habeant, manusque junctas teneant ante pectus, nisi forte sint impeditae.

2. Accedendo, recedendo et transeundo in actu functionis [3]) ante altare majus, Cruci in eo positae semper genuflectunt non solum infra sed etiam extra Missam, [4]) e. g. eundo in chorum.

3. Genuflectunt pariter accedendo, recedendo et transeundo ante Episcopum proprium [5]), sive pontificaliter sive cappa tantum aut mozzetta sit indutus [6]), nisi a) expositum sit ss. Sacramentum, quia tunc reverentia,

---

[1]) Qui de libro, de candela, de baculo et de mitra serviunt, etiam pluvialibus induuntur, si talis adsit consuetudo. *Caer. Ep.* lib. 1. cap. II. n. 1. — [2]) *Rit. Rom.* de process. — [3]) *S. R. C.* 30. Aug. 1892 ad 12.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 3. — [4]) *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 119. — [5]) *Caer. Ep.* l. c.; *Herdt,* Prax. Pont. I. n. 70. et 150. *f.* Hic enim non fit comparatio Episcopi cum Cruce, sed cum Clericis, a quibus sicut dignitate distinguitur, sic etiam majori reverentia honoratur. *Herdt,* S. Lit. Prax. II. n. 43. ad 3. — [6]) *S. R. C.* 9. Maji 1857.

sive inclinatio sive genuflexio, nemini[7]) debetur, nec Episcopo[8]) praesenti, et nisi *b)* adsit Episcopo Superior, nempe Cardinalis, Legatus Apostolicus vel Metropolita, quia tunc ob illorum reverentiam Episcopum proprium profunda capitis inclinatione tantum reverentur.[9]) Ante Episcopum extraneum et Praelatos habentes usum pontificalium nunquam genuflectunt, sed solam eis exhibent capitis inclinationem.[10])

4. In functionibus coram exposito ss. Sacramento genuflectunt utroque genu in plano in primo accessu et ultimo recessu ante altare expositionis et quotiescunque infra functionem ejusmodi e choro et presbyterio exeunt vel illuc redeunt. Ceteroquin genuflectunt unico genu[11]), quod fit etiam ab iis, qui in Missis solemnibus sine expositione celebratis post Consecrationem usque ad Communionem inclusive e presbyterio exeunt vel illuc revertuntur.[12])

5. In genua procumbunt etiam in Missis solemnibus de Requiem, in Missis solemnibus feriarum Adventus, Quadragesimae, quatuor Temporum et vigiliarum, quae jejunantur: ad orationes ante Epistolam, post *Sanctus* usque ad *Pax Domini* inclusive[13]) et ad orationes post Communionem[14]); exceptis vigiliis Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, feria quinta in Coena Domini et quatuor temporibus Pentecostes, in quibus stant, quia sunt festivae.

---

[7]) *S. R. C.* 31. Aug. 1793. — [8]) *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 6. Quod tamen intelligitur de principalibus tantum reverentiis, quae fiunt honoris causa, nón tamen de illis peculiaribus, quae fiunt ritus ratione v. g. ad incensationem, post datam Pacem, ad aliquid ministrandum; quae reverentiae ergo etiam coram Exposito non omittuntur. *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 155.; Conf. *Eph. lit.* 1888 pag. 91. — [9]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 15.; *Herdt,* l. c. III. n. 287. — [10]) Ibid. — [11]) Patet hoc ex decr. S. R. C. die 7. Jul. 1877 ad 6., ubi ministro in Missa privata coram exposito Sanctissimo praescribitur genuflexio simplex intra Missam. Conf. *Eph. lit.* 1895 pag. 222. — [12]) *Eph. lit.* 1888, pag. 588. sq. — [13]) *S. R. C.* 29. Dec. 1884 ad 11. — [14]) *Rub. gen.* miss. XVII. n. 5.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 5. 7. et cap. 18. n. 16.; *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 185. 189.

6. Dum Episcopus manus lavat, non solum ministri lotionis, sed etiam reliqui omnes ad altare et thronum assistentes et circumstantes totusque chorus, exceptis Canonicis et Dignitatibus [15]), genuflectunt utroque genu. [16])

7. Ad altare genuflectunt, sive unico sive utroque genu, semper in plano [17]) non in gradu infimo. Genuflectentes in suppedaneo manus nequaquam imponant mensae altaris, quod nec Ministris sacris licet, sed soli Celebranti. Genuflexio in casu hujusmodi fiat manibus junctis ante pectus.

8. Quando Episcopo vel, eo absente, [18]) Celebranti aliquid traditur, primo res, quae traditur, osculanda est, dein manus Episcopi respective Celebrantis, exceptis chirothecis, in quarum traditione prius manus Episcopi deinde chirothecae osculandae sunt. [19]) In receptione autem prius manus osculanda, dein res tradita, nisi accipiendae sint candelae et palmae benedictae, quae ante manus osculandae sunt. [20]) Ast haec oscula mere reverentialia praestanda sunt soli Episcopo et, eo absente, Celebranti, nunquam autem Diacono, Subdiacono, Presbytero assistenti vel alii ex ministris, imo nec Celebranti, si adsit Episcopus. In Missis et functionibus coram exposito ss. Sacramento et pro defunctis omittuntur omnia oscula manuum et instrumentorum, ceterum a ministris inferioribus praestanda.

9. In danda et accipienda Pace haec observent. Dans Pacem manus super accipientis humeros ponat, suamque genam sinistram appropinquet genae sinistrae alterius dicens: *Pax tecum!* Accipiens Pacem brachia sua supponat brachiis dantis, suamque genam sinistram appropinquet genae sinistrae dantis dicens: *Et cum spiritu tuo!* Deinde a se invicem aliquantulum rece-

---

[15]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 3. n. 254. 277. 285. et lib. 5. cap. 9. n. 110. 140.; *Schober*, Caer. pag. 243. 282. — [16]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 10.; Conf. *Eph. lit.* 1887 pag. 220. sq. — [17]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 115. not. 1. — [18]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 16. — [19]) Ibid. lib. 2. cap. 8. n. 19. — [20]) *S. R. C.* 16. Sept. 1865.

dentes (si locus permittat) caput paululum sibi inclinant. Ante dandam Pacem nulla fit inclinatio nec ex parte dantis nec accipientis. Fusius de Pace tractabitur in sect. III. tract. 2. cap. 2.

## Caput II.

### *De Crucifero.*

**43.** — 1. Crucifer nudo capite, ambabus manibus Crucem ita sustinet et portat, ut neque ad dexteram neque ad sinistram, neque ad anteriorem neque ad posteriorem partem inclinetur.

2. Semper incedit primus ante omnem Clerum, nisi adsit Thuriferarius [1]) vel minister de aqua benedicta [2]), quibus cedit locum primum. Si adsint Ceroferarii, medius inter illos procedit, et si propter loci angustiam simul incedere nequeant, Ceroferarii praecedunt. [3])

3. Crux ita defertur, ut imago Crucifixi non respiciat ad sequentes, sed prospiciat ad praecedentes [4]) nisi sit Crux archiepiscopalis, quae semper defertur cum imagine ad Archiepiscopum conversa. [5])

4. Genuflectit Crucifer gestans Crucem duobus tantum in casibus, nimirum sub benedictione Episcopi et sub benedictione cum ss. Sacramento, et tunc Crucem tenet genuflexus. Alias non genuflectit, ne quidem transeundo ante altare aut ante ss. Sacramentum. [6])

5. Ad altare locus ejus est ad credentiam, ubi stat vel genuflectit prout ceteri. Crucem deponit in loco (receptaculo) ad hoc praeparato.

**44.** A quonam et qualiter induto Crux deferri debet?

1. In processionibus ss. Sacramenti, Rogationum, et in iis, in quibus insignes deferuntur Reliquiae, aut

---

[1]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 15. n. 8. et lib. 2. cap. 16. n. 15. — [2]) *Herdt*, S. Lit. Prax. III. n. 133. — [3]) *Herdt*, l. c. n. 318. nota. — [4]) *S. R. C.* 18. Maji 1675 ad 1. — [5]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 15. n. 2. et 8. — [6]) *Herdt*, Prax. Pontif. I. n. 86.

quae ſiunt solemniter, Crux deſerri debet per Clericum cotta indutum, medium inter duos Ceroſerarios.[7])

2. In Missa pontificali, ad quam celebrandam Episcopus paramenta sumit non ad altare majus, sed in sacello, Crux capituli in processione e sacello ad altare deſertur a Subdiacono diverso a Subdiacono missae et parato amictu, alba et tunicella[8]) sine manipulo. Si autem Episcopus sumat paramenta ad altare majus in throno, omittitur processio, ergo nec Crux adhibetur.[9])

3. Ad functiones in die Puriſicationis, Dominica Palmarum, ſeria quinta in Coena Domini et feria sexta Parasceves, Crux deſertur a Subdiacono diverso a Ministrante in Missa[10]) ut n. 2.

4. In Absolutionibus deſunctorum tam in die Commemorationis omnium Fidelium deſunctorum, quam in aliis anniversariis et exequiis, Subdiaconus Missae indutus sicut in Missa, sed sine manipulo, Crucem deſerre debet.[11])

5. Sabbato sancto Subdiaconus Epistolam cantaturus, non alius, Crucem deſerat tam ad benedictionem novi ignis, quam Cerei paschalis[12]), non autem ad benedictionem ſontis, ad quam potius Clericus superpelliceo indutus eam deſerat.[13])

## Caput III.

### *De Ceroferariis.*

### *§ 1. Regulae.*

**45.** — 1. Ceroſerarii seu Acolythi sensu strictiori, statura aequales, superpelliceis induti, candelabra deferant nudis manibus, ante pectus aequaliter tenentes, nec ad unam nec ad alteram partem inclinantes. Qui a parte dextera procedit, Acolythus primus nuncupatus, manum sinistram ad pedem candelabri ponat, dexteram

---

[7]) *S. R. C.* 12. Jun. 1660. et 27. Nov. 1831 ad 16. — [8]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 24.; *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 86. *b.* — [9]) *Caer. Ep.* l. c. n. 25. — [10]) *S. R. C.* 6. Maji 1826 ad 1. — [11]) *Rit. cel. Miss.* XIII. n. 4.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 14.; *S. R. C.* ut supra. — [12]) *S. R. C.* 4. Apr. 1879 ad 9. — [13]) *Herdt*, l. c. III. n. 154. et n. 173.

vero ad ejus nodum; qui incedit a parte sinistra, Acolythus secundus dictus, ponit dêxteram ad pedem, sinistram vero ad candelabri nodum.[1])

2. Caput nunquam cooperiant et semper bini incedant, nisi ob angustiam loci cogatur alter alterum praecedere.

3. Ad altare eorum locus est apud credentiam, ubi deponunt candelabra in credentiae cornibus posterioribus et stant vel genuflectunt, prout opus erit, semper ad altare conversi, manus junctas ante pectus tenentes. Ad thronum (sedem) autem stant hinc inde in plano, versis ad invicem faciebus.[2])

4. Dum inclinationes vel genuflexiones faciunt, illas aequaliter et eodem tempore faciant; in deferendis tamen candelabris abstinent a profunda corporis inclinatione et pro ea tantum caput inclinant caventes, ne simul inclinent candelabra.[3])

5. Genuflexionem omittunt duobus in casibus: *a)* quando Cruciferum cum candelabris comitantur, etiamsi expositum sit Sanctissimum, nisi fiat benedictio, sub qua genuflectunt cum Crucifero[4]); *b)* dum infra Evangelium cantandum stant cum candelabris accensis a lateribus Subdiaconi tenentis librum Evangeliorum, etiamsi ceteri omnes genuflectant.[5])

6. Accedendo, recedendo vel transeundo ante Episcopum vel ante medium altaris semper genuflectunt Episcopo et Cruci altaris, excepto casu n. 5. *a.* Recole reg. gen. 2. et 3. pro ministris inferioribus.

7. Quotiescunque a credentia ante altare vel ad Celebrantem accedunt vel inde recedunt, prius in medio ante altare vel ante Celebrantem juncti debitam reverentiam faciunt, dein vél juncti abeunt vel inde se disjungunt.[6])

8. Acolythorum etiam est, adjuvare, si opus sit, Ministros in induendis sacris vestimentis.[7])

---

[1]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 8. — [2]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 17.; *Herdt,* Prax. Pont. I. n. 77 ad 1. et 2. — [3]) *Herdt,* S Lit. Prax. II. n. 16. — [4]) *Herdt,* Prax. Pont. III. n. 246. — [5]) *Rub. gen.* Miss XVII. n. 4.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 8. — [6]) Cf. *Schneider,* Man. Cler. pag. 502 n. 5. — [7]) *Martinucci,* lib. 1. cap. 8. n. 4.

9. In accendendis cereis super altare Acolythus incipiat a cereis, qui sunt a cornu Evangelii, quippe nobiliori parte,[8] et quidem ab illo, qui Cruci proximus est, tum ordinem servando accendat alios, quot supersunt ab eodem latere. Hoc facto transeat ad cornu Epistolae, ibique eodem ordine, incipiendo scilicet a cereo Cruci proximo, accendat. — In extinguendis autem cereis ordinem invertendo exordiatur primum a cornu Epistolae extinguendo ante alios cereum a Cruce remotiorem; tum accedat ad partem Evangelii et eandem regulam servet. — Si cerei pluribus ordinibus sunt dispositi, tam in accendendis, quam extinguendis incipiendum est ab ordine superiori.[9]

### § 2. *De officio Ceroferariorum in missa solemni.*

**46.** — 1. Facta in sacristia tum Cruci tum Celebranti profunda capitis inclinatione, primi post Thuriferarium ad altare procedunt, candelabra cum candelis accensis deferentes. Eundo ad altare majus simpliciter genuflectunt versus altare Sanctissimi,[1] dein per aditum majorem progrediuntur ad altare majus,[2] ubi ad graduum angulos alter in parte Epistolae, alter in parte Evangelii ita se sistunt, ut versis ad invicem faciebus exspectent adventum Ministrorum et Celebrantis, cui transeunti se inclinant. Mox se convertunt ad altare et simul cum Celebrante et Ministris sacris, in linea recta stantes, genuflectunt simpliciter in plano. Deinde Ceroferarius in cornu Evangelii, sine nova genuflexione in

[8]) *S. R. C.* 12. Aug. 1854 ad 77. — [9]) *Van der Stappen,* S. Liturg. Caerem. pag. 5.

[1]) Supponitur Missa in ecclesia cathedrali, in qua Sanctissimum non asservatur in altari majori sed laterali, ante quod transeundum est in accessu ad altare majus. — [2]) Si in accessu ad altare transeundum sit ante Clerum in choro congregatum, Acolythi, statim ac ingressi fuerint presbyterium, antequam accedant ad altare, dirimuntur ita, ut inter ipsos se sistant Celebrans et Ministri sacri. Omnes in linea recta momento subsistentes, simul caput inclinant ad Chorales primo versus Evangelii tum Epistolae cornu. Dein rectam servantes lineam omnes simul progrediuntur ad altaris gradus, ut supra. *Martinucci,* lib. 1. cap. 14. n. 104. Conf. *Van der Stappen,* S. Liturg. Caer. pag. 7.

medio ante altare facienda, accedit ad Ceroferarium stantem in cornu Epistolae, cui se associat et ambo simul procedunt ad credentiam, ubi deponunt candelabra in locis suis. Vide n. 45. ad 3.

In locis, in quibus ex consuetudine immemorabili, uti in ecclesia cathedrali Labacensi, in accessu ad altare Crux capitularis praefertur Celebranti et Ministris, Ceroferarii hinc inde a lateribus Cruciferi cum candelabris accensis procedunt ad altare. In via genuflexionem non faciunt versus altare Sanctissimi, nec genuflectunt quum pervenerint ad altare majus, quia comitantur Crucem (reg. 5.), sed directe accedunt ad locum suum apud credentiam, ubi deponunt candelabra.

2. Ad Aspersionem aquae lustralis simul cum Celebrante ceterisque assistentibus utrumque genu flectunt in loco suo et surgunt post Aspersionem altaris et Ministrorum sacrorum, antequam Celebrans accedat in chorum ad aspergendos Chorales.[3]) Dum ipsi asperguntur, cruce se signant. Post Aspersionem adjuvant Diaconum et Subdiaconum in induendis manipulis praevie in credentia praeparatis.[4])

3. Dum Celebrans dicit psalmum Judica, Confessionem reliquasque preces in exordio Missae, iterum in genua procumbunt, se signant cum Celebrante, caput inclinant, pectus percutiunt sicut ceteri et surgunt, dum Celebrans ascendit gradus altaris. Deinceps stant usque ad *Sanctus* inclusive.

4. Quum Diaconus accepta benedictione ab altari descendit ad Evangelium cantandum, Caeremoniarium et Thuriferarium sequentes, ante gradus altaris cum candelabris accedunt, ibique non genuflectentes subsistunt in medio presbyterii ante gradus post Caeremoniarium et Thuriferarium, ita ut triplex series efficiatur, prima Ministrorum sacrorum, secunda Caeremoniarii et Thuriferarii, tertia Ceroferariorum. Quando silente musica genuflectunt Diaconus et Subdiaconus, etiam Ceroferarii genuflectunt cum Caeremoniario et Thuriferario,

---

[3]) *Carpo*, Caerem. II. n. 250 et 251.; *Schober*, Caer. art. 7. n. 8. — [4]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 8. § 6. n. 65.

omnes simul eodemque tempore et procedunt cum aliis ad locum, ubi Evangelium decantari solet. Ibi facie ad Diaconum conversa se sistunt primus a dexteris secundus a sinistris Subdiaconi librum Evangeliorum tenentis, usque ad finem immobiles stantes, quin se signent, inclinent aut genuflectant (reg. 5). Evangelio decantato et Subdiacono librum deferente ad Celebrantem ipsi quoque, non exspectata Celebrantis incensatione,[5]) accedunt ante gradus altaris, factaque ibi in medio genuflexione simplici in plano, redeunt ad credentiam et candelabra deponunt.

5. Dum Celebrans cum Ministris sacris recitat Symbolum caput inclinant, quotiescunque Celebrans hoc facit et simul cum ipso simpliciter genuflectunt ad verba: *Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine et homo factus est,* ad quae verba, quum postmodum a cantoribus cantantur, utrumque genu flectunt et caput profunde inclinant. Quibus verbis decantatis assurgunt. Dum versus finem Symboli cantantur verba *Simul adoratur*, caput profunde inclinant.

6. Ad Offertorium, quum Subdiaconus calicem de credentia sumptum ad altare defert, primus Acolythus, eum immediate sequens,[6]) absque praevia genuflexione,[7]) nisi expositum sit Sanctissimum, defert super pelvicula[8]) ampullas vini et aquae, easque Subdiacono in altari subministrat sine osculis. (Recole n. 42, reg. gen. 8.). Quas postea a Subdiacono receptas, dextrorsum se vertens, absque genuflexione, nisi expositum sit Sanctissimum, ad credentiam defert.

7. Incensato post Offertorium Celebranti ambo stantes[9]) ministrant ad lotionem, primus a dexteris aquam cum pelvicula, secundus a sinistris[10]) manutergium explicatum in patella, cum capitis inclinatione ante et post. Recepto subinde manutergio, vertentes ad invicem faciem, descendunt per gradus et deponunt vasa in

---

[5]) *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 16. ad 3. — [6]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 8. n. 46. nota. — [7]) *Herdt*, l. c. I. n. 118. not. 2. — [8]) *Carpo*, l. c. n. 218.; *Martinucci* l. c. n. 47. — [9]) Soli Episcopo aqua lotionis ministratur a ministris genuflexis. — [10]) *Herdt*, l. c. II. n. 16. ad 4.; *Carpo*, l. c.; *Schober*, l. c. art. I. cap. 12. n. 12.

credentia. Si expositum sit Sanctissimum ad *Lavabo* ministrant non in gradibus, sed in plano, vertentes terga ad populum.

8. Dicto Trisagio Ceroſerarii, si adsint speciales Acolythi ad ſerenda intortitia (ſunalia) designati, in genua procumbunt in locis suis ante credentiam, ibique genuſlexi permanent usque ad ſinitam elevationem Calicis, deinde surgunt.

Si autem desint speciales Acolythi ad intortitia gestanda, ipsi Ceroſerarii Missae hoc munere ſunguntur. Quapropter sub ſinem Praeſationis, ſacta in transitu genuſlexione simplici versus altare majus,[11]) via breviori i. e. per aditum lateralem, genuſlectentes in transitu versus altare ss. Sacramenti, accedunt in sacristiam, unde dicto *Sanctus* intortitia accensa ſerentes (reg. 1.) via longiori i. e. per aditum majorem, iterata in transitu versus altare ss. Sacramenti genuſlexione, revertuntur ad altare, ubi in medio retro post Subdiaconum simpliciter genuſlectunt. Mox surgentes sibi invicem inclinant caput, nisi expositum sit Sanctissimum, se disjungunt et progressi ad angulos graduum in cornu Evangelii et Epistolae hinc inde genua submittunt in plano, sic permansuri usque ad Calicis elevationem inclusive. Advertant, ut toto hoc tempore intortitia in aequali altitudine elevata teneant. Elevatione Calicis absoluta assurgunt, ad medium altaris retro post Subdiaconum accedunt, ibique genuſlexione simplici ſacta, sine ulla alia reverentia via longiori in sacristiam recedunt, ubi ſunalia exstinguunt. Mox via breviori reduces ante altare simpliciter genuſlectunt,[12]) dein occupant loca sua. Si expositum sit ss. Sacramentum, transeuntes ante altare utrumque ſlectunt genu.

Diebus autem jejuniorum, in Missis pro deſunctis et in Missis, in quibus ſit Communio populi,[13]) genuſlexi

[11]) Si ante Chorales in choro transire cogantur, tam in accessu quam in recessu iis debitas exhibent reverentias, nisi adsit ss. Sacramentum sive post Consecrationem sive expositum. — [12]) Conf. reg. gen. 4. pro min. inf. sub n. 42. — [13]) Et in Missis coram ss. Sacramento exposito juxta praxim basilicarum Urbis. *Baldeschi*, Ausführl. Darstell. Anhang 1. Art. 6. n. 51.

manent usque ad Communionem inclusive,[14]) exceptis missis solemnibus in vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, in Coena Domini, Sabbato sancto et quatuor Temporibus Pentecostes, quia hae Missae sunt festivae.[15])

9. Ad finem *Pater noster* Acolythus primus accedit ad cornu Epistolae, praemissa genuflexione simplici ascendit per gradus accepturus a Subdiacono ambabus manibus velum humerale, quod repetita genuflexione refert ad credentiam, ibique plicatum deponit.

10. Ad *Agnus Dei* et *Domine non sum dignus* stant inclinati percutientes leviter pectus. Similiter sese inclinant infra Communionem Celebrantis tum ad sumptionem Hostiae tum Calicis. Pax iis defertur per Caeremoniarium. Qui accepit Pacem, eam dat alteri et sic successive porro De Pace danda et accipienda recole n. 42. ad 9.

11. Ante sumptionem pretiosissimi Sanguinis, dum Celebrans fragmenta colligit, Acolythus primus sumptas de credentia ampullas cum pelvicula, genuflexione in plano facta[16]) ob praesentiam ss. Sacramenti, ad altare defert Subdiacono, quas deinde ad suam se volvens dexteram absque genuflexione, nisi expositum sit ss. Sacramentum, iterum defert ad credentiam.

12. Ad benedictionem in fine Missae genuflexi caput inclinant et erecto îterum capite se signant. Sub finem ultimi Evangelii sumptis de credentia candelabris ante altare procedunt, et facta simul cum Celebrante ceterisque ministris altari debita reverentia i. e genuflexione, revertuntur in sacristiam, in via paulisper consistentes extra cancellos presbyterii, donec facta sit genuflexio a Celebrante et assistentibus versus altare Sanctissimi.[17]) In sacristia facta cum reliquis inclinatione capitis profunda tum Cruci tum Celebranti, candelabra et superpellicea deponunt.

**Adnotatio.** Ad cantum Evangelii Ceroferarii assistunt s i n e c a n d e l a b r i s manibus junctis: *a)* in

[14]) *Rit. cel.* Miss. VIII. n. 8. — [15]) *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 16. ad 5. — [16]) *Carpo*, l. c. n. 220.; *Martinucci*, lib. 1. cap. 8. § 3. n. 53. — [17]) Vide notam 1.

Missis cum Passione ad ejusdem partem postremam, quae in tono Evangelii cantatur, *b)* Sabbato sancto, *c)* in vigilia Pentecostes, *d)* in Missis pro defunctis.

### *§ 3. De officio Ceroferariorum in Missis pro defunctis.*

**47.** — 1. Ceroferarii ad altare accedunt more solito cum candelabris accensis,[1]) observantes omnia, quae dicta sunt n. 46. ad 1.

2. Ad orationes ante Epistolam in genua procumbunt[2]) in locis suis ad credentiam.

3. Descendente cum libro Evangeliorum Diacono per gradus altaris ad cantandum Evangelium, Ceroferarii sine candelabris procedunt ad altare, ubi simul cum aliis, ante gradus genuflexione simplici facta, se constituunt, manibus junctis ante pectus, hinc inde a lateribus Subdiaconi tenentis librum Evangeliorum.[3])

4. Ad Offertorium, postquam Subdiaconus calicem suo velo coopertum ad altare detulerit ibique detexerit, Acolythus primus velum calicis plicatum de altari sumit et ad credentiam defert.

5. Ad *Lavabo* non ministrant ipsi aquam Celebranti, sed Ministri sacri. Quapropter incensatione altaris post Offertorium peracta Ceroferariorum primus Diacono tradit ampullam aquae cum pelvicula, alter vero manutergium explicatum in patella Subdiacono, eaque facta lotione manuum iterum recipiunt.

6. Ad *Sanctus* genuflectunt ad credentiam et permanent genuflexi usque ad *Pax Domini* inclusive, si nimirum speciales Acolythi ad gestanda funalia designati sint, qui se gerunt sicut dictum est n. 46. ad 8. Sin autem ipsi Ceroferarii Missae munere funalia ferentium fungantur, dicto *Sanctus* more solito accedunt ante altare et genua submittunt in angulis graduum ad cornu Evangelii et Epistolae funalia tenentes et genuflexi permanentes usque ad peractam ss. Sanguinis sumptionem.[4])

---

[1]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 8. § 9. — [2]) *Rub. gen.* miss. XVII. n. 5. — [3]) *Rit. cel.* miss. XIII. n. 2. — [4]) *Rit. cel.* miss. VIII. n. 8.

7. Ad orationes post Communionem in genua procumbunt sicut ad orationes ante Epistolam.[5])

8. Si fiat Absolutio ad tumbam post Missam, Ceroferarii adjuvant Ministros sacros in deponendis manipulis, dein cum candelabris accensis sese adjungunt Subdiacono Crucem ferenti et hinc inde a lateribus ejus se constituunt, ubi ipse se sistit. Genuflexiones omittunt, quia Crucem comitantur.

Si autem fiat Absolutio super pannum, remanent in locis suis ad credentiam usque in finem.

### § 4. *De officio intortitia ferentium.*

**48.** Juxta Rubricas missalis[1]) in Missa solemni ad finem Praefationis accenduntur duo saltem intortitia (funalia) ab Acolythis, quae extinguuntur post elevationem Calicis. Quae duo intortitia diversa sunt ab aliis duobus super candelabris grandioribus accensis.[2]) De his jam sermo erat n. 46. ad 8. Possunt accendi etiam quatuor et ad summum sex pro ratione solemnitatis, non autem octo, ut detur distinctio inter Missam pontificalem et non pontificalem.[3])

**49.** In Missa pontificali Episcopi octo Acolythi ad hoc destinati sub finem Praefationis, facta prius ante altaris gradus in plano simplici genuflexione et choro, si ante eum transeundum sit, utrimque debita inclinatione (nisi expositum sit Sanctissimum), accedunt in sacristiam ad accipienda ibi jam praeparata intortitia seu funalia. Dicto *Sanctus* redeunt ad altare via longiori cum intortitiis accensis et quidem bini, ita tamen, ut inter binos et binos sit spatium sufficiens ad decenter faciendam genuflexionem versus altare Sanctissimi ante aditum majorem presbyterii. Qui a dexteris sunt, intortitia deferunt dextera, qui a sinistris, sinistra, altera super pectus posita.

---

[5]) *Rub. gen.* miss. l. c.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 5.

[1]) *Rit. cel.* miss. VIII. n. 8. — [2]) *Schober*, Caer. art. 1. cap. 13 n. 7. nota 11. — [3]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 83.

Presbyterium ingressi, Chorales, ante quos transeunt, salutant stantes in linea recta, primo eos, qui sunt a parte Evangelii, deinde eos, qui sunt a parte Epistolae. Ad altare quum pervenerint, constituti in linea recta post Subdiaconum tenentem patenam genuflectunt unico (in Missis coram exposito Sanctissimo utroque) genu omnes simul versus altare in plano. Mox surgentes sibi invicem reverentiam faciunt, (quae reverentia omittitur in Missis coram exposito Sanctissimo), videlicet: Qui sunt ad cornu Epistolae quatuor, vertunt se sinistrorsum versus cornu Evangelii, quin discedant a loco suo, ita ut tunc habeant dexteram suam ad altare, sinistram vero ad populum conversam; qui autem sunt ad cornu Evangelii quatuor, se vertunt dextrorsum versus cornu Epistolae non discedentes a loco suo, ita ut habeant sinistram ad altare, dexteram vero ad populum conversam. Sic stantes in eadem linea recta, faciebus ad invicem conversis, faciunt sibi capitis inclinationem eodem temporis momento. Qua reverentia facta, convertunt se iterum ad altare, in genua procumbunt, genuflexique permanent usque ad elevationem Calicis inclusive.[4])

Genuflexi funalia tenent utraque manu, ab elevatione Hostiae usque ad depositionem Calicis ea elevant in aequali altitudine, ita ut a populo videri queant. Post elevationem surgunt, in eodem loco simpliciter genuflectunt et nullam ad invicem et Chorales facientes reverentiam ob praesentiam Sacramenti, eo ordine quo venerant, discedunt in sacristiam. Depositis ibi intortitiis, iterum ad altare revertuntur bini more solito, non omittentes debitas reverentias in via, simplicem genuflexionem faciendo versus altare cum tabernaculo Sanctissimi et ante altare majus. Tandem pergunt ad loca sua.[5])

[4]) Diebus jejuniorum et in Missis pro defunctis, et in quibus distribuitur s. Communio, genuflexi manent usque ad Communionem distributam, exceptis Missis solemnibus in vigilia Nativitatis Domini. in Coena Domini, Sabbato sancto et quatuor temporibus Pentecostes, quia hae Missae sunt festivae. — [5]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 68.; *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 114. et S. Lit. Prax. II. n. 16. ad 5.; *Martinucci*, l. c. lib. 2. cap. 4. n. 172.

## Caput IV.

### *De Ministro de gremiali et de Syrmifero.*

**50.** — 1. Gremiale in Missa pontificali tantum adhibetur,[1]) non vero in aliis functionibus pontificalibus. Ponitur super gremium Episcopi (Praelati) celebrantis, quum sedet, videlicet dum a choro cantatur *Kyrie eleison*, *Gloria*, *Credo*, praeterea ad Epistolam, donec Diaconus Evangelium cantare incipiat, ad concionem, ad lotionem manuum post Offertorium, in conferendis ordinibus.[2])

2. Minister gremiale tenent et defert ambabus manibus ante pectus complicatum.[3]) Accedendo et recedendo ante Episcopum genuflectit, ante Praelatos Episcopo inferiores profundam facit capitis inclinationem, utrumque, genuflexionem et inclinationem, paululum ante sedem, non in gradu sedis.

3. Juxta Caer. Ep. lib. 1. cap. 11. n. 9. gremiale non immediate a ministro offertur Episcopo nec ab eo aufertur, sed minister illud offert primo Diacono seu assistenti a dexteris, qui illud super gremium Episcopi ponit, postquam mitram imposuerit et illud recipit ab assistente a sinistris, qui illud de gremio Episcopi ante mitram aufert. Attamen pluribus in locis consuetudo introducta est, offerendi et auferendi gremiale per ministrum ipsum. Et tunc modus illud imponendi hic est: Tempore congruo minister cum illo accedit ad Episcopum, eique facit reverentiam per simplicem genuflexionem, sicut n. 2. dictum est; tum in gradu throni infimo vel secundo (propter altitudinem throni) utroque genu procumbit et gremiale explicatum Episcopi gremio imponit impositumque ita ordinat, ut fere usque ad talos defluat, nec illud prius demittat, quam Episcopus manus super illud imposuerit, ne in terram decidat. Subinde manus jungit ante pectus, surgit, uno passu recedit a throno, Episcopo simpliciter genuflectit (si non est Episcopus, caput inclinat) et recedit in locum suum.[4])

[1]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 9. — [2]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 78.; *Schober*, Caer. pag. 310. — [3]) *Caer. Ep.* l. c. — [4]) *Mühlbauer*, Instruct. pract. pars 1. cap. 2. § 10. ad IV.

4. In recipiendo gremiali advertat, ut paratus sit, antequam mitra auferatur Episcopo. Accedit ad Episcopum debitis cum reverentiis ut n. 2., in genua procumbit in gradu throni ante Episcopum et genuflexus recipit gremiale, quo facto debitis cum reverentiis recedit.[5])

5. In traditione et receptione gremialis omittuntur oscula consueta, quia gremiale non est instrumentum sed ornamentum, et pertinet ad paramenta episcopalia,[6]) quae non sunt osculanda,[7]) exceptis chirothecis.

6. Gremialis non fit usus in recipiendis oblationibus, in unctionibus seu consecrationibus, in tradendis candelis et palmis et in distribuendis cineribus, sed tunc loco gremialis adhibetur mappa linea.[8])

**51.** Syrma, quam vulgo caudam vocant, ad Praesulum pertinet insignia[9]); minister, qui eam defert, Syrmifer seu Caudatarius vocatur. Defert eam, superpelliceo indutus, quando Episcopus cappa magna indutus ad ecclesiam accedit vel ab ea discedit, ita quidem, ut caudam ad extremitates tenens, tanto spatio remotus ab Episcopo sequatur, ut cauda terram non tangat et anteriores ejus partes Episcopum procedentem non impediant. Quum Episcopus genuflectit, syrmam statim ad terram extendit, et ipse quoque post ejus extremitates genuflectit.[10]) Episcopo surgente prompte eam colligit et tenet ut prius. Dum Episcopus in sede manet, caudam extendit super eam, vel disponit meliori quo potest modo.

Feria sexta Parasceves ad adorationem Crucis cauda a ministro non sustinetur, sed ab Episcopo trahitur,[11]) potest tamen Caudatarius Episcopum sequi, ut ordinet caudam in via, si opus sit.

## Caput V.

### *De Ministro de libro.*

**52.** — 1. Hujus ministri officium est, libros, ex quibus Episcopus (Praelatus) est lecturus vel cantaturus,

[5]) Ibid. — [6]) *Martinucci*, lib. 6. Appendix. — [7]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 78. ad 4. — [8]) *Herdt*, ibid. ad 2. — [9]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 2. pag. 8. nota. — [10]) *Herdt*, ibid. n. 81. — [11]) *Caer. Ep.*, lib. 2. cap. 26. n. 11.

praeparare et signacula recte disponere, ne postea in functione indecenter huc illuc folia volvere cogatur.[1])

2. Ad altare locus ejus est ad credentiam, in via vero incedit post[2]) Celebrantem. Librum semper clausum defert ambabus manibus ab inferiori parte positis, superiori libri parte super pectus quiescente, eumque tantum aperit, quum ante Episcopum (Praelatum), reverentia prius facta, se praesentat; claudit vero, antequam recedat et reverentiam faciat.[3])

3. Accedendo et recedendo semper cum ministro de candela procedit, uterque juxta se invicem incedit, easdemque reverentias eodemque tempore facit. In officio suo regulariter stat ante faciem Episcopi et librum apertum ante faciem ejus ambabus manibus super caput suum ab inferiori parte sustinet, genuflexus, quando Episcopus sedet, stans, ipso stante.[4])

4. Librum tenens ante Episcopum (Praelatum) immobilis stat, nec genuflectit, v. g. ad *Incarnatus est*, nec caput inclinat, etiamsi omnes aut genuflectant aut se inclinent, nam legile immobile repraesentat.[5]) Similiter nec folia vertit, quod est Presbyteri assistentis vel Diaconi aut Subdiaconi Missae.[6])

5. Quum juxta Caer. Ep. lib. 1. cap. 7. n. 1. et cap. 11. n. 3. et varia S. R. C. decreta Presbyter assistens librum supra caput sustinere debeat, quotiescunque Episcopus extra altare aliquid alta voce cantat, non autem quando legit[7]); ideo minister de libro ante intonationem Hymni angelici, ante Orationes cantandas et ante intonationem Symboli tempestive librum Presbytero assistenti tradat, eumque in sustinendo libro adjuvet, intonatione peracta autem librum iterum recipiat et ipse sustineat.[8]) Si autem Presbyter assistens quacunque ex causa librum non sustineat, minister per se ipsum hoc faciat.

---

[1]) *Caer. Ep.* lib. 1 cap. 11. n. 3. — [2]) *Schober*, Caer. art. 9. cap. 3. n. 2. — [3]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 72 ad 2. — [4]) *S. R. C.* 28. Aug. 1762. — [5]) *Caer. Ep.* l. c.; *Martinucci*, lib. 5. cap. 9. n. 104. — [6]) *Mühlbauer*, l. c. pars 1. cap. 2. § 6. n. XI. — [7]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 56. c. et n. 72. ad 7. — [8]) *Bauldry*, pars 5. cap. 11. art. 2.

## Caput VI.

### *De Ministro de bugia.*

**53.** — 1. Bugia, quae dicitur etiam palmatoria, seu scotula, seu lumen fidei, vel simpliciter candela, est instrumentum aliquod parvum, plerumque argenteum, in quo candela accensa desuper ponitur.[1])

2. Ad bugiam sustinendam destinatur specialis minister, qui superpelliceo indutus eam ministrat, quandocunque Episcopus in sacris functionibus sive publicis sive privatis e libro legit aut cantat, sive ad altare sive ad sedem, etiamsi aër sit lucidus, ita ut lumine opus non sit ad legendum.[2])

3. Tenet et defert eam dextera ad altitudinem libri, sinistra pectori admota, et quidem genuflexus simul cum ministro de libro, si Episcopus sedens legat, stans vero, si Episcopus stet. Non est autem necessarium, ut bugiam semper deferat, sed dum opus non est i. e. quando Episcopus non legit, eam in loco decenti et congruo (e. g. in credentia) deponere potest.[3])

4. Accedendo et recedendo ante altare et Episcopum genuflectit simul cum ministro de libro, minime autem genuflectit tempore, quo Episcopus s t a n s e libro legit vel cantat, etiamsi tunc alii omnes ipseque Episcopus genuflectant.[4])

5. Si bugiam ministrat apud sedem, se sistit ad dexteram Episcopi i. e. ad sinistram librum ministrantis[5]); ad altare vero ad hujus dexteram vel sinistram secundum loci circumstantias et commoditatem Celebrantis.

6. Bugiae usus est etiam in functionibus pontificalibus pro defunctis.[6])

## Caput VII.

### *De Ministro de mitra.*

**54.** — 1. Minister serviens ad mitram, superpelliceo mundo indutus, velum oblongum sericeum a collo

---

[1]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 73. ad 1. — [2]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 20. n. 1. — [3]) *Herdt*, l. c. ad 2. — [4]) *Herdt*, l. c. ad 5. — [5]) Cf. *Schober*, Caer. art. 10. cap. 3. ad II. not. 3. — [6]) *Herdt*, l. c. I. n. 168. ad *a*; *Martinucci*, lib. 5. cap. 22. n. 5.

pendens gerat, quo utitur ad mitram sustinendam, ne illam nudis manibus tangat,[1]) nisi forte utatur chirothecis, quod quidem est contra legem, quum chirothecis uti Episcoporum sit privilegium.[2])

2. Mitram ambabus semper manibus ante pectus non pronam, sed erectam et elevatam ita teneat, ut summitas ejus fere ad oculos perveniat et cottae (infulae) versus seipsum pendeant.[3])

3. Locus ejus est a dexteris Episcopi vel Praelati. Dum igitur Episcopus (Praelatus) est ad altare, stat in cornu Epistolae ante gradus anteriores altaris, ita ut inter ipsum et altare intercedat aliquod spatium; dum autem Episcopus (Praelatus) est ad sedem, stat a dexteris Diaconi assistentis primi, qui est a dexteris Episcopi (Praelati). In via autem semper incedit immediate post Episcopum (Praelatum), sive mitram teneat[4]) sive non.[5])

4. Accedendo et recedendo et transeundo ante altare et Episcopum genuflectit sicut ceteri ministri inferiores, et pari modo cum aliis genuflectit utroque genu, quandocumque est genuflectendum, ergo etiam ad psalmum *Judica* et Confessionem in exordio Missae, etiamsi mitram teneat.[6]) Consule n. 55. ad 4.

5. Mitram ipse immediate nec imponit nec desumit, officium est hoc Diaconorum assistentium et Diaconi Missae. Dum enim Episcopus est in throno, primus Diaconus assistens eam imponit et secundus eam aufert; ad altare autem Diaconus Evangelii eam imponit et aufert, nisi sit impeditus, uti post altaris thurificationes, quo in casu primus Diaconus assistens mitram imponit.[7])

6. Celebrans in Missa pontificali utitur mitra: *a)* quotiescunque ad altare procedit, sive e sacristia sive a sede, et vice versa; *b)* quando in sede sua sedet, sive e missali legat e. g. Epistolam, Graduale, Evangelium,

---

[1]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 6. — [2]) *Herdt*, Prax. Pont. l. n. 70. — [3]) Ibid. n. 75. ad 4. — [4]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 33. n. 9. — [5]) *Schober*, Caer. art. 10. cap. 4. n. 3.; *Herdt*, l. c. n. 75. ad 3. — [6]) *Herdt*, l. c. n. 75. ad 5. — [7]) *Herdt*, l. c. Etiam in hac re varii in variis locis irrepsere abusus, e. g. ut unus idemque Diaconus assistens semper offerat et auferat mitram, sive ad altare sive ad thronum.

sive non legat, exspectans scilicet finem cantus et musicae v. g. lecto Introitu, dictoque Hymno angelico et Symbolo; *c)* quotiescunque incensatur sive ad altare v. g. ante Introitum et post Offertorium, sive in sede v. g. in Vesperis, excepta incensatione post Evangelium a Diacono cantatum, quam accipit nudo capite; *d)* quotiescunque infra Missam manus lavat, ergo nec ante initium nec post finem Missae, quia tunc utitur birreto; *e)* in benedictionibus solemnibus.

7. In Missis coram exposito ss. Sacramento non adhibetur mitra et tunc in accessu ad altare expositionis, simulac pervenit in conspectum Sanctissimi, mitram deponit et reassumit eam demum post Missam, quum venerit e conspectu Sanctissimi.

## Caput VIII.

### *De Ministro de baculo.*

**55.** — 1. Minister de baculo, superpelliceo indutus, baculum pastoralem tenet parte curva ad populum conversa ambabus manibus a terra elevatum, ac si Crucem deferret.[1])

2. Quum baculum tenet, incedit immediate ante Episcopum [2]); quum autem Episcopus eum defert, minister Pontificem sequitur cum ministro de mitra.[3])

3. Locus hujus ministri est semper ad sinistram Pontificis, ergo ad altare in cornu Evangelii in plano ante gradus anteriores altaris, ita ut inter ipsum et gradus sit aliquod spatium, ad sedem vero juxta Diaconum assistentem secundum.

4. Genuflectit utroque genu: *a)* ad psalmum *Judica* et Confessionem ineunte Missa [4]); *b)* a *Sanctus* usque ad elevationem inclusive; *c)* ad benedictionem pontificalem et sacramentalem [5]); *d)* ad lotionem manuum Episcopi.[6]) Quoad reliquas genuflexiones recole n. 42.

---

[1]) *Bauldry,* pars 5. art. 5. n. 2. — [2]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 5. et cap. 17. n. 6. — [3]) *Herdt,* Prax. Pont. I. n. 74. ad 4. — [4]) *Herdt,* l. c. II. n. 133. — [5]) *Mühlbauer,* pars 1. cap. 2. § 9. n. 7. — [6]) *Herdt,* l. c. I. n. 71.

5. Minister baculum tradit et recipit semper immediate[7]) et debitis cum osculis, quae oscula omittuntur coram exposito ss. Sacramento. Recole n. 42. ad 8. Tradit eum in sinistram et tunc partem curvam ad se convertit, ut Episcopo vel Praelato illum accipiente, pars curva ad populum sit conversa.[8]) Si baculus et mitra eodem tempore deponi debeant, baculus recipiatur ante depositionem mitrae.[9]) Ceterum in tradendo et recipiendo baculo Episcopi genuflectit i. e. accedit ad Episcopum, genuflectit, se erigit, osculatur hastilem baculi et manum Episcopi baculum accipientem, deinde paululum regressus, genuflectit et recedit ad locum suum.[10]) Quod abservat etiam in receptione baculi. In traditione et receptione baculi Praelatorum Episcopo inferiorum autem non genuflectit.

6. Offert baculum: *a)* ante exitum e sacello vel sacristia ad altare et ante recessum ab altari in sacristiam; *b)* ante accessum a sede ad altare et vice versa, etiam infra Missam; *c)* immediate ante Evangelium a Diacono cantandum ad verba *Dominus vobiscum; d)* ad benedictiones solemnes post verba *Benedicat vos omnipotens Deus.*

7. Recipit baculum: *a)* immediate post Celebrantis accessum ad altare sive e sacello vel sacristia sive a sede et vice versa; *b)* decantato a Diacono Evangelio ante incensationem Celebrantis[11]) et ante[12]) osculum libri; *c)* in vesperis pontificalibus post incensationem Episcopi vel Praelati in sede.

8. Baculi usus cessat in Parasceve et in officiis et Missis pro defunctis[13]); est enim insigne jurisdictionis episcopalis, quae cessat quoad defunctos.

## Caput IX.

### *De Thuriferario.*

**56.** Thuriferarii est, ignem praeparare, nutrire et conservare, thuribulum continuo quidem sed leviter

---

[7]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 5. Cf. *Schober*, Caer. art. 10. cap. 3. not. 3. — [8]) *Herdt*, l. c. I. n. 74. ad 3. — [9]) *Herdt*, l. c. II. n. 133.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 30. — [10]) *Falise*, pag. 286. n. 8. — [11]) *S. R. C.* 4. Sept. 1875 ad 4. — [12]) *Martinucci*, lib. 5. cap. 9. n. 101. — [13]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 17. n. 9.

tantum agitando.[1]) Ipsius etiam est, nisi adsit specialis Navicularius, naviculam praeparare cum thure sufficienti et cochleari parvo. Curet, ut semper praesto sit cum thuribulo et navicula, quotiescunque thus imponendum est, ne sacra functio incommode interrumpatur propter thuribuli absentiam.

Imponitur autem thus in Missa solemni: *a)* ante Introitum, postquam Celebrans ascendit gradus altaris; *b)* post lectum a Celebrante Evangelium, antequam illud cantetur a Diacono; *c)* ad Offertorium, oblato et deposito calice; *d)* ante Consecrationem. Thus imponere in sacristia ante Missam solemnem, non est de praecepto, utpote quae injectio thuris praescribitur a Rubricis solummodo ante Missam pontificalem in casu, quo Pontifex paramentis induitur non in throno sed in sacello vel in sacristia.[2]) Si nihilominus Celebrans ob vigentem consuetudinem velit imponere ante egressum e sacristia, Thuriferarius praesto sit, naviculam tradat Diacono, thuribulum vero ipse ministret Celebranti.

**57.** Thus regulariter non imponitur a Thuriferario ipso, sed vel a Celebrante vel ab Episcopo, si Missae assistat in throno non autem in choro, praeterquam ad elevationem, ubi Caeremoniarius[3]) thus injicit, et in processionibus longioribus, in quibus interdum thus ingeri potest vel a Caeremoniario vel ab alio Acolytho ad hoc destinato vel ab ipso Thuriferario,[4]) ne fumus deficiat. Celebrans et Episcopus regulariter benedicunt thus impositum, ceteri vero imponunt absque benedictione.[5])

Ad impositionem thuris Thuriferarius ipse ministrat thuribulum, naviculam vero vel Diaconus, si a Celebrante imponendum sit ad altare aut ab Episcopo assistente in faldistorio,[6]) vel Presbyter assistens, si imponatur ad sedem, ut in Missa pontificali,[7]) vel in

---

[1]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 76. ad 2. — [2]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 23. 25. — [3]) *Martinucci.* lib. 1. cap. 7. § 3. n. 35. et lib. 2. cap. 4. n. 180. et lib. 5. cap. 9. n. 128.; *Baldeschi*, p. 187. n. 8.; *Herdt*, Prax. Pont. n. 182. — [4]) *Carpo*, pars. 3. n. 178.; *Herdt*, S. Lit. Prax. III. n. 320. — [5]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 18. — [6]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 76 ad 4. et III. n. 305. — [7]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n 1.; Cf. *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 76 ad 4.

Missa solemni coram Episcopo habente Presbyterum assistentem.[8]) Vide n. 104. ad 4.

Caveat Thuriferarius omni in casu, ne thuribulum claudat, antequam thus impositum benedictum sit. Advertat etiam, quod Episcopo thus injicienti thuribulum ministret genuflexus,[9]) Canonicis et Dignitatibus aliisque Episcopo inferioribus vero stans,[10]) sive sit Sanctissimum expositum sive non.

In ministrando thuribulo ad impositionem thuris, manu sinistra tenet manubrium thuribuli, manu dextera autem elevat thuribuli operculum mediante catenula adnexa, quam deinde pollice et indice manus sinistrae apprehensam sustinet. Tunc dextera thuribuli pedem infra accipit et vas cum prunis accensis elevat ad altitudinem naviculae i. e. manus imponentis, sinistra manubrium tenente interim pectori applicata, et sic permanet, donec thus immissum et benedictum sit.

**58.** Ante et post thurificationem fit capitis inclinatio tum ab Incensatore tum a Thuriferario ipsi assistente. Quae inclinatio major est vel minor secundum incensandi dignitatem.[11]) Inclinationes ante et post incensationem nunquam omittuntur, nec coram ss. Sacramento exposito, quia non sunt actus reverentiae sed invitationis.[12]) Consule n. 82.

Scire debet Thuriferarius, a quonam faciendae sint incensationes, ut sciat, cuinam et quando sit ministrandum thuribulum. Incensationes in Missa solemni fiunt a Celebrante, a Diacono, a Thuriferario, in Missis pontificalibus etiam a Presbytero assistente. Celebrans bis incensat in Missa, videlicet ante Introitum altare, post Offertorium Crucem, Oblata et altare. Diaconus incensat *a)* librum ante Evangelium cantandum; *b)* Celebrantem ter in Missa: post primam incensationem altaris, post Evangelium cantatum, post secundam incensationem altaris ad Offertorium; *c)* chorum peracta incensatione altaris et Celebrantis ad Offertorium; *d)* Subdiaconum

---

8) *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 159. — 9) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 76. ad 4. — 10) *S. R. C.* 4. Apr. 1699 ad 8. — 11) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 20. — 12) *Martinucci*, lib. 2. cap. 7. n. 6.

post incensatum chorum. **Presbyter assistens** semel tantum incensat, videlicet Celebrantem post Evangelium a Diacono cantatum in Missa pontificali.

Hisce ergo Thuriferarius thuribulum tempestive ministret, sed diversimode. Celebranti incensaturo thuribulum a Thuriferario non immediate ministratur, sed imposito a Celebrante thure, Thuriferarius tradit thuribulum Diacono, qui illud offert Celebranti.[13]) Advertat Thuriferarius, quod offerendo thuribulum Diacono, catenularum summitatem tradat in dexteram ejus, catenularum inferiorem partem vero in sinistram, ut Diaconus illud modo contrario in manus Celebrantis commode porrigat. Ceteris incensaturis autem tradit thuribulum immediate et tunc ponit catenularum summitatem in sinistram, earumdem inferiorem partem juxta operculum vero in dexteram Incensatoris.[14])

**59.** Thuriferarius ipse in Missa solemni incensat: *a)* incensato a Diacono choro et Subdiacono ad Offertorium, Diaconum stantem in loco suo in gradibus altaris duobus ductibus vel unico tantum secundum consuetudinem. Consule n. 87. n. 6.; *b)* incensato ad Offertorium Diacono, Acolythos stantes ad credentiam per modum unius i. e. omnes simul unico ductu; *c)* incensatis Acolythis et facta ad altare genuflexione, populum, stans in medio presbyterii prope aditum, vel, si ss. Sacramentum sit expositum, in alterutro latere presbyterii, triplici ductu, in medio, ad sui sinistram et ad sui dexteram cum inclinatione ante et post incensationem; quibus absolutis genuflectit versus altare et revertitur ad credentiam; *d)* ss. Hostiam et Calicem ad elevationem genuflexus utroque genu ad cornu Epistolae in plano tribus ductibus, primo dum Celebrans genuflectit, secundo dum elevat ss. Hostiam aut Calicem, tertio dum deponit. Ante et post triplicem incensationem uniuscujusque Speciei facienda est profunda capitis inclinatio.[15]) Consule n. 84.

---

[13]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 7. § 3. n. 19. 31.; *Baldeschi*, pag. 185. n. 2. — [14]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 15.; *Herdt*, S. Lit. Prax. II n. 14. ad 5.; *Carpo*, II. n. 208. — [15]) *Herdt*, l. c. n. 15. ad 5.

**60.** Quando non ipse Thuriferarius, sed alius praeter Celebrantem incensat, tunc Incensatori se adjungit a sinistris ejusdem, faciens debitas cum eodem reverentias. Dum ergo Evangelio cantato in Missa solemni Diaconus vel in Missa pontificali Presbyter assistens Celebrantem incensat, Incensatori adstat a sinistris. Similiter Diaconum pergentem ad chorum incensandum comitatur a sinistris praecedendo [16] et in thurificatione chori se sistit pariter a sinistris ejus. A dexteris tamen Incensatoris potest stare, dum Diaconus incensat librum Evangeliorum.[17] A dexteris facie ad librum conversa stet etiam, dum cantatur Evangelium, sed paululum retro, thuribulum non agitet,[18] sed claudat, ne Diaconus fumo molestetur in cantando Evangelio.

**61.** In via incedit omnium primus etiam ante Ceroferarios et Cruciferum,[19] nisi incenset Sanctissimum, quo in casu incedit immediate ante Sanctissimum cavens, ne tergum vertat ss. Sacramento, dum incensat. Ad altare locus ejus est ad credentiam inter Acolythos, ubi genuflectit utroque genu in plano infra Confessionem, a *Sanctus* usque ad elevationem inclusive, ad benedictionem, nec non quando chorus genuflectit, nisi interim aliquid agendum habeat. Alio tempore stat.[20] Dum ante cantum Evangelii Celebrans benedictionem impertit Diacono Evangelium cantaturo, Thuriferarius simul cum Caeremoniario et duobus Ceroferariis accedit ad medium altaris ante gradus, ubi omnes ita se sistunt, ut triplex series efficiatur, prima altari proxima Ministrorum sacrorum, secunda Caeremoniarii et Thuriferarii, tertia duorum Ceroferariorum. Finito cantu Gradualis, simul cum ceteris genuflexione facta, vadit ad locum, ubi cantari solet Evangelium ibique se sistit a dexteris Diaconi sicut dictum est n. 60. Si infra Evangelii cantum genuflectendum sit, Thuriferarius (et Caeremoniarius) genuflectit non versus librum, sicut Diaconus, sed versus altare.[21] Item ad Nomen Jesu profunde caput inclinat

---

[16]) Ibid. ad 4. — [17]) *Carpo*, II. n. 202.; *Herdt*, l. c. ad 3.; *Van der Stappen*, S. Liturg. ser. 1. cap. 2. n 19. — [18]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 1. n. 16. — [19]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 16. n. 15. — [20]) *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 14. ad 2. — [21]) *Rub. gen.* miss. XVII. n. 4.

versus altare, ad nomen Mariae vel Sancti autem versus librum, sicut Caeremoniarius.[22]) Quoad reliquas genuflexiones vide reg. gen. pro ministr. inf. n. 42. ad 2—8.

**62.** In processionibus ss. Sacramenti in Coena Domini, Feria sexta Parasceves et festo Corporis Christi nec non in translatione Reliquiarum insignium praescribuntur in Caeremoniali Episcoporum duo Thuriferarii seu Incensatores.[23]) Incedunt facie quasi semiversa ad ss. Sacramentum, thuribulum lente ducunt.[24]) Qui est a latere dextero, dextera catenularum summitatem tenet, sinistra thuribulum movet; qui autem incedit a latere sinistro, sinistra catenularum summitatem tenet, dextera thuribulum movet. Caveant, ne terga vertant ad Sanctissimum.

**63.** In Missis de Requiem in accessu ad altare more solito Thuriferarius praecedit[25]) omnes, sed absque thuribulo. Omittitur prima incensatio altaris ante Introitum et incensatio libri ante Evangelium cantandum. Ad Offertorium incensantur tantum Crux, Oblata, altare et Celebrans, non autem chorus neque assistentes. Ante Consecrationem, thure imposito a Caeremoniario, Thuriferarius thuribulum tradit Subdiacono, qui ad elevationem ss. Sacramentum thurificabit more solito. Genuflectit in his Missis Thuriferarius utroque genu ad Confessionem sicut in aliis Missis solemnibus, insuper ad orationes post Introitum, a *Sanctus* usque ad *Pax Domini* inclusive[26]) et ad orationes post Communionem.[27])

## Caput X.

### *De Caeremoniario.*

### *§ 1. Regulae.*

**64.** Tria praecipue requiruntur a Caeremoniario ad munus suum rite obeundum. Primo c u r a, ut omnia sint suo loco praeparata et congrue disposita, antequam

[22]) *Baldeschi*, pag. 200. sq. nota *a*; *Schober*, Caerem. art. 1. cap. 9. n. 7.; *Falise*, pag. 158. — [23]) Cf. *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 76. ad 1. — [24]) *S. R. C.* 15. Sept. 1742. — [25]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 7. § 9. n. 52. — [26]) *S. R. C.* 29. Dec. 1884 ad 11. — [27]) *Rub. gen.* miss. XVII. n. 5.

sacra quaelibet functio incipiat. Secundo vigilantia de singulis uniuscujusque officiis, ut amotis abusibus et defectibus sacrae caeremoniae juxta ritus ab Ecclesia receptos et approbatos ad amussim peragantur. Tertio absoluta rerum cognitio, quae in qualibet functione agendae sint, ut omni decore et dignitate eas dirigere et moderari possit.[1])

Locus determinatus infra Missam ei assignari nequit, quum de ratione officii sui sit, omnia ordinare, ita ut modo unum modo alium occupet locum, prout judicat opportunum. Regulariter quando nihil habet faciendum, stat vel ad credentiam vel ad gradus anteriores altaris ad cornu Epistolae. Induitur superpelliceo,[2]) birreto non utitur.[3]) In munere suo exercendo has observet regulas:

**65.** — 1. Caeremoniarii est, curam gerere circa Celebrantem ejusque Ministros, ut eis praesto sit, si quid petant, aut de aliqua re sint admonendi.[4])

2. Quum aliquem invitat ad quid faciendum, coram ipso se constituit eique caput inclinat plus minusve pro personae qualitate. Item si alicui quid sit ministrandum, offerendum aut indicandum, ante et post reverentiam exhibet per capitis inclinationem personae dignitati debitam.

3. Ipsius est etiam ducere et reducere Diaconum et Subdiaconum aliosque tam majores quam minores Ministros, quorum opera requiritur, excepto Diacono, dum ad altare defert librum Evangeliorum et bursam, et Subdiacono, dum ante Offertorium ad altare defert calicem eumque post Communionem inde refert.[5])

---

[1]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 15. n. 3. sq.; *Carpo*, pars 1. n. 53. — [2]) *S. R. C.* 10. Apr. 1876. ad 2. — [3]) *S. R. C.* 17. Jul. 1734. — [4]) *Bauldry*, pars 1. cap. 1. art. 1. n. 9. — [5]) Contendunt nonnulli, Caeremoniarium debere conducere Diaconum ad altare deferentem librum Evangeliorum et bursam, provocantes ad Caer. Ep. lib. 1. cap. 5. n. 6. Ast perperam! Nam locus ipse, ad quem provocant, contradicit. Ibi enim legitur: »Alia vero nonnulla, quae ad ipsum Caeremoniarii Officium spectant velut ... ducere et reducere Diaconum et Subdiaconum ... *inferius suis quaeque locis in operis cursu exponentur.*« Atqui nullibi legitur in Caer. Ep., Caeremoniarium deducere debere Diaconum in supradictis casibus. Quinimo

4. Aliquem conducens nunquam eum sequitur, neque si locus sit angustus, sed semper praecedit paululum a sinistris ejus, quem conducit.[6] Si sit genuflectendum vel inclinandum, ipse quasi praeeundo prius genuflectit aut se inclinat. Ad locum destinatum quum pervenerit, paululum consistit a sinistris ejus, quem comitatus est, ut hic possit praecedere. In locum suum reducto caput inclinat, antequam discedat, in signum reverentiae.

5. Si quem monere oportet, id faciat modeste, submissa voce ac solo nutu etiam levissimo, imo, si potest, aliorum defectus ipse corrigat et suppleat.

6. Accedendo, recedendo et transeundo ante altare et Celebrantem debitas faciat reverentias, altari simplicem genuflexionem in plano,[7] Celebranti profundam capitis inclinationem, nisi sit Episcopus ordinarius, ante quem genuflectit. Recole n. 42. ad 3.

### *§ 2. De officio Caeremoniarii in Missa solemni.*

**66.** — 1. Omnibus paratis Caeremoniarius dat signum accedendi ad altare. Alios praeveniendo facit reverentiam Cruci, salutat Celebrantem et procedit ad altare post Ceroferarios. Ad altare quum pervenerit, sistit se in plano ad cornu Epistolae, accipit birreta a Celebrante et Ministris et genuflectit in plano simul cum istis. Birreta deponit in sedibus tribus locis distinctis.

2. Si facienda sit Aspersio aquae benedictae, Diacono tradit aspergillum madefactum nec non libellum vel tabellam cum ritu Aspersionis. Infra aspersionem altaris et Ministrorum sacrorum utrumque genu flectit, infra aspersionem chori autem stat simul cum reliquis ad credentiam, nisi forte Celebrantem cum Ministris comitetur in chorum.[1] Aspersione absoluta adjuvat, si

---

de Diacono bursam deferente ad altare expresse dicitur »incedens solus« Caer. Ep. lib. 1. cap. 9. n. 3. Accedit consensus omnium fere auctorum, qui dicunt, Diaconum solum incedere debere in dictis casibus. — [6]) *Bauldry,* l. c. n. 13. — [7]) *Herdt,* Prax. Pont. II. n. 180.

[1]) *Schober,* Caerem. art. 7. n. 8.

opus sit, Celebrantem in deponendo pluviali nec non in induenda casula et manipulo.

3. Ad Confessionem reliquasque preces in exordio Missae in genua procumbit in plano, sese inclinans et pectus percutiens sicut ceteri. Facta Confessione et Celebrante ad altare ascendente, ducit Thuriferarium ad altare, praemissa in plano genuflexione, et assistit ad incensi impositionem. Deinde genuflexione praemissa amovet missale cum cussino, nisi adsit alius hoc faciens, descendit in planum et conversus ad altare sustentat librum donec Celebrans cornu Epistolae incensaverit. Tum suppedaneum ascendit, missale reponit, genuflectit et iterum descendit. Ad Introitum Celebranti ipse non assistit, sed Diaconus.[2])

4. Ad hymni *Gloria* recitationem et cantum stat ad credentiam. inclinans caput ad verba inclinationem exposcentia, scilicet ad: *Deo — Adoramus Te — Gratias agimus Tibi — Jesu Christe — Suscipe deprecationem nostram — Jesu Christe.* In fine cruce se signat. Si sedendum sit, invitat, si necesse sit, Celebrantem et Ministros, ut pergant ad sedilia. Versus finem cantus hymni eos pariter invitat, ut redeant ad altare. Dicto a Celebrante *Dominus vobiscum* genuflectit et ascendit ad cornu Epistolae, ut ostendat Celebranti orationes foliaque vertat. Ad conclusionem ultimae orationis descendit et de credentia accipit librum Epistolarum, apponens dexteram aperturae et sinistram dorso libri prope medietatem. Appropinquans Subdiacono, facta inclinatione ei tradit librum et statim a sinistris ejus accedit ad altaris medium, ubi simul cum eo in plano genuflectit. Mox cum Subdiacono accedit ad locum, ubi Epistola cantatur, ibique ei assistit a sinistris,[3]) Epistolam indicans et folia vertens, si opus sit. Epistola cantata respondet *Deo gratias*, Subdiaconum reducit ad altaris medium ante gradus, ibique facta genuflexione in plano, eumdem ad Celebrantem in cornu Epistolae comitatur ad benedictionem recipiendam. Subinde accedit ad credentiam.

[2]) *Rit. cel.* miss. IV. n. 7. — [3]) *Martinucci*, lib. 2. cap. 4. n. 89.; *Carpo*, pars 2. n. 202.

5. Lecto submissa voce a Celebrante Evangelio, Caeremoniarius comitatur Thuriferarium per gradus laterales ad Celebrantem et assistit ad thuris impositionem ut ante Introitum. Thure imposito thuribulum non accipit, sed genuflexione facta descendit cum Thuriferario ad credentiam. Dum Celebrans benedicit Diaconum Evangelium cantaturum, adducit Thuriferarium et Ceroferarios ante altare in medium presbyterii, ita ut triplex series efficiatur, prima scilicet altari proxima Ministrorum sacrorum, secunda remotior Caeremoniarii et Thuriferarii et tertia remotissima duorum Ceroferariorum.[4]) Postquam Diaconus ante infimum gradum descendit ac finito cantu Gradualis, omnes simul genuflectunt et Caeremoniarius eos ducit ad cornu Evangelii ante gradus altaris, ubi Evangelium cantari solet. Ibi disponit Ceroferarios, primum a dexteris, secundum a sinistris Subdiaconi librum tenentis. Ipse se sistit ad sinistram [5]) Diaconi, cui textum Evangelii indicat, si opus sit, se signat et folia vertit. Infra Evangelium ad nomen Mariae et Sancti se inclinat versus librum, ad ss. Nomen Jesu autem versus altare; si sit genuflectendum genuflectit pariter versus altare.[6]) In fine Evangelii respondet *Laus tibi Christe* et, non exspectata incensatione Celebrantis, cum Ceroferariis, genuflexione ante gradus altaris facta, vadit ad credentiam in transitu recipiens a Subdiacono librum a Celebrante osculatum.

6. Ad *Credo* se gerit ut ad Hymnum angelicum. Dum recitantur a Celebrante verba *Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine et homo factus est*, simpliciter genuflectit; dum vero ista verba a choro cantantur, utroque genu procumbit et caput profunde inclinat, sive sit sessio sive non, dein assurgit. Si sit sessio, decantatis supra dictis verbis, accedit ad Diaconum, quem capitis inclinatione invitat, ut accedat ad credentiam capiatque [7]) bursam cum Corporali. Qua

---

[4]) *Baldeschi*, II. pars I. cap. 4. n. 14.; *Schober*, Caer. art. 1. cap. 9. n. 7. — [5]) *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 10.; *Carpo*, l. c. — [6]) *Rub. gen.* miss. XVII. n. 4. — [7]) Diaconus ipse bursam cum Corporali accipit, non ei traditur a Caeremoniario. Cf. *Rit. cel.* miss. VI. n. 7.

accepta eum non [8]) comitatur ad altare, sed in loco suo stat ad credentiam. Si vero non sit sedendum, exspectat ad credentiam Diaconum venientem ad accipiendam bursam, vel, si opus sit, accedendo ad Diaconum invitat eum, ut hoc faciat, subinde se gerit, ut supra.

7. Dicto ante Offertorium a Celebrante *Oremus*, accedit ad Subdiaconum in loco suo stantem eumque invitat capitis inclinatione, ut accedat ad credentiam. Ibi velum oblongum super ejus humeros et super calicem ad altare deferendum adaptat.[9]) Oblatione facta ad thus imponendum simul cum Thuriferario more solito accedit ad Celebrantem. Inde reversus transit per planum, genuflexione in medio facta, ad cornu Evangelii, ut amoveat infra incensationem altaris missale, sicut ante Introitum, nisi per alium hoc fiat. Incensatur in loco, ubi reperitur, regulariter ad credentiam.

8. Dicto *Orate fratres* accedit per gradus laterales ad missale in cornu Evangelii, ut Celebranti assistat in legendis Secretis et Praefatione. Finita Praefatione, dum Ministri sacri ad latera Celebrantis ascendunt, ipse a libro recedit, genuflexione praemissa per gradus laterales descendit et in medio ante gradus genuflectens transit ad credentiam vel ad anteriores gradus altaris in cornu Epistolae ibique deinceps permanet in genua provolutus. Paulo ante Consecrationem thus imponit in thuribulum a Thuriferario sibi ministratum.[10]) Elevatione absoluta simul cum ceteris assurgit.

9. Quum Diaconus post elevationem ad dexteram Celebrantis transit, Caeremoniarius per planum accedit ad medium altaris retro post Subdiaconum, genuflectit, transit ad cornu Evangelii, ascendit per gradus laterales ad sinistram Celebrantis, quocum genuflectit ibique stat ad Orationem Dominicam librum tenens et folia vertens, donec dicto a Celebrante *Pax Domini* supervenerit Subdiaconus, cui locum cedit, aliquantulum recedens versus cornu Evangelii sine genuflexione.

---

[8]) Recole dicta n. 64. ad 3. — [9]) *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 181. et S. Lit. Prax. II. n. 16. ad 4.; *Baldeschi*, II. pars 1. cap. 4. n. 18. — [10]) Recole n. 57.

10. Ad *Agnus Dei* percutit pectus, sicut ceteri. Facta subinde simul cum Subdiacono genuflexione, sinistrorsum se vertens, descendit [11]) per gradus laterales cornus Evangelii in planum, vadit in medium retro post Subdiaconum, ubi exspectat, donec iste Pacem a Diacono acceperit. Deinde genuflectit cum Subdiacono, quem statim ad dandam Pacem comitatur in chorum [12]) ex cornu Epistolae.[13]) Chorales non salutantur ob praesentiam Sanctissimi in altari. Distributa Pace a Subdiacono ambo revertuntur per cornu Evangelii [14]) ad altare, ubi ante medium facta genuflexione Caeremoniarius Pacem accipit a Subdiacono et iterum facta genuflexione eam defert Acolythis stantibus ad credentiam et Clericis congregatis in scamnis inferioribus chori cuique primo in ordine. Deinde accedit ad credentiam, ubi infra Communionem caput profunde inclinat.

11. Purificatione Celebrantis peracta, velum calicis de credentia acceptum ambabus manibus ante faciem tenens transfert [15]) per planum ad Subdiaconum stantem in cornu Evangelii non omittendo in transitu genuflexionem in medio ante gradus. Ad Antiphonam, quae dicitur Communio, et ad Postcommunionem assistit Celebranti orationes indicans et folia vertens. Ad benedictionem in fine Missae in genua procumbit, absoluto ultimo Evangelia birreta ministrat et facta genuflexione in plano revertitur simul cum aliis in sacristiam eodem prorsus ordine, quo venerat.

## Caput XI.

### *De officio duorum Clericorum in Missa cantata assistentium.*

**67.** Non licet Clerico, etiam in ordinibus minoribus constituto, extra casum praecisae necessitatis in Missa solemni Subdiaconi vice fungi [1]); permittitur

[11]) *Baldeschi*, l. c. n. 23. — [12]) Supponitur chorus post altare. — [13]) *Carpo*, pars 2. n. 195. — [14]) Ibid. — [15]) Haec translatio veli calicis fit a Caeremoniario saltem tunc, quando non fit per Acolythum.

[1]) *S. R. C.* 5. Jul. 1698 ad 18.; 18. Dec. 1784 ad 1.; 22. Jul. 1848 ad 5. Hujusmodi absolutae necessitatis casus daretur e. g. si

tamen, ut »Celebrans in Missa cantata sine Ministris sacris adhibere possit ministrum, qui folia vertat et calicem discooperiat ipsumque mundet, vinum et aquam infundat, eumdemque calicem infra actionem palla cooperiat et discooperiat juxta opportunitatem nec non ipsum tergat post Communionem, suisque ornamentis instruat.«[2]) Non requiritur necessario minister in sacris constitutus, sed sufficit minister acolythus, imo si talis haberi nequeat, permittitur etiam simplex Clericus, tonsuratus tantum.[3]) Quum nonnunquam contingat, ut in regionibus Sacerdotibus carentibus adsint Clerici, admittant eos Parochi, ut sibi in Missis cantatis assistant, ne ob penuriam Sacerdotum diebus festivis desit exoptata solemnitas.

**68.** In sequentibus traduntur regulae pro duobus Clericis assistentibus in Missa cantata. Hos in Missa cantata permitti, ait cl. Herdt, patet ex decreto S. R. C. 12. Sept. 1857 dub. 7., quo duo ministri in Missa lecta tolerantur ratione solemnitatis.[4]) Si unus tantum praesto sit Clericus, ipse ex mandato Rubricae[5]) cantabit Epistolam, reliqua vero, praecipue quae pertinent ad folia vertenda, calicem cooperiendum, discooperiendum, mundandum et tergendum, vinum et aquam infundendam, ex permissione S. Rituum Congregationis peraget juxta opportunitatem.

Ad altare uterque habet locum suum, minister primus, qui incedit a dexteris, ad cornu Epistolae prope angulum graduum altaris in plano, minister secundus, qui incedit a sinistris, in cornu Evangelii prope angulum graduum altaris etiam in plano.

Praeter Epistolam a ministris nil canitur, nec Evangelium, nec *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino* vel *Requiescant in pace*, quae potius canuntur a Celebrante.

Sacrum solemne esset nuntiatum, et ille, qui vocatus fuit ad officium Subdiaconi peragendum, non adesset; non autem talis censeri posset, si Rector ecclesiae aut Parochus, praesente aliquo Clerico, ideo ut isti munus assistendi offerre posset, nollet, etiamsi posset, advocare aliquem in majoribus ordinibus constitutum. *Van der Stappen*, Sacr. Liturg. Caerem. pag. 74. — [3]) *S. R. C.* 25. Sept. 1875. ad 1. — [3]) *Eph. lit.* 1894. pag. 426. sq. — [4]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 300. ad III. — [5]) *Rit. cel.* miss. VI. n. 8.

Omittitur: *a)* omnis incensatio, nisi adsit Indultum apostolicum[6]); *b)* patenae sustentatio; *c)* Pacis distributio, nisi fiat cum instrumento,[7]) quod autem non est ubique in usu.

**69.** — 1. Ante Missam ministrorum primus collocat missale Celebrantis apertum in cornu Epistolae super pulvino vel legili, missale clausum pro cantanda Epistola vero in credentia. Deinde defert calicem ad altare eumque statuit in medio paulisper versus cornu Evangelii. Subinde corporale e bursa extrahit hancque manu dextera locat versus cornu Evangelii applicans eam candelabris vel ipsorum gradui; corporale ambabus manibus totaliter explicat et calicem velo suo decenter opertum in ejus medio collocat. Tum in accessu tum in recessu ne omittat debitas genuflexiones faciendas in medio ante gradus in plano.

2. Omnibus in sacristia praeparatis, ministri superpelliceis induti, candelabra non deferentes, manibus junctis ante pectus et nudo capite ante Celebrantem ad altare pares procedunt. Si aditus ad altare sit a cornu Epistolae, minister primus, quum ad altare pervenerit, unum vel duos passus ab infimo gradu recedit, ut Celebrans libere transeat, quod ex sua parte facit minister secundus, si aditus ad altare pateat a cornu Evangelii. Deinde uterque in loco suo ad altare in plano simpliciter genuflectit, sive Celebrans genuflectat, sive tantum se inclinet. Primus deponit birretum Celebrantis in loco apto extra altare.

3. Ad psalmum *Judica*, ad Confessionem et preces sequentes in exordio Missae ambo hinc inde in plano in genua procumbunt et Celebranti respondent. Deinde surgunt, ad cornu Epistolae accedunt et Celebranti ad Introitum assistunt,[8]) primus a dexteris Celebrantis, secundus a dexteris primi. Introitu absoluto accedunt ad loca sua.

4. Ad Gloria hinc inde juxta Celebrantem assistunt. Ad Orationes et Epistolam Celebranti assistit ministrorum

---

[6]) *S. R. C.* 18. Mart. 1874. ad 1.; 9. Jun. 1884. ad 6. — [7]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 204. *a.* — [8]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 300. ad III.

alter, qui et in fine Epistolae respondet *Deo gratias* et recitato Graduali missale per planum transfert ad cornu Evangelii, genuflexione in medio ante gradus facta. Circa finem ultimae Orationis minister primus accipit librum de credentia, et facta genuflexione in medio ante altare in plano, cantat Epistolam loco et more solito. Qua cantata non osculatur manum Celebrantis neque ab eo benedicitur, sed facta iterum genuflexione in medio ante altare ut prius, librum immediate defert ad credentiam [9]) et revertitur ad locum suum.

5. Ad Evangelium et Credo ambo Celebranti hinc inde assistunt et dum recitato a Celebrante Symbolo cantantur a choro verba *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est* simul cum Celebrante in genua procumbunt in ora suppedanei (in supremo gradu altaris) caputque profunde inclinant. Deinde assurgunt simul cum Celebrante et descendunt ad loca sua, genuflexione in medio ante gradus facta. [10])

6. Dicto a Celebrante ad Offertorium *Oremus* accedunt in plano ad medium altaris, ibique ante gradus genuflexione simplici facta, primus ascendit ad altare ad dexteram Celebrantis, alter pergit ad credentiam, ampullas aquae et vini inde ad altare delaturus. Minister primus potest calicem discooperire et extergere, nisi Celebrans ipse hoc faciat, atque vinum et nonnullas guttulas aquae infundit in calicem, guttas cuppae intus adhaerentes purificatorio digito indici obvoluto abstergit et calicem oblatum palla cooperit. Ad manuum lotionem unus ministrat ampullam aquae cum bacili, alter manutergium explicatum, inclinatione facta ante et post. Deinde genuflexi in medio infimo gradu respondent ad *Orate fratres*, quo dicto minister primus redit ad locum suum, alter vero ascendit ad sinistram Celebrantis eique assistit ad librum.

7. Ad elevationem ss. Sacramenti genuflexi in suppedaneo posteriorem partem casulae Celebrantis elevant. Minister primus ante Consecrationem vini calicem

[9]) *Rit. cel.* miss. VI. n. 8. — [10]) Si ad Gloria vel Credo sessio fiat, genuflexione in plano facta, Celebrantem ad sedem comitantur, ibique posteriorem partem casulae elevant, antequam sedeat.

discooperit et facta a Celebrante post elevationem genuflexione iterum cooperit. Post elevationem ambo consurgunt, minister secundus accedit ad missale, ibique Celebranti assistit usque ad Communionem inclusive, genuflectens quandocumque Celebrans genuflectit. Minister primus vero accedit ad dexteram Celebrantis ibique in ulteriori decursu Missae ter adhuc poterit discooperire et cooperire Calicem, videlicet: *a)* dicto *Nobis quoque peccatoribus*, postquam Celebrans ter Calicem et Hostiam signaverit; *b)* dicto *Pater noster*, postquam Celebrans cum patena sese signaverit; *c)* postquam Celebrans sumpto Corpore Christi meditationem absolverit. Ad quas functiones debite faciendas, minister advertat, ut post aperitionem et post cooperitionem Calicis semper cum Celebrante genuflectat, excepto tertio casu, quo Calicem non iterum cooperit, sed sumpto a Celebrante ss. Sanguine, primo vinum, dein vinum et aquam in calicem infundit. Ampullis restitutis, accedit ad cornu Evangelii, in transitu genuflexione in medio secundo gradu facta, calicem a Celebrante extersum (si Celebrans eum non exterserit, potest ipse eum purificatorio extergere) cooperit suisque ornamentis instruit et per planum ad credentiam defert, facta in transitu debita genuflexione in plano ante gradus altaris. Deinde revertitur ad locum suum. Minister alter vero sumpta a Celebrante ablutione statim missale a cornu Evangelii transfert ad cornu Epistolae non omittens in transitu ante gradus altaris genuflexionem debitam in plano et Celebranti assistit in legenda Communione et Postcommunione.

8. Infra benedictionem ambo ante medium altaris genuflectunt, tum surgunt et ad ultimum Evangelium Celebranti assistunt more solito.

9. Finita Missa, postquam Celebrans per gradus descendit, primus ei birretum cum osculis consuetis porrigit, et ambo, facta in plano genuflexione, ante Celebrantem more solito in sacristiam procedunt.

# Sectio tertia.

## De Ministris sacris.

**70.** Ministri sacri nuncupantur Diaconus et Subdiaconus.[1]) Induuntur super vestem talarem amictu, alba, cingulo, Diaconus insuper manipulo in brachio sinistro et stola, quam defert modo diaconali i. e. a humero sinistro pendentem et sub brachio dextero conjunctam, et dalmatica; Subdiaconus vero assistit sine stola, etiamsi Sacerdos esset, sed in Missa [2]) cum manipulo, si sit in ordine subdiaconatus constitutus, secus sine manipulo,[3]) et cum tunicella. Dalmatica et tunicella hodie quoad formam vix discrepant, et induuntur ita, ut prius immittatur caput, dein brachium dexterum, postea sinistrum. Manipulus a Ministris sacris assumendus est post dalmaticam et tunicellam [4]) et aptandus ad ulnam, nempe inter pulsum et cubitum. Si ante Missam facienda sit Aspersio aquae benedictae, manipulus assumitur post Aspersionem.

Agimus in hac sectione solummodo de officio Ministrorum sacrorum in Missa solemni ordinaria, pontificali et coram Episcopo; de eorum officio in Missis coram exposito ss. Sacramento et in Missis de Requiem aptius agemus in sectione quarta, ubi sermo instituetur simul de officio Celebrantis in Missis hujusmodi.

---

# Tractatus I.

## De officio Ministrorum sacrorum in Missa solemni.

### Caput I.

#### *Regulae generales.*

**71.** — 1. Quotiescunque Diaconus et Subdiaconus ad altare accedunt, e. g. in primo accessu, post sessio-

[1]) *Bauldry*, Manual. pars 1. cap. 11. n. 1. — [2]) Extra Missam enim non est manipuli usus. — [3]) *S. R. C.* 5. Jul. 1698 ad 18. Recole dicta n. 67. — [4]) *Schober*, Caer. art. 1. cap. 3. n. 11.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 9. n. 1. et lib. 2. cap. 8. n. 23.

nem, vel ab eo recedunt, e. g. ad cantandum Evangelium, ad dandam Pacem, finita Missa ante regressum in sacristiam, simpliciter genuflectunt ad altare,[1]) in principio et fine Missae in plano, infra Missam in primo gradu,[2]) sive in altari adsit tabernaculum cum ss. Sacramento incluso sive non.[3]) Quod intelligendum est infra Missam tantum de accessu et recessu ante medium altaris, non autem ad latus ejus. Unde genuflectere non tenentur Ministri sacri, quando post *Kyrie eleison* immediate a cornu Epistolae via breviori ad sedes sunt accessuri.[4]) neque Subdiaconus, dum ante Offertorium calicem de credentia affert ad altare, quia in his casibus accessus et recessus fit in cornu (in latere) non ante medium[5]) altaris.

2. Ante Consecrationem et post Communionem genuflectunt insuper, quotiescunque transeunt ante Crucem altaris sive in suppedaneo, e. g. infra incensationem altaris, sive in gradibus,[6]) e. g. in translatione missalis a cornu ad cornu, sive adsit ss. Sacramentum in altari inclusum sive non.[7]) Quare genuflexiones reliquae, quas plerique perficiunt, postquam ad altare peracta Confessione conscenderunt, post intonatum *Gloria* et *Credo*, nec non ad *Sanctus*, antequam ascendant ad altare (si modo illas excipias, quas Subdiaconus efficit ante et post Epistolam), sunt praetereundae, nisi ss. Sacramentum adsit expositum, utpote a Rubricis nequaquam admissae.[8])

3. A Consecratione usque ad Communionem genuflectunt semper in loco, a quo discedunt, non in loco, ad quem accedunt,[9]) nisi transeant ab uno latere Cele-

---

[1]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 118. ad I.; *Eph. lit.* 1889 pag. 52. — [2]) *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 51. — [3]) *Herdt*, Compend. Instr. pag. 34. n. 36. — [4]) *S. R. C.* 12. Aug. 1854 ad 70. 71. In Analect. Jur. Pont. tom. II. fol. 2200. — [5]) Per »medium« altaris hic intelligitur locus, qui medio correspondet, sive sit prope altare, sive in gradibus, sive in plano. Item ille ad medium accedere censetur, qui accedit ad latus Celebrantis in medio stantis. Conf. *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 118. not. 2. — [6]) *Martinucci*, lib. 2. cap. 4. n. 175. et 182.; *Herdt*, Compend. Instr. l. c. — [7]) Cf. *Rit. cel.* miss. IV. n. 7. — [8]) *Carpo*, II. n. 159. — [9]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 118. ad II.

brantis ad alterum, in quo casu genuflectunt utrimque [10] i. e. in loco, a quo et in loco, ad quem.

4. Sive ante sive post Consecrationem jugiter ab iis est genuflectendum, quotiescunque Celebrans genuflectit,[11] sive sint juxta sive post Celebrantem,[12] excepto Subdiacono tenente librum ad Evangelium [13] et patenam post Offertorium.[14]

5. Nunquam, nec in genuflexionibus faciendis, manus super mensam altaris ponant, quod licet soli Celebranti, sed manus ante pectus junctas teneant etiam genuflectentes, et si alterutra sit occupata, alteram pectori admoveant.[15]

6. Quoad capitis inclinationes et crucis signationes simul cum Celebrante faciendas valet regula, Diaconum et Subdiaconum non sustinentem patenam teneri ad eas faciendas solummodo tunc, quando Celebrans caput inclinat aut se signat aliquid proferens voce non secreta.[16]

7. Quoad pectoris percussiones simul cum Celebrante exsequendas definitum est, Ministros sacros teneri pectus percutere tantum ad *Agnus Dei.* Interrogata enim S. R. C., an Diaconus et Subdiaconus, quando patenam non sustinet, teneantur pectus percutere simul cum Celebrante ad *Nobis quoque peccatoribus*, ad *Agnus Dei* et demum ad *Domine non sum dignus?* respondit: Teneri tantum ad *Agnus Dei.*[17]

8. Quando Ministri sacri retro post Celebrantem stare debent, unus post alterum linea recta se sistit in loco suo i. e. Diaconus in secundo gradu, Subdiaconus in plano ante infimum gradum, sive in medio altaris sive in cornu Epistolae. Quando descendere debent a gradu ad gradum, caveant, ne directe retrocedant, sed conversi ad dexteram vel sinistram, prout circumstantiae

---

[10]) *Eph. lit.* 1889 pag. 52.; 1890 pag. 387.; 1891 pag. 181.; *Martinucci*, lib. 2. cap. 4. n. 191.; *Baldeschi*, II. art. 6. n. 37. Anm.; *Carpo*, l. c. — [11]) *Rub. gen.* miss. XVII. n. 4 — [12]) *Herdt*, Compend. Instr. pag. 35. — [13]) *Rub. gen.* miss. l. c. — [14]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 12. n. 61. — [15]) *Falise*, Lit. pract. Comp. pag. 133. n. 7.; *Herdt*, Comp. Instr. l. c. — [16]) *S. R. C.* 30. Dec. 1881 ad 4.; *Eph. lit.* 1895 pag. 182. sq. — [17]) Decret. idem.

exigunt, descendant aspicientes locum, ad quem est descendendum.[18])

9. Quotiescunque Celebranti aliquid offerunt, prius rem osculantur, quam porrigunt, dein manum Celebrantis, in recipiendo vero prius manum Celebrantis, postea rem,[19]) praeterquam in Missis et functionibus pro defunctis[20]) et feria sexta in Parasceve Domini;[21]) tunc enim oscula penitus omittuntur. Quoad Missas coram exposito ss. Sacramento vide suo loco.

10. Si sedeat Celebrans, sedeant etiam Ministri sacri. Ad sedes pergunt et ab iisdem redeunt simul cum Celebrante semper capite detecto, sive sit Sanctissimum expositum sive non.

Ante sessionem genuflectunt simpliciter ad altare, sive adsit Sanctissimum inclusum sive non, idque in suppedaneo, si accedant ad sedes a medio altaris via breviori, secus in primo i. e. infimo gradu; genuflexionem prorsus omittunt, si accedant ad sedes non a medio, sed a cornu altaris v. g. ad Kyrie eleison (cf. reg. gen. n. 1.). Accedunt unus post alium,[22]) scil. praecedente Subdiacono, quem sequitur Diaconus, deinde Celebrans. Primus sedet Celebrans elevata prius a Diacono manu sinistra et a Subdiacono manu dextera posteriore casulae parte, ne super ea sedeat. Deinde sedent Ministri, facta sibi invicem parva capitis inclinatione, birretum de sede sumptum interim utraque manu ante pectus tenentes.

Infra sessionem caput cooperiunt, nisi expositum sit ss. Sacramentum, manus extensas tenent prope genua super dalmaticam resp. tunicellam, oculos in terram demissos habent et caput (detectum) inclinant toties, quoties infra Gloria et Credo a cantoribus cantantur ea, quae inclinationem exigunt,[23]) tenentes interim birretum dextera prope genu dexterum. Si alteruter surgit facturus aliquid sui muneris, surgat et alter et persistat

---

18) *Bauldry*, pars 1. cap. 11. n. 16; *Falise*. l. c. n. 10. — 19) *Rit. cel.* miss. IV. n. 4.; VII. n. 9.; X. n. 8.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 16. — 20) *Rit. cel.* miss. XIII. n. 2.; *Caer. Ep.* l. c. — 21) *Memoriale*, Rit. tit. V. cap. 2. § 3. n. 1. — 22) *Schober*, Caer. art. 1. cap. 2. n. 7.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 314. — 23) *S. R. C.* 27. Jul. 1878 ad 3.

in loco suo birretum ambabus manibus tenens ante pectus, donec socius redierit, post cujus reditum ambo iterum sedent, non omittentes parvam inclinationem ad invicem ante discessum et post adventum.[24])

Sessione finita birreta deponunt in sede et surgunt, antequam Celebrans se elevet a sede sua. Redeunt ad altare unus post alium, ut supra, semper via longiori i. e. per planum presbyterii ad medium altaris, genuflectunt in primo gradu et se consistunt unusquisque in loco suo.

11. In actionibus communibus conformitatem inter se et cum Celebrante, quantum fieri potest, servare studeant, una simul genuflectendo, se inclinando, de sede assurgendo et procedendo. Quae conformitas ut servari possit, inferior superiori se conformare debet, ita ut, si actio sit Celebranti et Ministris communis, actio Celebrantis sit regula, cui Ministri sese conforment; et si actio Diacono et Subdiacono sit communis, Subdiaconus Diacono se conformet. Si Celebrans et Diaconus actiones negligenter exerceant, easdem omittendo vel debito majores vel minores faciendo, tunc aliis actiones quoque omittere vel majores aut minores facere saepius expedit, ne major fiat difformitas et confusio.[25])

12. Abusus est omnino reprobandus ad altare breviarium[26]) vel rosarium manu tenere ad recitanda ea. Quod valet pro omnibus Ministris tum superioribus tum inferioribus ad altare assistentibus.

## Caput II.

### *De praeparandis ad Missam solemnem.*

**72.** Duo missalia praesto sint, unum pro Celebrante, pro Ministris sacris alterum. Diaconus simul cum Caeremoniario in Missali Celebrantis perquirat Missam, Commemorationes, Praefationem et disponat signacula. Dehinc altero in missali perquirat Evangelium, quod est ipse cantaturus, illudque perlegat, ne postea erret in cantando. Quod pari modo faciat Subdiaconus

[24]) *Caer. Ep.* lib 1. cap. 8. n. 3. et lib. 2. cap. 8. n. 54. — [25]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 303. — [26]) *S. R. C.* 20. Mart. 1869 ad 11.

respectu Epistolae in Missa cantandae ex eodem missali. Subdiaconi insuper est calicem praeparare. Omnibus sic paratis et dispositis, per Caeremoniarium ad altare defertur: Calix in medio abaci seu credentiae collocandus, velum humerale pro Subdiacono, ambo missalia, quorum illud Celebrantis in altari ponendum in cornu Epistolae et quidem apertum,[1]) alterum vero clausum in credentia a parte dextera. Ad sinistram in credentia adsit pelvicula cum ampullis et manutergio. Quae omnia ita collocentur in credentia, ut posteriori in parte sufficiens relinquatur spatium pro collocandis hinc inde Ceroferariorum candelabris.[2])

**73.** Credentia praeparanda est a latere Epistolae in plano presbyterii, sine gradibus, sine Cruce vel Imaginibus, cooperta linteo mundo usque ad terram circumcirca pendente.[3]) Deficiente credentia calix ante Missam e sacristia immediate ad altare defertur, reliqua vero apto quodam in loco deponantur.[4])

## Caput III.

### *De Diacono et Subdiacono in Missa solemni.*

#### *§ 1. De Ingressu et Aspersione usque ad Introitum.*

**74.** — 1. Vestibus sacris sumptis et omnibus ad sacrum paratis, si velit Celebrans thus imponere,[1]) **Diaconus** ministrat naviculam apertam, Thuriferarius a dexteris Diaconi autem thuribulum. Diaconus detecto capite parum inclinatus versus Celebrantem dicit *Benedicite, Pater reverende,* tradens illi cochlear cum osculis consuetis (reg. gen. 9.). Incenso imposito **Diaconus** et **Subdiaconus** birreta ante pectus tenentes, caput Cruci sacristiae profunde, Celebranti vero mediocriter inclinant, caput cooperiunt et progrediuntur ad altare, praecedentes Celebrantem, manibus junctis ante pectus et oculis demissis. Si Celebrans indutus sit pluviali, Diaconus sinistra, Subdiaconus dextera pluvialis fimbrias

---

[1]) *Rit. cel.* miss. II. n. 5. — [2]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 12. n. 19. vult, ut haec omnia cooperiantur velo, quo uti debet Subdiaconus post Offertorium. — [3]) Ibid. — [4]) *Carpo,* pars 2. n. 129.

[1]) Coll. dicta n. 56.

elevat, altera manu super pectus posita. Si locus sit angustus, Subdiaconus Diaconum, hic Celebrantem praecedat. Si aditus ad altare sit a parte Evangelii, **Subdiaconus** detecto capite ante infimum gradum altaris in cornu Evangelii aliquantulum recedit, ut Diaconus et Celebrans transire possint; si vero aditus sit a parte Epistolae, Diaconus detecto capite ante infimum gradum altaris in cornu Epistolae Celebranti transitum praebet.[2])

Ante gradus altaris constituti omnes caput detegunt. Subdiaconus birretum suum tradit alicui ministro inferiori, Celebrans suum Diacono, qui birretum proprium sinistra tenens illud Celebrantis cum osculis consuetis accipit dextera et utrumque tradit Caeremoniario. Quo facto genuflectunt in plano,[3]) sive Celebrans genuflectat sive tantum sese inclinet, sive adsit Sanctissimum inclusum in tabernaculo sive prorsus desit.

2. Si facienda sit Aspersio aquae benedictae, Diaconus et Subdiaconus induti more solito, sed absque manipulis, facta ante altare genuflexione, ut supra, simul cum Celebrante a dexteris et sinistris ejusdem in infimo gradu altaris in genua procumbunt, etiam tempore paschali, et **Diaconus** acceptum a Caeremoniario aspergillum aqua benedicta perfusum cum osculis consuetis tradit Celebranti. Ambo permanent genuflexi, etiamsi post aspersionem altaris surgat Celebrans, donec ipsi aspersionem acceperint. Qua accepta surgunt et facta ante altare genuflexione in primo gradu (reg. gen. 1.). Celebrantem comitantur ad chorum et dein ad populum aspergendum hinc inde fimbrias pluvialis elevantes et alternatim cum Celebrante submissa voce psalmum *Miserere mei* recitantes[4]) toto aspersionis tempore, non omittentes debitas reverentias cum ipso tum Clero tum populo faciendas. Aspersione populi peracta **Diaconus**

---

[2]) Si in accessu ad altare transeant ante Clerum in choro congregatum, ingressi in presbyterium paulisper subsistunt, caput detegunt et simul cum Celebrante aliisque ministris in linea recta stantes chorum salutant capitis inclinatione, prius versus Evangelii, tum versus Epistolae latus, nisi sit expositum Sanctissimum. Deinde omnes procedunt ad gradus altaris. — [3]) *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 51. — [4]) *Rub. miss.* in append.

aspergillum cum osculis consuetis accipit et Caeremoniario tradit. Reversi ad altare genuflectunt in primo gradu (reg. gen. 1.), et stant infra Orationem a Celebrante cantandam, qua cantata adjuvantibus Acolythis accipiunt manipulum ad scamnum, unde reversi ad gradus altaris iterum genuflectunt in primo gradu (reg. gen. 1.).

3. Aspersione aquae absoluta factaque ut supra, ante altare genuflexione, vel, si non dabatur Aspersio, statim post accessum ad altare factamque in plano genuflexionem, incipitur Missa. Praemisso signo crucis alternatim cum Celebrante recitant psalmum *Judica.* Finita Celebrantis Confessione, aliquantulum versus Celebrantem inclinati dicunt *Misereatur tui etc.* Deinde conversi ad altare et corpore profunde inclinato dicunt *Confiteor;* ad verba *Tibi pater* et *Te pater* aliquantulum ad Celebrantem se convertunt absque motu pedum et absque erectione corporis et capitis. Confessione peracta manent inclinati, donec Celebrans absolverit *Misereatur vestri* ipsique responderint *Amen.* Ad *Indulgentiam* se erigunt, versiculos sequentes autem mediocriter inclinati alternatim cum Celebrante recitant. Omnibus absolutis absque ulla reverentia facienda cum Celebrante ad medium altaris ascendunt, ubi non genuflectunt.[5])

4. **Diaconus**, altari a Celebrante osculato, paululum recedit, ut det locum Thuriferario (vel eo deficiente Caeremoniario) ministranti naviculam cum thuribulo. **Subdiaconus** interim junctis manibus stat post tergum Celebrantis, facie ad hunc conversa. **Diaconus** parum inclinatus naviculam Celebranti ministrat porrigens ei cochlear cum osculis consuetis et dicens: *Benedicite, Pater reverende.* Infra impositionem naviculam apertam ambabus manibus tenet juxta thuribulum a Thuriferario (Caeremoniario) oblatum. Thure imposito cochlear cum osculis consuetis receptum in navicula reponit, quam reddit Thuriferario (Caeremoniario); thuribulum autem dextera ad catenularum summitatem, sinistra vero ad earum partem inferiorem prope operculum apprehensum

[5]) *Martinucci*, lib. 2. cap. 4. n. 39.; *Carpo*, Caer. pars 2. n. 159.

Celebranti ministrat deosculans prius summitatem catenularum thuribuli, deinde dexteram [6]) Celebrantis.

5. Ante et post Crucis incensationem, quum Celebrans reverentiam facit, **Diaconus** et **Subdiaconus** genuflectunt,[7]) sive adsit tabernaculum cum Sanctissimo incluso sive non. Infra incensationem comitantur Celebrantem elevantes paulisper ejus casulam in parte posteriori et genuflectentes, quotiescunque ante Crucem altaris transeunt,[8]) quin Celebrantis casulam infra genuflexionem demittant.[9]) Altari incensato **Diaconus** thuribulum a Celebrante cum osculis recipit, in planum ad cornu Epistolae descendit et Celebrantem stantem in suppedaneo tribus ductibus duplicibus incensat, facta ante et post incensationem profunda capitis inclinatione. **Subdiaconus** simul cum Diacono descendit in planum, ubi infra incensationem Celebrantis stat a sinistris Diaconi, simul cum eo caput inclinans.

## *§ 2. De Introitu usque ad Evangelium.*

**75.** — 1. Incensatione peracta et thuribulo restituto, **Diaconus** accedit ad dexteram Celebrantis, cui assistit in legendo Introitu, **Subdiaconus** autem ad dexteram Diaconi [1]) ita, ut ferme semicirculum efficiant.[2]) Quod si ob angustiam loci id fieri nequeat, Subdiaconus stet in loco suo post Celebrantem. Ad Introitum se signant, ad *Gloria Patri* versus Crucem caput inclinant (reg. gen. 6.). Post Introitum in eodem loco persistentes alternatim cum Celebrante dicunt semel *Kyrie eleison*, bis *Christe eleison* et iterum semel *Kyrie eleison*, deinde una cum Celebrante ad altaris medium redeunt, **Diaconus** per secundum gradum, **Subdiaconus** per planum, ibique a tergo Celebrantis in linea recta stant, unusquisque in loco suo. Si sit sedendum, observant, quae dicta sunt n. 71. ad 10.

---

[6]) *Rit. cel.* miss. IV. n. 4. — [7]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 12. n. 16. et cap. 13. n. 18.; *Hartmann*, Rep. Rit. § 171. VI. n. 1. 2.; *Schober*, Caer. art. I cap. 5. n. 4. — [8]) *Rit. cel.* miss. IV. n. 7. — [9]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 13. n. 18.

[1]) *Rit. cel.* miss. IV. n. 7. — [2]) *Martinucci*, lib. 2. cap. 4. n. 58.

2. Quum Celebrans *Gloria in excelsis Deo* intonat, **Diaconus** et **Subdiaconus** ad vocem *Deo* caput profunde inclinant (reg. gen. 6.), ad Celebrantem ascendunt in suppedaneum, Diaconus ad dexteram, Subdiaconus ad sinistram ejus, et cum eo Hymnum angelicum submissa voce recitant non praeveniendo aut sequendo, sed concomitanter,[3]) inclinantes se, quotiescunque Celebrans se inclinat. In fine se signant et absque ulla reverentia in locum suum revertuntur, vel, ut Rubricis conformius videtur, manent stantes juxta Celebrantem, paulo post ipsum, donec Hymnus a choro persolvatur.[4])

Si vero sessio fiat, **Diaconus** et **Subdiaconus** recitato cum Celebrante Hymno pergunt ad sedes observantes omnia, quae de sessione dicta sunt in reg. gen. 10. Infra sessionem caput detegunt et inclinant dum a choro cantantur verba inclinationem exposcentia, videlicet *Adoramus Te — Gratias agimus Tibi — Jesu Christe — Suscipe deprecationem nostram — Jesu Christe.* Ad cantus finem surgunt et birretis depositis in sede cum Celebrante ad altare redeunt, ubi genuflexione in primo gradu (reg. gen. 1.) facta se constituunt unusquisque in loco suo.

3. Cantato post Gloria a Celebrante *Dominus vobiscum,* **Diaconus** et **Subdiaconus** sine ulla reverentia cum Celebrante accedunt ad cornu Epistolae, ubi infra Orationes retro post Celebrantem in linea recta in loco suo stant. Ad *Oremus*, ad ss. Nomen Jesu, Mariae et Sancti, cujus fit memoria, caput inclinant (reg. gen. 6.), et in fine Orationum non respondent *Amen.*[5])

In Missis, in quibus ritus hoc exposcit, cantato a Celebrante *Oremus,* Diaconus cantat *Flectamus genua*, Subdiaconus vero *Levate*, illo primum genuflectente, hoc primum surgente.[6])

4. Circa finem ultimae Orationis **Diaconus** sine ulla reverentia accedit ad dexteram Celebrantis eique assistit in legenda Epistola, in cujus fine respondet *Deo*

[3]) *S. R. C.* 22. Apr. 1871 ad 5. — [4]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 314.; *Schober*, Caerem. art. 1. cap. 6. n. 5. nota 12. — [5]) *Bauldry*, pars 3. cap. 11. art. 5. n. 9.; *Falise*, Lit. pract. Comp. pag. 152. et alii. — [6]) *Rit. cel.* miss. V. n. 5.

*gratias.* Finito a Celebrante Graduali, Tractu etc., persistens in cornu Epistolae paululum recedit, ut locum det Subdiacono recipienti benedictionem Celebrantis post cantatam Epistolam.

Dum Diaconus accedit ad dexteram Celebrantis, Subdiaconus a Caeremoniario, facta mutua parva inclinatione, accipit librum Epistolarum, quem ad partem inferiorem ambabus manibus ante pectus ita tenet, ut pars libri superior pectori adhaereat [7]) et apertura respiciat sinistram. Sic librum tenens accedit in plano ad medium altaris ante gradus, advertens, ut quantum fieri potest, dum Celebrans in conclusione ultimae Orationis dicit Per Dominum nostrum *Jesum Christum*, genuflectat [8]) in primo gradu et ad locum suum in cornu Epistolae reversus statim post conclusionem Orationis incipiat Epistolam. Cantat autem voce clara et sonora, librum apertum ipse solus utraque manu tenens, se inclinans vel genuflectens, quando opus fuerit. Epistola finita, librum claudit illumque ut supra tenens, revertitur ad medium altaris, ubi genuflectit [9]) in primo gradu. Accedens deinde per planum ad cornu Epistolae, ante Celebrantem adhuc ibi morantem utrumque genu flectit in supremo vel secundo gradu,[10]) librum aliquantulum ad Celebrantem deflectit, manus ejus dexteram super librum positam osculatur et capite inclinato ab eo accipit benedictionem. Qua accepta surgit et Caeremoniario vel, ubi talis viget consuetudo, Diacono [11]) librum ita tradit, ut hic dorsum libri in dexteram accipiat.

### § 3. *De Evangelio usque ad Offertorium.*

**76.** — 1. Tradito libro Epistolarum, **Subdiaconus** acceptum de altari missale Celebrantis cum cussino vel pulpito transfert post tergum Diaconi per gradus anteriores ad cornu Evangelii, descendens in planum ibique in medio infimo gradu genuflectens (reg. gen. 1. 2.).

[7]) Cf. *Rit. cel.* miss. VI. n. 4. — [8]) Ibid. — [9]) Ibid. — [10]) Si Celebrans in recitando Tractu vel Sequentia adhuc occupatus sit, consistit in plano ad latus Epistolae et lectione finita accedit ad Celebrantem. — [11]) *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 317.

Celebranti legenti Evangelium a sinistris assistit respondens ad ea, ad quae est respondendum.

Interim **Diaconus** librum a Subdiacono acceptum inspicit, signaculum pro cantando Evangelio rite disponit. Tunc librum clausum ad partes inferiores ambabus manibus cum apertura in sinistra ad faciem usque elevatum tenens, in planum ante medium altaris descendit,[1] postquam Subdiaconus ad cornu Evangelii pervenit. Facta in primo gradu simplici genuflexione (reg. gen. 1. 2.), ad altare ascendit et in ejus medio[2] librum sic deponit, ut ipsius apertura cornu Evangelii respiciat, ipse autem se sistit ad dexteram Celebrantis legentis Evangelium. Quo lecto **Subdiaconus**, dicto submissa voce *Laus tibi Christe,*[3]) missale Celebrantis cum cussino paululum elevans, non super mappas propellens, collocat versus medium altaris, illuc ad sinistram Celebrantis accedit ibique permanet inter impositionem thuris. Incenso imposito in planum descendit, ubi paululum versus cornu Evangelii se sistit exspectans Diaconum Evangelium cantaturum.

2. **Diaconus**, incenso post lectum Evangelium a Celebrante more solito imposito (vide n. 74. ad 4.) et navicula Thuriferario reddita, ante medium altaris in supremo[4] gradu utroque genu flexus, profunde inclinatus junctisque manibus submissa voce dicit: *Munda cor meum et labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae prophetae calculo mundasti ignito; ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Assurgit, sumit de altari librum, quem tenet ut antea, et conversus ad Celebrantem, videlicet dextrorsum habens altare, utroque genu flexus in suppedaneo,[5] benedictionem petit a Celebrante librum

---

[1]) Si autem librum non a Subdiacono acceperit, descendit, dextrorsum se vertens, per gradus laterales in planum, ubi a Caeremoniario librum accipit, quem tenens ut supra, per planum et gradus altaris anteriores, facta genuflexione in infimo gradu, defert ad altare. — [2]) *Rub. spec.* in Ord. miss.; *Caer. Ep.* lib 1. cap. 9. n. 2. — [3]) Conf. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 41.; *Eph. lit.* 1892 pag. 549. — [4]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 13. n. 41. et lib. 2. cap. 4. n. 105. — [5]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 13. n. 41.

aliquantulum versus eum deflectens et dicens: *Jube, domne, benedicere.* Benedictionem, quin se signet et quin respondeat *Amen,*[6]) a Celebrante accipit, ejusque dexteram super librum positam osculatur, surgit et capitis inclinationem facit Celebranti. Deinde librum, ut supra, ante pectus tenens, quin se ad altare convertat aut genuflectat, sinistrorsum se vertens descendit in planum, ubi se adjungit Subdiacono, qui ei adstabit a sinistris.

3. Cantu chori finito, Diaconus et Subdiaconus, facta in primo gradu genuflexione (reg. gen. 1.), accedunt ad locum Evangelii, Subdiaconus junctis manibus a sinistris[7]) Diaconi librum deferentis. Ibi Subdiaconus, medius inter duos Ceroferarios, facie ad Diaconum conversa, de ejus manibus librum apertum accipit, quem circa inferiorem partem ambabus manibus ita tenet elevatum, ut faciem suam libro tegat. Toto Evangelii tempore Subdiaconus stat immobilis, nec se inclinat nec genuflectit, licet genuflectant ceteri.[8]) Diaconus ita stans, uti Sacerdos stat ad Evangelium in Missa privata, videlicet latere dextero ad altare, sinistro ad populum, facie vero ad cornu Evangelii conversis,[9]) manibus junctis ante pectus, clara voce cantat *Dominus vobiscum;* deinde palma manus sinistrae in libro[10]) posita, pulpa pollicis dexterae signum crucis facit super principio Evangelii i. e. super initio textus sacri, (qui regulariter incipit post illa verba *In illo tempore),* cantans *Sequentia* vel *Initium;* prosequens *sancti Evangelii,* sinistra infra pectus posita, seipsum in fronte, deinde nihil dicens in ore, et ad verba *secundum N.* in pectore signat. Mox thuribulo accepto ter librum incensat: in medio, a dexteris libri seu ad sui sinistram, et a sinistris libri seu ad sui dexteram, capitis inclinatione ante et post incensationem facta. Thuribulo reddito Evangelium cantat manibus ante pectus junctis. Inclinationes ad ss. Nomen Jesu, Mariae vel Sancti, cujus fit Missa, semper facit versus

[6]) Cf. *Rub. spec.* in Ord. miss. — [7]) *Rit. cel.* miss. VI. n. 5. — [8]) Cf. *Rub. gen.* miss. XVII. n. 4. — [9]) *Schober,* Caer. art. 1. cap. 9. n. 3. nota 20. — [10]) *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 25.

librum, item genuflexiones, si quae faciendae, fiunt versus librum.[11])

4. Cantato Evangelio **Subdiaconus** librum super brachium sinistrum demittit, partem ejus lateralem manu sinistra tenens, inferiorem vero dextera. **Diaconus** cantu Evangelii finito initium textus Evangelii Subdiacono manu dextera junctis et extensis digitis indicat, sinistra super pectus [12]) posita, deinde parum se retrahit, ne Subdiaconum transeuntem ad Celebrantem impediat. **Subdiaconus** cum libro a p e r t o super brachium sinistrum posito, via recta per gradus anteriores altaris absque ulla reverentia (etiam coram Sanctissimo exposito) ad Celebrantem tendit, cui extremitate manus dexterae junctis extensisque digitis initium textus sacri ostendit nihil dicens; tum librum per partes laterales tenens Celebranti osculandum offert. Librum a Celebrante osculatum claudit et capitis inclinatione Celebranti facta, per gradus laterales in cornu Epistolae descendit in planum, librum ministro tradit vel in credentia deponit et exspectat, donec incensatio Celebrantis per Diaconum fuerit peracta. Interim **Diaconus** ter duplici ductu Celebrantem incensat. Thuribulo Thuriferario restituto, **Diaconus** et **Subdiaconus** procedunt ad loca sua ibique [13]) genuflectunt.

5. Intonato a Celebrante *Credo*, ad vocem *Deum* caput inclinant et absque ulla reverentia praemissa (reg. gen. 2.) ad Celebrantem ascendunt, quocum submissa voce prosequuntur Symbolum non praeveniendo nec sequendo, sed concomitanter,[14]) sese inclinantes, signo crucis munientes et genuflectentes, quotiescunque Celebrans idem facit.

Symbolo recitato, si non sit sedendum, **Diaconus** et **Subdiaconus** manibus junctis ante pectus hinc inde a lateribus Celebrantis persistunt, donec chorus cantet *descendit de coelis.* Ad quae verba simul cum Celebrante descendunt ad secundum gradum et in ora suppedanei a dexteris et sinistris Celebrantis genuflectunt[15])

---

[11]) *Rub. gen.* miss. XVII. n. 4. — [12]) *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 318. pag. 444. — [13]) *Martinucci,* lib. 2. cap. 4. n. 121. — [14]) *S. R. C.* 22. Apr. 1871 ad 5. — [15]) *Rub. gen.* miss. XVII. n. 3.

utroque genu cum profunda capitis inclinatione [16]) toto tempore, quo cantantur verba: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est.* Deinde assurgunt et sine reverentia iterum cum Celebrante ad altare ascendunt, unde **Diaconus** remanente Subdiacono a sinistris Celebrantis, mox genuflexione facta (reg. gen. 1.) via breviori per gradus laterales Epistolae ad credentiam descendit, ubi bursam cum corporali de calice ipse [17]) accipit eamque per latera tenens ambabus manibus, pollicibus desuper et reliquis digitis subtus eam positis, apertura ad seipsum conversa, quasi jacentem et usque ad oculos [18]) elevatam defert ad altare via longiori per planum non omittens in transeundo ante chorum debitas capitis inclinationes. Genuflexione in infimo gradu facta (reg. gen. 1.) ad altare ascendit et absque ulla reverentia corporale e bursa extractum explicat in medio mensae, bursa versus cornu Evangelii prope medium altaris ad candelabra collocata cum apertura versus Crucem altaris, nisi ornatus ipsius bursae obstet. Quo facto iterum Celebranti assistit a dexteris, sicut Subdiaconus a sinistris. Dum cantatur *Et vitam venturi* simul cum Subdiacono absque ulla reverentia descendit, unusquisque ad locum suum, ubi stant usque ad cantatum ante Offertorium a Celebrante *Oremus.*

Si autem sessio fiat, recitato ad altare Symbolo, simul cum Celebrante ad sedes accedunt sicut dictum est in regula generali 10. Dum chorus incipit *Et incarnatus est* caput detegunt et profunde inclinant, quin assurgant.[19]) Item ad verba *Jesum Christum* et *Simul adoratur* detecto capite se inclinant. Statim quum chorus cantare incipit *Crucifixus etiam pro nobis*, admonitus a Caeremoniario **Diaconus**, detecto capite surgit et deposito in sede birreto factaque Celebranti capitis inclinatione, pergit Caeremoniario comite ad credentiam et bursam cum corporali de calice sumptam solus [20]) sine Caeremoniario per planum defert ad altare, uti supra

[16]) *S. R. C.* 23. Maji 1846 ad 8. — [17]) *Rit. cel.* miss. VI. n. 7. — [18]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 9. n. 3. et lib. 2. cap. 8. n. 54. — [19]) *Rub. gen.* miss. l. c. — [20]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 9. n. 3. Recole dicta n. 65. ad 3. nota 5.

dictum est, in transitu debitam faciens reverentiam Celebranti. Corporali in medio mensae ambabus manibus totaliter explicato et bursa manu dextera ad candelabra versus cornu Evangelii cum apertura versus tabernaculum collocata, revertitur ad sedem et quidem, si talis vigeat consuetudo, per viam longiorem genuflexione in primo gradu facta, secus per viam breviorem genuflexione in suppedaneo facta (reg. gen. 1.), sive adsit Sanctissimum in tabernaculo inclusum sive non. Reversus ad sedem non Celebranti sed Subdiacono [21]) debitam facit capitis inclinationem, antequam sedeat. Interim dum haec fiunt, Subdiaconus, qui ad cantum *Crucifixus etiam pro nobis* simul cum Diacono surrexerat, in suo loco in sede stat usque ad Diaconi reditum, birretum ambabus manibus tenens ante pectus. Quo reverso iterum sedent omnes.[22]) Circa finem Symboli uterque cum Celebrante redit ad altare in locum suum, facta in primo gradu genuflexione (reg. gen. 1.).

6. In tribus Missis Nativitatis Domini et in festo Annuntiationis B. M. V. vel in die translationis [23]) ejus, ante verba *Et incarnatus est* a choro cantata Diaconus et Subdiaconus una cum Celebrante surgunt et relictis birretis in sedibus manibus ante pectus junctis, accedunt ad altare, ubi in infimo gradu in genua procumbunt profunde inclinati usque ad verba *Et homo factus est* inclusive. Postea assurgunt et genuflexione simplici facta (reg. gen. 1.), cum Celebrante ad sedes redeunt, unde Diaconus admonitus a Caeremoniario, antequam sedeat, vadit ad credentiam delaturus inde bursam, ut supra dictum est.

### *§ 4. De Offertorio usque ad Consecrationem.*

**77.** — 1. Ad *Oremus* a Celebrante cantatum, **Diaconus** sine ulla reverentia ascendit ad dexteram Cele-

---

[21]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 12. n. 22. nota *a*. Ratio est, quia inclinatio ista non est actus reverentiae, sed actus invitationis utriusque Ministri ad sedendum. *Schober*, Caerem. art. 1. cap. 2. nota 61. Conf. tamen *Eph. lit.* 1895 pag. 624. — [22]) Si non dicitur *Credo*, Subdiaconus defert super calicem etiam bursam cum corporali, ut infra n. 77. dicetur. — [23]) *S. R. C.* 16. Jun. 1663.

brantis, ibique exspectat Subdiaconum calicem de credentia allaturum. **Subdiaconus** ad eandem vocem genuflectit in primo gradu (reg. gen. 1.) et ad credentiam pergit, ubi a Caeremoniario vel ab aliquo Acolytho [1] velo humerali induitur. Velo calicis deposito, calicem sinistra nuda ad nodum accipit et parte longiori veli humeralis a dexteris pendente ita cooperit, ut totus sit velatus, et super [2] velum imponit dexteram extensam. Simul cum calice defert purificatorium, patenam cum hostia et, si propter omissum *Credo* bursa nondum in altari esset, etiam bursam cum corporali,[3] quae omnia calici imponuntur et velo humerali conteguntur, relicto velo calicis in credentia. Ita paratus per gradus laterales in cornu Epistolae sine ulla reverentia ascendit ad dexteram Diaconi, calicem super altare deponit et Diacono auxiliante velum humerale de calice tollit. **Diaconus** pallam de calice sumptam prope corporale versus cornu Epistolae ponit et patenam cum hostia sinistrà ad partem anteriorem, dexterà ad partem posteriorem acceptam Celebranti cum osculis consuetis ita offert, ut brachium suum sinistrum sit sub brachio dextero Celebrantis, dum eam ipsi ministrat.

2. Interim **Subdiaconus** calicem sinistra ad nodum accipit et parum elevat, tribus vel quatuor digitis manus dexterae autem medium purificatorii usque ad fundum cuppae deprimit et pollice dextero alterutram purificatorii partem dependentem ad calicis labium externum premit sicque purificatorium undequaque circumducit. Calicem ita extersum supra altare versus Diaconum deponit, purificatorium complicatum ita tenens, ut extremitates ejus ad labium cuppae pollice manus dexterae cuppam tenentis premantur, residua ejus pars autem ad pedem calicis pendeat, ubi a pollice sinistro, extensis et junctis interim reliquis digitis, ad pedem premitur.

**Diaconus**, patena Celebranti tradita, calicem a Subdiacono una cum purificatorio manu sinistra ad nodum accipit ita, ut extremitates purificatorii super pollicem et calicis pedem defluant. **Subdiaconus** calice

---

[1] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 60. — [2] *Rit. cel.* miss. VII. n. 9. — [3] *Rit. cel.* miss VI. n. 7.

exterso, ampullam vini ab Acolytho allatam ex parte ansae sine osculis tradit Diacono, qui ex ea vinum in calicem infundit eamque retinet, donec Subdiaconus aquam infuderit. Subdiaconus scilicet ampullam aquae aliquantulum elevans et Celebranti quasi ostendens, parum inclinatus versus eum, dicit: *Benedicite, Pater reverende,* et, signo crucis a Celebrante super ampullam facto, guttulas paucas aquae in calicem infundit vel immediate ex ampulla vel mediante parvo cochleari. Ampullam vini de manu Diaconi acceptam una cum ampulla aquae Acolytho reddit et manibus junctis exspectat, quoadusque a Diacono patenam accipiat.

Diaconus interim guttas infra cuppam dispersas purificatorio circa indicem dexterum plicato abstergit, quod subinde juxta corporale supra patenam ponit. Calicem dextera circa cuppam, sinistra vero infra pedem apprehensum cum osculis consuetis Celebranti tradit et in eo offerendo, sinistra pectori admota, dextera brachium Celebrantis dexterum sustentat vel pedem calicis tangit,[4]) secreto dicens cum Celebrante: *Offerimus tibi Domine calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinae majestatis tuae, pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.* Calicem a Celebrante in altari depositum palla cooperit, patenam vero in manum dexteram nudam[5]) Subdiaconi tradit ita, ut pars concava Subdiaconum respiciat.

Subdiaconus patenam extremitate veli a dextera pendente, Diacono auxiliante,[6]) cooperit, sinistra vero brachium dexterum sustentat, absque ulla reverentia descendit per gradus anteriores in planum, ubi, in infimo gradu genuflexione facta,[7]) stat usque ad finem Orationis Dominicae, patenam semper usque ad faciem[8]) elevatam tenens, nisi dum genuflectit, se inclinat, procedit et dum incensatur, quibus in casibus patenam demittit usque ad pectus. G e n u f l e c t i t autem, idque utroque genu, solummodo infra elevationem in medio infimo gradu, unico genu autem in primo accessu in

---

[4]) *Rit. cel.* miss. VII. n. 9. — [5]) *Carpo*, pars 2. n. 192.; *Martinucci*, lib. 2. cap. 4. n. 156. — [6]) *Rit. cel.* miss. VII. n. 9. — [7]) Ibid. — [8]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 12. n. 56.

locum suum in plano [9]) et antequam ad finem Orationis Dominicae ascendat ad altare [10]) ceterum nunquam, nec quando Celebrans et Diaconus genuflectunt. [11]) I n c l i n a t se ter: *a)* ante et post sui incensationem, dum resalutat Diaconum; *b)* ad finem Praefationis, dum a sinistris Celebrantis ad altare cum eo recitat *Sanctus*; *c)* dum infra elevationem Sanctissimum genuflexus adorat.

3. Diaconus, tradita Subdiacono patena, juxta Celebrantem persistit, eique ad impositionem thuris more solito naviculam ministrat dicens *Benedicite Pater reverende* et ad incensationem assistit nullam faciens reverentiam ante incensationem Oblatorum (hostiae et calicis), faciens autem genuflexionem immediate ante et post incensationem Crucis et toties, quoties transit ante Crucem. Advertat etiam, ut toto tempore incensationis partem posteriorem casulae sinistra paulisper elevet, dextera pectori imposita, et insuper infra incensationem Oblatorum pedem calicis extremitate manus dexterae teneat. [12]) Incensatione altaris peracta, Celebrantem tribus ductibus duplicibus incensat stans in plano ad cornu Epistolae, inclinatione facta ante et post incensationem; deinde vadit ante angulum gradus infimi e latere Epistolae et Subdiaconum stantem in medio ante gradus ad se conversum incensat duobus ductibus duplicibus, item sub mutua inclinatione. Subdiaconus ante incensationem sine genuflexione dextrorsum se vertit versus Diaconum, post incensationem iterum sine reverentia ad altare se convertit. Thuribulo reddito Diaconus ad locum suum in secundo gradu ascendit sine genuflexione, quia altare non reliquerat, et ad Thuriferarium conversus ab eo duobus ductibus duplicibus incensatur, quo facto ad altare se convertit absque genuflexione.

Si chorus adsit, incensatio fit modo et ordine infra descripto n. 84. Notamus hic, quod sub exitum Praefationis cantatae, finis thurificationis est faciendus, quocunque loco stet thurificationem agens. [13])

[9]) *Rit. cel.* miss. l. c. — [10]) *Rit. cel.* miss. X. n. 8. — [11]) Conf. S. R. C. 11. Febr. 1764 ad 1. — [12]) *Rit. cel.* miss. VII. n. 10. — [13]) *Martinucci,* lib. 1. cap. 5. n. 30.

4. Incensatione absoluta Diaconus stat in loco suo post Celebrantem usque ad Praefationis finem, sub quo sine ulla reverentia cum Subdiacono ad dexteram Celebrantis ascendit et humeris inclinatis voce submissa dicit cum Celebrante: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis.* Ad verba sequentia: *Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis*, se erigit et signat (reg. gen. 6.). Subdiaconus sub finem Praefationis simul cum Diacono ascendit, se sistit ad sinistram Celebrantis, ubi se gerit sicut Diaconus, excepto hoc, quod ad *Benedictus* non se signet, quia tenet patenam; deinde absque genuflexione descendit in locum suum. Diaconus vero dicto *Sanctus* ad sinistram Celebrantis transit, facta in supremo gradu i. e. in ora suppedanei in medio altaris retro post Celebrantem genuflexione (reg. gen. 2 ), ibique assistit Celebranti in legendo Canone.

Ad *Memento* vivorum Diaconus librum deponit, aliquantulum recedit et stat junctis manibus, quamdiu Celebrans mentaliter orat; deinde iterum ad librum accedit.[14]) Ad verba *Quam oblationem* denuo ad dexteram Celebrantis transit, genuflexione ut antea in medio supremo gradu facta.

### § 5. *De Consecratione usque ad Communionem.*

**78.** — 1. Infra Consecrationem Diaconus et Subdiaconus utrumque flectunt genu, hic in infimo gradu in loco suo usque ad elevationem Calicis inclusive, ille in suppedaneo ad dexteram Celebrantis. Dum hic Hostia consecrata genuflectit, ambo profunde caput inclinant et Diaconus sinistra partem posteriorem casulae elevat, dextera super pectus posita. Elevata et deposita Hostia factaque a Celebrante genuflexione simul cum eo surgit, pallam de calice tollit et prope corporale versus cornu Epistolae ponit, quo facto iterum in genua procumbit et casulam elevat, ut supra. Dum Celebrans Calicem

---

[14]) *Schober*, Caer. art. 1. cap. 13. n. 2.

elevatum deponit, Diaconus surgit et Calicem palla cooperit; tunc genuflexione simul cum Celebrante iterata ad ejus sinistram transit, ubi iterum genuflectit (reg. gen. 3.) et Celebranti ad librum assistit, uti ante Consecrationem. Ad verba *Per quem haec omnia* genuflectit (reg. gen. 3.) et ad dexteram Celebrantis accedit, ubi palla de Calice sublata et super altare posita ut supra, simul cum Celebrante genuflectit. Intra crucis singnificationes nunc a Celebrante faciendas, extremitatem manus dexterae super pedem Calicis ponit, sinistra pectori admota, et postquam Celebrans pollices et indices super Calicem absterserit, palla Calicem iterum cooperit et facta cum Celebrante genuflexione (reg. gen. 4.) surgit et ibi consistit [1]) usque ad orationem Dominicam. Qua incepta genuflectit (reg. gen. 3.) et statim ad locum suum in secundo gradu se confert ibique stat usque versus finem Orationis Dominicae.

2. Ad verba *Et dimitte nobis debita nostra* Diaconus et Subdiaconus genuflectunt in locis suis (reg. gen. 3.) et ascendunt ad altare ita, ut stet Diaconus ad dexteram Celebrantis, Subdiaconus ad dexteram Diaconi. Subdiaconus patenam adhuc velatam porrigit Diacono, qui eam discooperit et manu dextera acceptam statim in sinistram immittit et dextera cum purificatorio interius exteriusque [2]) abstergit. Reposito in loco suo purificatorio, super illud collocat patenam erectam ita, ut pars concava Celebrantem respiciat, eamque cum purificatorio [3]) utraque [4]) manu circa partem inferiorem hinc inde sustinet. Dum Celebrans eam accepturus est, Diaconus eam in circumferentia superiori osculatur et deinde dexteram Celebrantis; purificatorium vero in loco suo juxta corporale deponit. Postmodum junctis manibus stat juxta Celebrantem. Hostia ab hoc super patenam posita, Calicem discooperit et palla in altari collocata simul cum Celebrante genuflectit. Infra fractionem s. Hostiae stat junctis ante pectus manibus in eodem loco juxta Celebrantem; particula s. Hostiae ab hoc in Calicem

[1]) Ita auctores communiter. — [2]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 327. — [3]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 13. n. 90. et lib. 2. cap. 4. n. 198. — [4]) *Herdt*, l. c.

immissa, Calicem palla cooperit et genuflectit cum Celebrante.

**Subdiaconus** patena, ut supra, Diacono tradita et velo humerali in manus Acolythi dimisso, genuflectit (reg. gen. 3.) et post Celebrantem per gradus anteriores altaris descendit in planum, ubi non genuflectit, nisi cum Celebrante. Ad verba *Pax Domini etc.* genuflectit in primo gradu (reg. gen. 3.) et ascendit ad sinistram Celebrantis, ubi non genuflectit, nisi cum Celebrante.

3. Dum Celebrans dicit *Agnus Dei etc* **Diaconus** et **Subdiaconus** paululum ab altari recedentes, capite inclinato, manibus ante pectus junctis, voce submissa idem cum Celebrante dicunt, pariterque sinistra infra pectus posita, dextera ter pectus percutiunt (reg. gen. 7.), prima et secunda vice ad *Miserere nobis*, tertia vice ad *Dona nobis pacem*. Quo ultimo dicto, **Subdiaconus** genuflexione facta (reg. gen. 3.) descendit in locum suum in plano, ubi non genuflectit; **Diaconus** vero utroque genu flexus[5] juxta Celebrantem permanet, donec hic se inclinet ad altare osculandum, quo tempore surgit et manibus ante pectus junctis (non supra altare positis reg. gen. 5.) simul cum Celebrante altare osculatur extra corporale. Pace a Celebrante modo consueto accepta, genuflectit (reg. gen. 3.) et sinistrorsum se vertens descendit ad dexteram Subdiaconi in plano,[6]) ubi non genuflectit, sed statim nulla praemissa inclinatione ei dat Pacem ita, ut Diaconus habeat latus suum dexterum, Subdiaconus vero sinistrum ad altare conversum.[7]) Deinde Diaconus inclinat se Subdiacono, genuflectit (reg. gen. 3.) in primo gradu et ascendit ad sinistram Celebrantis, cui assistit ad librum. **Subdiaconus** vero, antequam accipiat Pacem, dextrorsum se vertens caput inclinat Diacono et accipit Pacem ab eo, qua accepta et inclinatione Diacono facta, ad altare conversus, genuflectit simul cum Diacono in infimo gradu et, si non habeatur chorus, convertit se ad Caeremoniarium, cui dat Pacem, tum iterum cum eodem genuflectit et ascendit ad dexteram Celebrantis.

---

[5]) *Rit. cel.* miss. X. n. 8. — [6]) *Schober*, Caer. art. 1. cap. 15. n. 4. nota 14. — [7]) De modo dandi Pacem vide n. 89—92 incl.

Si vero adsit chorus, **Subdiaconus** accepta a Diacono osculo pacis, una cum Diacono et Caeremoniario genuflectit in primo gradu (reg. gen. 1.) et Caeremoniario comite pergit in chorum ad distribuendam Pacem modo et ordine infra descripto n. 92. Ad altare reversus genuflectit in primo gradu (reg. gen. 1.), dat Pacem Caeremoniario comiti, iterum genuflectit (reg. gen. 3.) et ascendit ad dexteram Celebrantis.

### *§ 6 De Communione usque ad finem.*

**79.** — 1. Accepta et data Pace **Diaconus** et **Subdiaconus** hinc inde a lateribus Celebrantis stant et genuflectunt, quotiescunque ipse genuflectit. Ad verba Celebrantis *Domine non sum dignus etc.* humeros inclinant nihil dicentes nec pectus percutientes (reg. gen. 7.). Celebrante cum ss. Hostia se signante, paululum a mensa recedunt et profunde [1]) se inclinant, donec sumpto Christi Corpore Celebrans se erigat, quod pariter ad sumptionem ss. Sanguinis faciunt, sese scilicet infra sumptionem inclinantes et iterum sese erigentes, dum sumpto ss. Sanguine Celebrans Calicem in altari reponit. Dum Celebrans peracta post sumptionem ss. Corporis meditatione manus expandit, **Subdiaconus** pallam de Calice tollit et in loco solito collocat, subinde cum Celebrante et Diacono genuflectit (reg. gen. 4.) et sumpto a Celebrante ss. Sanguine dextera vinum in Calicem infundit, accipit sinistra ampullam aquae et super pollices et indices Celebrantis infundit prius vinum deinde aquam, quo facto ampullas ministro inferiori reddit et Celebranti purificatorium apte ministrat, imponendo [2]) illud super digitos ablutos Celebrantis.

2. **Diaconus** facta a Celebrante digitorum ablutione, missale cum cussino aut pulpito, absque praemissa genuflexione per dexteram suam se volvens, a cornu Evangelii more solito transfert ad cornu Epistolae, descendens de suppedaneo in penultimum gradum et genuflectens in ora suppedanei quum transit ante medium

---

[1]) *Rit. cel.* miss. X. n. 8. — [2]) *Martinucci,* lib. 1. cap. 12. n. 69. et lib. 2. cap. 4. n. 211.

altaris (reg. gen. 2.). Simul cum eo genuflectit in medio inferiori gradu **Subdiaconus**, qui redditis ampullis a cornu Epistolae transit ad cornu Evangelii, Calicem adaptaturus. Velo calicis nempe interim a Caeremoniario vel alio ministro de credentia ad cornu Evangelii translato, Subdiaconus calicem accipit, purificatorio totaliter extergit, nisi hoc faciat Celebrans ipse, patenam pallamque ei imponit, velo cooperit, corporale plicat, in bursam immittit, utrumque super calicem ponit, et calicem sic paratum sinistra ante pectus ad nodum tenens, dextera bursae imposita, ad credentiam defert, in transitu ante medium altaris super infimum gradum genuflectens (reg. gen. 2.). In credentia calicem ita accomodat, ut a parte anteriore totus sit coopertus velo.

3. **Diaconus** Celebranti non assistit ad antiphonam, quae dicitur Communio, nec ad Postcommuniones, nisi deficiente Caeremoniario, sed missali in cornu Epistolae translato descendit[3]) in locum suum retro post Celebrantem, ubi stat tam ad Communionem quam ad Postcommuniones. caput inclinans ad verba inclinationem exposcentia.

In Missis *ferialibus* solemnibus Quadragesimae, dicto a Celebrante *Oremus* ante Orationem super populum, **Diaconus** in loco suo in cornu Epistolae vertit se ad populum[4]) et manibus junctis ante pectus, capite inclinato,[5]) cantat *Humiliate capita vestra Deo*, quibus verbis cantatis caput erigit et iterum se vertit ad altare.

4. **Subdiaconus**, calice in credentia collocato, redit in locum suum retro post Celebrantem, ubi genuflectit in primo gradu (reg. gen. 1.), si Celebrans in medio altaris versetur, secus accedit ad cornu Epistolae in locum suum, ubi non genuflectit (reg. gen. 1.). Orationibus absolutis **Diaconus** et **Subdiaconus** simul cum Celebrante iterum ad medium altaris accedunt in loca sua, ubi cantato a Celebrante *Dominus vobiscum*, **Diaconus** absque[6]) praevia genuflexione ad populum

---

[3]) *Rit. cel.* miss. IX. n. 3. — [4]) *Rub. miss.* in fer. IV. Cinerum. — [5]) *S. R. C.* 12. Dec. 1879 ad 3. Cf. *Acta s. Sedis* XII. pag. 643. — [6]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 13. n. 100.

conversus cantat *Ite missa est*,[7]) si Hymnus angelicus in Missa dictus sit, vel facie ad altare conversa *Benedicamus Domino*, quando *Gloria* in Missa dictum non est. Quo cantu finito aliquantulum versus cornu Epistolae se sistit et utrumque flectit genu in ora suppedanei. Eodem tempore etiam **Subdiaconus** ascendit ad supremum gradum, ibique genuflexus a sinistris Diaconi simul cum eo accipit benedictionem, infra quam ambo caput profunde inclinant et mox erecto capite se signant, tum surgunt et ascendunt [8]) ad cornu Evangelii, sistentes se ad dexteram et sinistram Celebrantis.

Si Evangelium legendum sit e missali, **Subdiaconus**, dicto a Celebrante *Ite missa est*, accipit missale in cornu Epistolae atque, uti moris est, transfert ad cornu Evangelii, idque vel ante [9]) vel post [10]) acceptam benedictionem Celebrantis. Si primum, libro translato et in cornu Evangelii collocato, iterum descendit ad secundum gradum et in ora suppedanei utrumque flectit genu a sinistris Diaconi, benedictionem accepturus; si posterius, benedictionem accipit genuflexus in ora suppedanei a sinistris Diaconi, missale utraque manu tenens ante pectus, quin se signet.

5. Benedictione accepta ambo ascendunt ad cornu Evangelii, ut modo dictum est. Si opus sit, **Subdiaconus** ministrat tabellam Celebranti legenti ultimum Evangelium, sinistra eam tenendo coram ipso, dextera pectori admota. Si in legendo Evangelio Celebrans genuflectat, genuflectit etiam **Diaconus**, minime vero Subdiaconus sustinens [11]) tabellam vel missale. Evangelio finito ambo dicunt *Deo gratias*, et Subdiaconus reponit tabellam in loco suo, missale autem in cussino cum apertura versus tabernaculum. Subinde cum Celebrante ad medium altaris accedunt, per gradus descendunt et genuflectunt in

[7]) Canitur in tono de B. M. V. in festis Deiparae et quotiescunque Praefatio de Nativitate Domini praescribitur, ergo etiam in omnibus festis infra Octavam Nativitatis et Corporis Christi incidentibus. *S. R. C.* 25. Maji 1877 Dub. 1. 2. 3. — [8]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 333. — [9]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 12. n. 73. et lib. 2. cap. 4. n. 220. — [10]) *Carpo*, pars 2. n. 197. — [11]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 12. n. 75.

plano (reg. gen. 1.), sive adsit ss. Sacramentum in tabernaculo sive non. Birreto a Diacono Celebranti cum osculis tradito, caput suum cooperiunt et revertuntur in sacristiam ordine consueto. Ibi detectum caput primo Cruci profunde inclinant deinde minus profunde Celebranti, quo facto vestes sacras deponunt.

## Caput IV.

### *Conspectus genuflexionum a Ministris sacris faciendarum in Missis solemnibus.*

**80.** Sequentes genuflexiones a Ministris sacris faciendae sunt in Missis solemnibus ordinariis, sive in altari sit tabernaculum cum ss. Sacramento inclusio, sive sola Crux. Auctores enim quoad genuflexiones in Missa solemni a Ministris sacris faciendas discrimen non faciunt inter altare cum vel sine ss. Sacramento incluso.[1])

*A.* Subdiaconus genuflectit:

1. In primo accessu ad altare, in plano simul cum Diacono.

2. Ante et post incensationem Crucis altaris, in suppedaneo et quotiescunque infra incensationem transit ante Crucem, simul cum Diacono.

3. Recitato Hymno angelico, si sessio fiat, ante accessum ad sedes, et post recessum a sedibus, ante medium altaris simul cum Diacono.

4. Immediate ante et post Epistolam cantatam, in medio infimo gradu simul cum Caeremoniario.

5. In recipienda benedictione Celebrantis post Epistolam cantatam, utroque genu in supremo vel penultimo gradu cornus Epistolae.

6. In translatione libri Celebrantis a cornu Epistolae ad cornu Evangelii, in medio infimo gradu.

7. Immediate ante Evangelium cantandum, in medio infimo gradu simul cum Diacono.

8. Incensato post Evangelium Celebrante et libro tradito Caeremoniario reversus ante medium altaris, in

---

[1]) *Falise*, Liturg. pract. Comp. pag. 180, not. 1.

loco suo simul cum Diacono genuflectente etiam in loco suo.

9. Infra Symbolum, dum dicit Celebrans *Et incarnatus est etc.* unico genu; dum autem cantantur eadem verba nec sessio fit, utroque genu in ora suppedanei, in utroque casu simul cum Celebrante et Diacono.

10. Infra cantum Symboli, si sessio fiat, ante et post sessionem, sicut supra n. 3.

11. Ante Offertorium dicto a Celebrante *Oremus,* antequam accedat ad credentiam, in medio infimo gradu.

12. Post Offertorium statim ac cum patena descendit in planum, in medio infimo gradu.

13. Infra Consecrationem et Elevationem, utroque genu in infimo gradu in loco suo.

14. Infra Orationem Dominicam, antequam cum patena ascendat ad altare, simul cum Diacono uterque in loco suo.

15. Post Orationem Dominicam in suppedaneo, antequam, patena Diacono tradita, descendat per gradus ad locum suum.

16. Patenam non tenens toties, quoties Celebrans genuflectit, simul cum eo et Diacono.

17. Post dictum cum Celebrante *Agnus Dei*, in suppedaneo a sinistris Celebrantis, antequam descendat ad locum suum in plano.

18. Accepta a Diacono in plano Pace, antequam adeat chorum ad distribuendam Pacem, in medio infimo gradu simul cum Caeremoniario.

19. Reversus e choro ad medium ante gradus altaris, antequam Caeremoniario det Pacem et iterum post datam ei Pacem, antequam ascendat ad dexteram Celebrantis, in utroque casu in medio infimo gradu simul cum Caeremoniario.

20. Ablutione facta, dum a dexteris Celebrantis transit ad ejus sinistram, in medio infimo gradu simul cum Diacono genuflectente in gradu secundo.

21. In translatione calicis ad credentiam, dum transit ante medium altaris, in infimo gradu.

22. Deposito calice in credentia et inde reversus ad medium altaris ante gradus, in infimo gradu, minime vero, si consistat ad cornu Epistolae.

23. Infra benedictionem Celebrantis, utroque genu in ora suppedanei a sinistris Diaconi.

24. Ad verba Evangelii s. Joannis *Et verbum caro factum est*, nisi sustineat tabellam.

25. Ante reditum in sacristiam, ante gradus altaris in plano simul cum Diacono.

*B.* Diaconus genuflectit:

1. In primo accessu ad altare, in plano simul cum Subdiacono.

2. Ad incensationem Crucis et altaris, sicut Subdiaconus n. 2.

3. Ante et post sessionem, sicut Subdiaconus n. 3.

4. Dum cantata Epistola librum Evangeliorum transfert a Cornu Epistolae ad medium altaris, in medio infimo gradu.

5. Dum dicit *Munda cor meum etc.*, utroque genu in ora suppedanei.

6. Dum petit et accipit benedictionem Celebrantis ante Evangelium cantandum, utroque genu in suppedaneo.

7. Immediate ante Evangelium cantandum, in medio infimo gradu simul cum Subdiacono.

8. Infra Evangelium cantandum, si genuflexio praescribatur, versus librum.

9. Postquam, Evangelio cantato et Celebrante incensato, ad altare pervenit in locum suum, in secundo gradu simul cum Subdiacono genuflectente in primo gradu.

10. Infra Symboli recitationem et cantum, sicut Subdiaconus n. 9.

11. Ante et post sessionem, sicut Subdiaconus n. 10.

12. Dum infra cantum Symboli bursam cum corporali de credentia affert ad altare, antequam ascendat in suppedaneum, in medio infimo gradu. Et iterum explicato corporali, antequam redeat ad sedem, in medio altaris in suppedaneo, si accedat ad sedem via breviori, vel in medio infimo gradu, si accedat ad sedem via longiori.

13. Infra incensationem post Offertorium, ante et post incensationem Crucis et quotiescunque transit ante medium altaris.

14. Post incensationem chori et Subdiaconi, antequam ipse incensetur a Thuriferario, in medio secundo gradu.

15. Post dictum *Sanctus*, dum a dextera Celebrantis transit ad sinistram, in medio supremo gradu post Celebrantem.

16. Ad *Quam oblationem*, dum revertitur a sinistra Celebrantis ad ejus dexteram, in medio supremo gradu post Celebrantem.

17. Infra utramque Consecrationem et Elevationem, utroque genu. Elevatione absoluta accedit ad sinistram Celebrantis genuflexione facta utrimque a lateribus Celebrantis.

18. Post Consecrationem toties, quoties Celebrans genuflectit.

19. Ad *Per quem haec omnia*, antequam accedat ad dexteram Celebrantis.

20. Ante Orationem Dominicam, antequam descendat a suppedaneo in locum suum.

21. Ad verba *Et dimitte nobis debita nostra*, antequam ascendat ad dexteram Celebrantis.

22. Dum Celebrans primam Orationem ante Communionem legit, utroque genu in suppedaneo ad dexteram Celebrantis, antequam Pacem ab eo accipiat.

23. Pace accepta, antequam descendat in planum ad dandam Subdiacono Pacem, et iterum antequam data Subdiacono Pace ascendat ad sinistram Celebrantis.

24. Ablutione Celebrantis facta, dum transfert missale ad cornu Epistolae, in medio secundo gradu simul cum Subdiacono genuflectente in medio infimo gradu.

25. Infra benedictionem Celebrantis, utroque genu in ora suppedanei a dexteris Subdiaconi.

26. Ad verba Evangelii s. Joannis *Et verbum caro factum est*, simul cum Celebrante.

27. Ante reditum in sacristiam, ante gradus altaris in plano simul cum Subdiacono.

## Caput V.

### *De Diacono et Subdiacono in Missa solemni cum planetis plicatis.*

**81.** Juxta Rubricas generales missalis XIX. n. 6. in cathedralibus et praecipuis ecclesiis, quales sunt collegiatae, insigniores regularium ecclesiae et etiam parochiales,[1]) in Dominicis et Feriis Adventus (excepta Dominica tertia, dicta Gaudete) et Quadragesimae (excepta Dominica quarta, dicta Laetare) et diebus jejuniorum aliisque in Rubrica enumeratis, Diaconus et Subdiaconus loco dalmaticae et tunicellae utuntur planetis plicatis. Quae planetae ejusdem sunt formae et coloris ac illa Celebrantis, sed a parte anteriori intrinsecus plicatae usque ad pectus, aciculis vel vittis firmatae, ne decidant.

Subdiaconus lecturus Epistolam, sub finem ultimae Orationis a Celebrante cantatae, antequam a Caeremoniario accipiat librum Epistolarum, accedit ad credentiam vel scamnum ibique adjuvante Caeremoniario deponit planetam plicatam. Deinde accepto libro accedit ad altare concomitante Caeremoniario et, genuflexione in medio infimo gradu facta, in loco consueto cantat Epistolam. Qua cantata et genuflexione in medio infimo gradu facta, accedit, uti moris est, ad Celebrantem, a quo accipit benedictionem, deinde reddit librum ministro, accedit ad credentiam vel scamnum et resumit planetam plicatam. A credentia (scamno) directe accedit ad altare sine genuflexione et defert missale Celebrantis ad cornu Evangelii more consueto.

Diaconus planetam plicatam deponit, antequam librum Evangeliorum deferat ad altare. Dum scilicet Subdiaconus post Epistolam transfert librum Celebrantis, Diaconus descendit in planum ad credentiam vel scamnum ibique adjuvante Caeremoniario dimittit planetam plicatam, ejusque loco super stolam suam diaconalem assumit stolam latiorem nulla cruce ornatam,[2]) quae ab humero ejus sinistro dependens, funiculis sub brachio dextero ligatur. Ita indutus acceptum a Caeremoniario

[1]) *S. R. C.* 23. Apr. 1875 ad 7. — [2]) *S. R. C.* 25. Sept. 1852 ad 7.

librum Evangeliorum more solito defert ad altare et deinceps per totam Missam ministrat Celebranti usque ad factam Communionem. Qua peracta et missali ad cornu Epistolae translato, descendit ad credentiam vel scamnum, ubi, deposita stola latiori, resumit planetam plicatam. Deinde accedit ad altare.

Finita Missa pars plicata demitti potest, ut planetae inserviant pro celebratione Missae.

# Tractatus II.

## De Incensatione, de Pace nec non de osculis manuum et instrumentorum.

### Caput I.

*De modo et ordine incensandi.*

**82.** In peragenda incensatione distinguitur ductus duplex et simplex. Ductus duplex fit elevando dextera thuribulum clausum a loco cinguli usque ad faciem et movendo illud versus rem aut personam incensandam ita, ut manus describat lineam curvam parabolicam, denique iterum illud deprimendo seu reducendo ad eundem ac antea locum cingulo tenus. Ductus simplex vero peragitur, si incensans sublevatum ante pectus (non ante faciem) thuribulum lente et linea recta versus objectum incensandum movet moxque ad seipsum retrahit, quin manum demittat.[1])

In utroque casu thuribulum in parte superiori catenularum sinistra tenetur immissis duobus vel tribus digitis ultimis in manubrii anulum sicque thuribulum sinistra applicatur pectori nec inde movetur toto incensationis tempore. In parte inferiori autem tribus digitis dexterae, pollice nempe, indice et medio, catenulae comprehenduntur prope thuribuli operculum sicque dexterâ thuribulum movetur et dirigitur modo explicato.

[1]) *Carpo*, pars 2. n. 208.; *Martinucci*, lib. 1. cap. 1. n. 20.; *Eph. lit.* 1893 pag. 34. not. 1.; *S. R. C.* 22. Mart. 1862 ad 21.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 311.

Duplici ductu incensantur: Sanctissimum,[2] Celebrans, Ministri sacri aliique Ministri superiores, Canonici[3] ceterique in choro exceptis Clericis. Simplici ductu incensantur: Altare, Crux altaris, Evangeliorum liber, Acolythi, Cantores, populus, tumulus.[4]

Ante et post incensationem tam ab incensante quam ab incensando resp. incensato mutuae quaedam reverentiae tamquam invitationes ad actum thurificationis observandae sunt. Videlicet si is, qui incensat, sit aequalis aut majoris dignitatis cum eo, qui incensandus est, invicem capite inclinato sibi reverentias faciunt ante et post incensationem. Si vero incensans minor sit, ipse quidem versus majores caput profunde inclinat ante et post, illi autem parum vel nihil versus incensantem correspondent pro qualitate ipsius thurificantis, qui et ipse thurificando alios post Canonicos, parum vel nihil versus eos caput inclinat pro eorum qualitate.[5] Quae inclinationes quum non sint tam actus reverentiae quam actus invitationis, nunquam omittuntur, nec coram exposito Sanctissimo. Vide n. 58.

**83.** Hisce praemissis jam pauca disseremus de ordine in incensatione praecipue post Offertorium servando.

Regula generalis: Celebrans, quisquis sit, sive Episcopus sive simplex Sacerdos, incensato altari, omnium primus incensari debet, etiamsi praesentes sint Episcopus loci, Archiepiscopus, Cardinalis, Legatus.[6]

**84.** In Missis solemnibus ordinariis.

Altari incensato a Celebrante post Offertorium, Diaconus stans ad cornu Epistolae in plano ante omnes incensat Celebrantem tribus ductibus duplicibus, deinde Thuriferario comite procedit e cornu Epistolae[7]) ad chorum incensandum.[8] Ad cujus medium quum per-

---

[2]) *S. R. C.* 27. Jan. 1877. (Vide *Schober*, Caer. art. 4. cap. 2. n. 2. not. 7.) — [3]) *S. R. C.* 22. Mart. 1862 ad 21. — [4]) *Carpo*, l. c. — [5]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 20. — [6]) *Caer. Ep.* ibid. n. 27.; *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 189. ad *b.* — [7]) *Carpo*, pars 2. n. 174. — [8]) Supponitur chorus post altare. Si vero chorus sit ante altare in utroque latere presbyterii, Diaconus antequam adeat chorum incensandum, procedit in medium ante altare ibique simpliciter genuflectit, postea incensat chorum. *Martinucci*, lib. 1. cap. 5. n. 19.

venerit, salutat profunda capitis inclinatione utrimque Chorales,[9]) prius a parte, a qua incipienda est incensatio, deinde ab altera. Incipienda autem est incensatio semper a parte digniore.[10]) Pars dignior censenda est ea, in qua adest Hebdomadarius,[11]) si agitur de Vesperis, in Missa vero, in qua munus Hebdomadarii seu officium facientis cessat, ac etiam in Vesperis, in quibus Hebdomadarius non adest, pars dignior censetur ea, in qua sedet dignior e praesentibus.[12]) Incensata hac in parte Dignitate prima vel Canonico digniore incensantur successive per ordinem reliqui Canonici omnes in eadem chori parte[13]) singuli duobus ductibus duplicibus, dein procedit Diaconus ad incensationem Canonicorum in altera chori parte,[14]) facto initio a digniore illius partis. Canonicis in hac altera parte incensatis thurificantur in eadem chori parte ii, qui sunt in sedibus inferioribus, idque per modum unius[15]) i. e. unico ductu in communi, si sint Clerici, secus autem singuli singulis ductibus successive per ordinem, si sint beneficiati, parochi, capellani. Subinde incensantur eodem prorsus modo existentes in sedibus inferioribus alterius partis chori.[16])

Incensatione chori absoluta et salutatis, ut supra, ab utraque parte Choralibus, Diaconus eadem via, qua venerat, id est e cornu Epistolae[17]) revertitur ad altare et subsistens ante infimum gradum anteriorem ad cornu Epistolae, se convertit ad Subdiaconum stantem in plano ante medium altaris, quem incensat duobus ductibus duplicibus, vel, ubi talis viget consuetudo, unico[18]) tantum ductu duplici. Subdiacono incensato et thuribulo Thuriferario reddito, Diaconus accedit ad locum suum in secundo gradu, ubi genuflexione simplici facta se

---

[9]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 323.; *Carpo*, l. c. — [10]) *S. R. C.* 26. Sept. 1643. — [11]) *S. R. C.* 22. Jul. 1848 ad 1. — [12]) *S. R. C.* 12. Sept. 1857 ad 29. — [13]) *S. R. C.* 12. Sept. 1671. — [14]) *S. R. C.* 26. Sept. 1643. Si chorus sit ante altare, Diaconus transiens ex una parte chori ad alteram, genuflectit in medio ante altare. — [15]) *S. R. C.* 3. Aug. 1839 ad 4. — [16]) *Rit. cel.* miss. VII. n. 10. Cf. *Baldeschi*, II. cap. 6. n. 27. not. II.; *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 188. *a.* et ibid. sub 26. ad *a.* et Prax. Pont. II. n. 178.; *Martinucci*, lib. 1. cap. 5. n. 20. sq. *S. R. C.* 5. Jul. 1631 ad 9. et 16. Jun. 1663 ad 1. — [17]) *Carpo*, pars 2. n. 174. — [18]) Consule n. 87. ad 6.

convertit ad Thuriferarium, a quo stante in eodem loco i. e. in plano ante infimum gradum anteriorem ad cornu Epistolae, bis duplici vel unico tantum duplici ductu (in casu supra posito) incensatur. Deinde Thuriferarius incensat Caeremoniarium et Acolythos assistentes ad credentiam unico ductu in communi[19] et postremo populum tribus ductibus simplicibus, sicut in instructione pro Thuriferario dictum est.

Nonnunquam etiam laicis thura danda sunt ordine a Caeremoniali Episcoporum praescripto lib. 1. cap. 23. n. 30. Provinciarum Gubernatores thuris honorem habeant post Episcopum ante Canonicos, Imperator ipse ante Episcopum, scil. assistentem, magistratus (minores) civitatum post Canonicos. Hi omnes thurificantur a Diacono Missae.

**85.** In Missis pontificalibus.

Altari incensato omnium primus incensatur Celebrans,[20] sive sit Episcopus sive alius Praelatus, tribus ductibus duplicibus, deinde Presbyter assistens,[21] Diaconus assistens primus, Diaconus assistens secundus,[22] post quos Dignitates et Canonici in choro, singuli duobus ductibus duplicibus, modo supra exposito, postea magistratus,[23] si adsint in loco distincto extra presbyterium habitu formali induti, demum Subdiaconus duobus ductibus duplicibus. Quae incensationes omnes peraguntur per Diaconum Missae, qui redux ad altare in loco suo genuflexione facta, facie ad Thuriferarium conversa, ab hoc incensatur bis duplici ductu. A Thuriferario incensatur subinde Clerus minor in choro, a Diacono non incensatus,[24] modo in numero praecedenti

[19]) *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 15. ad 4. et Prax. Pont. II. n. 178.; *Martinucci*, l. c. n. 23. — [20]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 27. — [21]) Ibid. — [22]) Ibid. — [23]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 5. n. 27. et lib. 5. cap. 9. n. 123. — [24]) Est ergo discrimen quoad incensationes post Offertorium in Missis solemnibus ordinariis et pontificalibus. In Missa solemni ordinaria enim servandae sunt Rubricae missalis *Rit. cel.* miss. VII. n. 10., juxta quas Diaconus integrum chorum thurificat; in Missa pontificali vero juxta Rubricas *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 24. Diaconus thurificat tantum Dignitates et Canonicos in choro, Thuriferarius autem Clerum minorem in scamnis inferioribus chori congregatum. Conf. *Herdt*, Prax. Pont I. n. 188. ad *a.* et ibid. sub 26. ad *a.*

exposito. Ad altare reversus eadem via, qua in chorum venerat, scilicet e cornu Epistolae, Thuriferarius genuflectit in medio ante gradus et in eodem loco stans incensat Acolythos ad credentiam unico ductu simplici in communi, facta capitis inclinatione ante et post. Iterata dein genuflexione, paulum progreditur versus aditum presbyterii ibique populum incensat tribus ductibus simplicibus, sicut dictum est n. 59. ad *c.*

Si Celebrans non sit Episcopus ideoque non habeat Canonicos assistentes, tunc immediate post Celebrantem incensantur Dignitates et Canonici in choro, singuli duobus ductibus duplicibus, deinde Presbyter assistens, Subdiaconus, Diaconi assistentes, primus et secundus,[25]) singuli duobus vel unico ductu,[26]) omnes a Diacono, qui eodem prorsus modo incensatur a Thuriferario. Prosequens thurificationem Thuriferarius adolet residuos in choro et ad credentiam, ut supra.

**86.** In Missis, quibus assistit Episcopus.

1. Si assistat Episcopus in prima sede chori rochetto et mozzetta[27]) vel cappa magna[28]) indutus, vel extra suam cathedralem in rochetto et mozzetta,[29]) incensatur solummodo ad Offertorium immediate post Celebrantem, qui duobus honoratur ductibus.[30])

2. Si assistat Episcopus in throno vel faldistorio in cappa magna, incensatur pariter solummodo ad Offertorium[31]) immediate post Celebrantem, qui accipit duos tantum ductus.

3. Si assistat Episcopus in throno paratus pluviali et mitra, incensatur ter in Missa, ad Introitum, Evangelium et Offertorium,[32]) et quidem post Evangelium a

---

[25]) Solent esse Acolythi induti amictu, alba et dalmatica, sine stola et manipulo. Si autem sint Presbyteri, ante Subdiaconum incensantur. — [26]) Consule n. 87. ad 6. — [27]) *S. R. C.* 24. Jul. 1638. — [28]) *S. R. C.* 13. Mart. 1700 ad 5. — [29]) *S. R. C.* 7. Dec. 1844 ad 2. — [30]) *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 142. § 1. — [31]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 13. et lib. 2. cap. 9. n. 8.; *S. R. C.* 4. Aug. 1674 ad 1. — [32]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 13.

Diacono cantatum ipse solus secluso Celebrante,[33] ad Introitum et Offertorium autem post incensatum duobus ductibus duplicibus Celebrantem.[34]

4. Post Episcopum ad Offertorium incensatum, si assistat in throno sive paratus pontificaliter sive tantum in cappa, immediate incensantur Canonici Episcopo assistentes, quippe qui unum quasi corpus individuum cum ipso constituunt.[35] Deinde incensantur Canonici in choro, postea Subdiaconus, demum Diaconus ceterique ut supra.

5. Si Episcopus assistat in throno sive paratus sive cappa tantum indutus, ad ipsum spectat thus imponere,[36] non autem ad Celebrantem. Si vero assistat in choro, thus imponitur a Celebrante. In utroque casu thuribulum ministratur a Thuriferario, navicula vero a Diacono Missae, nisi Episcopus proprium habeat Presbyterum assistentem, quia tunc hic offert naviculam Episcopo.[37]

**87.** Ductuum numerus.

1. Sanctissimum expositum,[38] Crux altaris,[39] Reliquia s. Crucis [40] semper tribus ductibus incensari debent, idque non solum intra sed et extra Missam, quandocunque eorum incensatio contingat.

2. Episcopo dioecesano, etiam non celebranti, semper tres debentur ductus duplices, nisi adsit Legatus vel Cardinalis,[41] minime vero Episcopo extraneo, etiam si celebret, praesente Episcopo diocesano. Episcopus extraneus in casu duobus honoratur ductibus duplicibus;[42] tribus vero ductibus, absente Episcopo dioecesano.[43]

3. Celebrans semper ter duplici ductu incensandus est, si nullus adsit eo major, cui ob ejus dignitatem

[33]) *S. R. C.* ibid. — [34]) *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 155. pag. 241. — [35]) *Caer. Ep.* lib. 3. cap. 5. n. 1.; *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 193. ad *a.* — [36]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 14. — [37]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 76. ad 4. et II. n. 146. 147. 149. — [38]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 18.; *S. R. C.* 26. Mart. 1859 ad 3. — [39]) *Caer. Ep.* l. c. n. 32. — [40]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 194 ad *a.* Reliquiae et Imagines Sanctorum etiam B. M. Virginis (*S. R. C.* 28. Jul. 1789) duobus tantum ductibus incensantur, etiamsi solae sint thurificandae seclusa altaris incensatione. — [41]) *Caer. Ep.* l. c. — [42]) *Martinucci*, lib. 5. cap. 18. n. 141.; *Herdt*, l. c. ad *b.*; *S. R. C.* 24. Jan. 1682 — [43]) *S. R. C.* 13. Aug. 1763 ad 2. et 7. Dec. 1844 ad 6.

ecclesiasticam tres debeantur ductus, v. g. Episcopus; majore vero praesente semper duobus ductibus, quamvis ejus collegiales unico tantum ductu honorentur.[44])

4. Si ob praesentiam majoris Celebrans nonnisi duobus ductibus thurificandus sit, bini ductus ei dantur non solum tunc, quando simul cum majore (Episcopo) incensatur v. g. ad Offertorium, sed etiam seclusa majoris incensatione v. g. ad Introitum.[45])

5. Praeter Celebrantem tres ductus nemini Episcopo inferiori debentur, neque Dignitatibus aut Canonicis, neque ipsi Vicario generali, qui potius duos tantum accipiunt ductus, idque non tantum Episcopo praesente, sed etiam absente.[46])

6. Ministri sacri, si sint Canonici, sine dubio duobus ductibus thurificantur, quia duobus ductibus honorantur etiam Canonici non parati in choro.[47]) Si autem Diaconus et Subdiaconus non sint Canonici, sed simplices Presbyteri, controvertitur de ductuum numero, saltem si adsit chorus cum Canonicis. Alii enim honorem duorum ductuum [48]) iis concedunt, admittentibus aliis unicum tantum ductum,[49]) ad distinctionem nimirum cum Canonicis in choro praesentibus. Quum ergo hoc super negotio lis sit sub judice, standum consuetudini loci.

**88.** Unde sequitur pro praxi:

1. A b s e n t e E p i s c o p o Celebrans incensatur tribus, Canonici duobus, Diaconus et Subdiaconus duobus vel unico ductu, Clerici unico ductu in communi, populus tribus ductibus.

2. P r a e s e n t e E p i s c o p o, hic ipse incensatur tribus ductibus, Celebrans, Dignitates et Canonici duobus, Diaconus et Subdiaconus duobus vel unico ductu, reliqui ut supra.

3. A b s e n t e C h o r o Celebrans incensatur tribus, Diaconus et Subdiaconus et alii parati, sicut et Rector

---

[44]) *Caer. Ep.* l. c.; *Bauldry*, pars 2. cap. 9. art. 5. n. 15. — [45]) *Martinucci*, lib. 5. cap. 17. n. 34. *Schober*, Caer. art. 13. n. 3. — [46]) *S. R. C.* 5. Jul. 1631 ad 9.; *Herdt*, l. c.; *Caer. Ep.* l. c. — [47]) *S. R. C.* ibid. — [48]) Vide *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 194. ad *e.* — [49]) *Eph. lit.* 1894 pag. 489. sq.

(Parochus) ecclesiae non celebrans duobus ductibus, Sacerdotes non parati singuli unico ductu, ceteri omnes per modum unius.[50])

4. Inter laicos incensatur Imperator ejusque vicarius (Statthalter, Landespräsident) tribus ductibus, magistratus, si adsit in corpore, in habitu officiali, dominus loci duobus ductibus,[51]) populus semper tribus ductibus.

## Caput II.

### *De Pace.*

**89.** In Missis solemnibus post primam ex tribus Orationibus ante Communionem Celebrantis semper datur Pax, sicut in missali notatur. Excipiuntur: *a)* Missae solemnes de Requiem, *b)* Missae solemnes in triduo sacro, *c)* Missa solemnis in Vigilia Pentecostes, in quibus non datur Pax. Clero datur per amplexum, laicis per instrumentum.[1]) Instrumentum Pacis non potest esse patena, sed esse debet tabella argentea, aut ex pretiosa aliqua materia confecta, in qua sit alicujus Sancti, B. M. V. vel potius ss. Crucifixi imago. Ejus manubrio velum conveniens appenditur, ad idem post quodlibet osculum abstergendum.[2])

**90.** Quomodo datur Pax?

1. In danda et accipienda Pace per amplexum standum est, non sedendum nec genuflectendum juxta regulam: Nulli ecclesiastico osculum pacis dandum est nisi stanti.[3]) Per instrumentum i. e. laicis vero datur nonnisi genuflexis.[4])

2. Dans Pacem inclinat caput recipienti non ante sed post datam Pacem, excepto Celebrante, qui nec post datam Pacem se inclinat sua superioritate impeditus.[5]) Accipiens autem Pacem ante et post datam

---

[50]) *Bauldry*, pars 2. cap. 9. art. 5. n. 19. Quem secutus est *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 194. ad *f*. — [51]) *Herdt*, l. c. n. 193. ad *c*.

[1]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 6. — [2]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 200. *e*. — [3]) *Caer. Ep.* ibid. — [4]) *Schild*, Manual. liturg. pag. 269. n. 5. Cf. *Bauldry*, pars 2. cap. 10. art. 1. n. 3. — [5]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 329.

Pacem caput inclinat deferenti Pacem plus minusve pro dignitate personae.[6])

3. Dans Pacem super humeros recipientis ponit utramque manum extensam, recipiens autem alterum quasi complectens brachia sua supponit brachiis dantis.[7]) Solummodo in Pace danda Praesulibus i. e. Cardinalibus, Episcopo ordinario, Legatis seu Nuntiis apostolicis in locis suae nuntiaturae subjectis, dans Pacem manus suas non imponit, sed supponit brachiis Praesulis.[8])

4. Dantis et recipientis genae sinistrae sibi invicem appropinquant sine tactu reali.

5. In amplexu dans Pacem dicit *Pax tecum* et recipiens respondet *Et cum spiritu tuo.* Quo dicto a se invicem aliquantulum recedunt et sibi invicem caput paululum inclinant.

**91.** Quibus et quo ordine datur Pax?

Regulae generales:

1. In danda Pace generaliter tenendus est ordo dignitatis, ita ut Celebrans semper tradat Pacem, recipiat nunquam.

2. Post Celebrantem datur Pax primo cujusque ordinis, incipiendo a dignioribus et descendendo ad minus dignos.[9])

3. Ad chorum defertur Pax in Missis solemnibus ordinariis per Subdiaconum,[10]) in Missis vero, in quibus adest Presbyter assistens, ut in Missis pontificalibus, per Presbyterum assistentem,[11]) qui tamen eam praebent solummodo Dignitatibus et Canonicis, minime vero Clericis, utpote quibus datur a Caeremoniario.[12])

4. Episcopo non celebranti, sed assistenti Missae solemni, sive in throno sive in choro, Pax datur non a

---

[6]) *Caer. Ep.* l. c. n. 5.; *Herdt*, ibid. et Prax. Pont. I. n. 198. *a.* [7]) *S. R. C.* 23. Maji 1846 ad 9. — [8]) *Martinucci*, lib 1. cap. 6. n. 7.; *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 196. *a.* — [9]) *Rit. cel.* miss. X. n. 8.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 6. 7. — [10]) *Rit. cel.* miss. l. c.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 11.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 328. — [11]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 4 et lib. 2. cap. 8. n. 75.; *S. R. C.* 24. Maji 1664. — [12]) *Rit. cel.* miss. l. c.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 7.

Subdiacono, sed a Diacono, utpote digniore, imo a Presbytero assistente, si adsit.[13])

5. Quando per instrumentum danda est Pax, antequam deferatur, instrumentum osculandum est ab eo, qui primus a Celebrante accepit Pacem, ergo a Diacono in Missis solemnibus ordinariis, a Presbytero assistente in Missis pontificalibus.[14])

**92.** In Missis solemnibus ordinariis Pax datur: *a)* Diacono et Subdiacono, *b)* Canonicis in choro, *c)* ministris inferioribus seu Acolythis assistentibus cetérisque Clericis. Celebrans dat Pacem Diacono ad altare in suppedaneo, Diaconus genuflexione facta descendit eamque sine praevia inclinatione dat Subdiacono in plano. Pace data caput inclinat Subdiacono, genuflectit in primo gradu et ascendit ad sinistram Celebrantis. Subdiaconus accepta Pace caput inclinat Diacono et facta in primo gradu genuflexione simplici, Caeremoniario comite, tendit per cornu Epistolae[15]) ad chorum, ubi sine[16]) salutatione Choralium ob reverentiam ss. Sacramenti in altari, directe accedit ad digniorem inter Canonicos. Post datam illi Pacem descendit gradus chori et facta in plano praedicto Canonico inclinatione, transit ad alteram chori partem,[17]) Pacem daturus absque praevia inclinatione primo Canonico in stallis superioribus. Data Pace et inclinatione illi in plano facta, absque salutatione choro facienda per cornu Evangelii[18]) redit ante altare, ubi genuflectit[19]) simpliciter in primo gradu et data Pace Caeremoniario comiti[20]) repetitaque genuflexione ascendit ad dexteram Celebrantis facturus, quae sunt sui muneris. Caeremoniarius repetita simul cum Sub-

---

[13]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 8.; *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 202. et II. n. 156. ad 3.; *S. R. C.* 11. Febr. 1702 ad 5. — [14]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 6. Cf. *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 200. *f.* — [15]) *Carpo*, pars 2. n. 195. Supponitur chorus post altare. — [16]) *Herdt*, l. c. n. 202. pag. 311. — [17]) Si ante altare transire cogatur, non omittat debitam genuflexionem in transitu altari faciendam. — [18]) *Carpo*, l. c. — [19]) *Rit. cel.* miss. X. n. 8. — [20]) Ex *Rubr. miss. Rit. cel.* miss. X. n. 8. Subdiaconus Caeremoniario (vel Acolytho) comiti dat Pacem reversus ante altare, non in choro. Cf. *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 201. ad *a*. Vide infra notam 24.

diacono ante altare genuflexione, se confert ad credentiam et Pacem praebet primo ex ministris inferioribus, procedit deinde ad Clericos congregatos in scamnis chori et dat Pacem primo in singulis scamnis, qui eam tradit sequenti et sic alter alteri per ordinem usque ad ultimum.

Laicis Pax nunquam datur per amplexum, sed semper per instrumentum, sicut jam innuimus, et quidem post Pacem datam Canonicis in choro.[21] Data igitur Subdiacono Pace Diaconus osculatur (reg. gen. 5.) instrumentum a Caeremoniario sibi porrectum dicens *Pax tecum,* cui Caeremoniarius respondit *Et cum spiritu tuo.* Tum Caeremoniarius comitatur Subdiaconum Pacem deferentem ad chorum, qui postquam Canonicis in choro dederit Pacem, reversus ad altare ibique genuflexione simplici facta, comite Caeremoniario pergit ad Magistratum[22] stantem in loco suo, illique instrumentum a Caeremoniario acceptum et velo albo appenso abstersum osculandum praebet dicens *Pax tecum*, qui respondet *Et cum spiritu tuo.* Reverentia Magistratui facta et instrumento Caeremoniario restituto revertitur ad altare, ubi genuflectit simul cum Caeremoniario, qui deposito in credentia instrumento ab eo accipit Pacem, quam, iterata ante altare genuflexione, defert ad Acolythos, ut supra.

**93.** In Missis pontificalibus Pax eodem modo datur hoc discrimine, quod dicto *Agnus Dei* Presbyter assistens (reg. gen. 3.) in suppedaneo a dexteris Celebrantis genuflectat,[23] post primam ante Communionem

[21]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 6. n. 9.; *S. R. C.* 16. Febr. 1593. — [22]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 329. — [23]) Agitatur inter auctores quaestio, utrum Presbyter assistens in Missa pontificali, antequam Pacem a Celebrante accipiat, flectere debeat unum vel utrumque genu. Alii enim contendunt, faciendam esse genuflexionem simplicem, provocantes ad verba *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 75.: »genuflectit et *statim* surgit« dicentes, »quum Presbyter assistens ad dexteram Celebrantis pervenerit, hic Orationem *Domine Jesu Christe* etc. ordinarie absolvit, proinde unico genu flectere et statim surgere debet« (*Herdt*, Prax. Pont. II. n. 118. b.; *Schober*, Caerem. art. 9. cap. 7. not. 8.). Alii vero praescribunt duplicem genuflexionem, verba Caeremonialis ita intelligentes, ut Presbyter assistens genuflexus exspectet Pacem et post absolutam primam Orationem ante

Orationem statim assurgat et osculato simul cum Celebrante altari extra corporale ab eo accipiat Pacem, quam subinde defert Dignitatibus et Canonicis in choro. Pace hisce distributa, antequam ad altare redeat, dat eam in choro [24] Caeremoniario. Deinde redit ad altare. Caeremoniarius accepta Pace, eam distribuit ceteris in choro, scilicet primo cujusque partis reliquorum in choro, qui Pacem a presbytero assistente non acceperunt, postmodum Acolythis ad credentiam primo in ordine. Interim post Presbyterum assistentem accesserunt ad Celebrantem Pacem accepturi Diaconus Evangelii, Subdiaconus Epistolae, dein Diaconi assistentes primus et secundus, si hi sint tantum in ordine acolythatus; si vero sint in ordine presbyteratus, prius accedunt Diaconi assistentes, et postea Diaconus et Subdiaconus Missae.[25]) Hi omnes postquam accesserunt ad Celebrantem, genuflectunt quidem in suppedaneo ante et post acceptam Pacem, minime vero altare osculantur.[26])

Laicis (Magistratui) datur Pax post Canonicos in choro. In hoc casu, quum dicitur *Agnus Dei,* Caeremoniarius de credentia accipit instrumentum, et dum Presbyter assistens Pacem accepturus exspectat, ipse genua submittit. Presbytero descendente surgit eique instrumentum porrigit, quod Presbyter accipiens osculatur dicens *Pax tecum* et Caeremoniarius respondet *Et cum spiritu tuo.* Deinde a sinistris Presbyteri incedens instru-

---

Communionem *statim* assurgat ad recipiendam Pacem. Ita *Martinucci,* lib. 1. cap. 6. n. 11. et lib. 5. cap. 9. n. 134.; *Baldeschi,* III. cap. 1. art. 5. n. 52.; *Hazé,* art. 5. n. 6.; *Hartmann,* § 179. IX. n. 1. et ipse *Herdt,* Prax. Pont. II. n. 124 pag. 185. Quid ergo? Utramque sententiam componentes dicendum esse arbitramur, sufficere simplicem genuflexionem, si Celebrans infra accessum Presbyteri assistentis ad sui dexteram jam absolverit orationem respectivam, assistentem autem utrumque genu submittere debere, si Celebrans in legenda oratione diutius immoraretur et proinde assistens per aliquod temporis spatium exspectare cogeretur, ad conformitatem cum Diacono in Missa solemni ordinaria, qui genuflexus exspectat Pacem (*Rit. cel.* miss. X. n. 8.). — [24]) Juxta *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 7. n. 6. Presbyter assistens Caeremoniario Pacem dat in choro. Quod valet tantum in Missa pontificali. Conf. notam 20. — [25]) *S. R. C.* 15. Mart. 1608. ad 13.; cf. *Eph. lit.* 1889 pag. 344.; *Herdt,* Prax. Pont. I. n. 197. sub 4. — [26]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 3.

mentum ante pectus reverenter defert, ut illud opportuno tempore Presbytero offerat, scilicet quando Presbyter illud laicis daturus est osculandum.[27])

**94.** In Missis solemnibus coram Episcopo in quibus nec Celebrans habet Capellanum assistentem nec Episcopus Presbyterum assistentem, Diaconus Missae (reg. gen. 4.) acceptam a Celebrante Pacem defert debitis cum reverentiis ante altare ad Episcopum, cui nullam facit reverentiam. Data Pace soli Episcopo factaque illi debita reverentia ad altare reversus genuflectit et Pacem praebet Subdiacono, qui eam reliquis distribuit, ut supra. Episcopus dat Pacem binis Diaconis sibi assistentibus.[28]) Vide etiam n. 105.

## Caput III.

### *De osculis manuum et instrumentorum.*

**95.** Regula generalis est: Quoties aliquid offertur Celebranti, sive sit Episcopus sive simplex Sacerdos, toties osculanda est res, quae offertur ac deinde manus accipientis; et quum ab eodem aliquid accipitur, primo manus, deinde res, quae accipitur, osculanda est.[1])

Exceptiones ab hac regula sunt: 1. Quum Episcopo chirothecae imponuntur, prius manus ejus deinde chirothecae osculandae sunt.[2]) Ratio est, quia quum manus per chirothecas obtegantur, chirothecae alias bis osculandae viderentur.[3])

2. In accipiendis candelis et palmis benedictis prius osculandae sunt candelae et palmae, postea manus.[4]) Ratio esse videtur, quia in recipiendis candelis aut ramis dignitas rei benedictae requirit, ut Ministri prius illam osculentur.[5])

Notandum tamen, soli Celebranti non autem Ministris ejus hoc obsequium osculi praestandum esse,[6])

[27]) *Herdt,* Prax. Pont. I. n. 200. *f.* — [28]) *Herdt,* S. Lit. Prax. II. n. 43. ad 17. et Prax. Pont. I. n. 202. *a.*

[1]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 16. — [2]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 19. — [3]) *Herdt,* Prax. Pont. II. n. 83. sub 19. — [4]) *S. R. C.* 16. Sept. 1865; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 16. n. 9. et cap. 21. n. 6. — [5]) Conf. *Schober,* Caer. art. 1. cap. 2. n. 7. — [6]) *Herdt,* Prax. Pont. I. n. 163. *a.*

quapropter in traditione rerum in manus Ministrorum sive superiorum sive inferiorum, vel in earum receptione, non sunt osculandae neque manus accipientis Ministri neque res tradendae.

**96.** Oscula omittenda sunt:

1. In Missis et functionibus pro defunctis.[7]

2. In functionibus in Parasceve Domini.[8]

3. In ministrando thure et thuribulo, quotiescunque solum ss. Sacramentum incensandum est.[9] Quo in casu nec benedicitur thus, sed simpliciter imponitur.[10]

4. In Missis solemnibus coram exposito ss. Sacramento omittuntur omnia oscula mere reverentialia, non autem ritualia. Reverentialia sunt, quae fiunt ob meram reverentiam Celebranti debitam, oscula nempe manus in traditione et receptione cochlearis, thuribuli, anuli, baculi, aspergilli, birreti nec non oscula ipsorum horum instrumentorum. Ritualia sunt, quae pertinent ad ritum, qualia sunt oscula missalis, patenae, calicis nec non manus in traditione rerum harum.[11]

5. Praesente Episcopo ommittenda sunt omnia oscula reverentialia ceterum Celebranti debita, quae exposito ss. Sacramento ommittenda sunt.[12]

Unde regula: In Missis et functionibus in colore nigro omittuntur omnia oscula tum reverentialia tum ritualia; in Missis et functionibus coram exposito Sanctissimo et coram Episcopo omittuntur solummodo oscula reverentialia; in Missis solemnibus ordinariis nulla omittuntur oscula.

---

[7]) *Rit. cel.* miss. XIII. n. 2.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 16. et lib. 2. cap. 11. n. 5. — [8]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 163. *e.* — [9]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 18. — [10]) Ibid. — [11]) *Gardellini*, Comment. in Instr. Clement. XXX. n. 14. — [12]) Patet hoc ex *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 16., ubi dicitur: »Idem (i. e. oscula manuum et instrumentorum) observandum est erga alios Celebrantes absente Episcopo.« Si oscula, recte infert *Herdt*, absente Episcopo sint facienda, concludendum est, eadem praesente Episcopo esse omittenda, illa scilicet quae exposito ss. Sacramento omittenda sunt. Prax. Pont. I. n. 163. ad *g.* Ad quaesitum: Utrum in Missa coram Episcopo cantata Diaconus cessare debeat ab osculis manus Celebrantis a Rubrica praescriptis e. gr. Patenam vel Thuribulum porrigendo? *S. R. C.* 12. Sept. 1857 ad 2. respondit: Servandum Caeremoniale Episcoporum. Cf. *Bourry*, tom. 2. pag. 600.

# Tractatus III.

## De officio Ministrorum sacrorum in Missa pontificali et in Missis coram Episcopo.

### Caput I.

#### *Regulae generales.*

**97.** — 1. Soli Episcopo competit titulus »Reverendissimus«, quapropter in petenda benedictione ipsi soli dicitur *Benedicite Pater Reverendissime* et nulli alii Episcopo inferiori.[1] Alii tituli, ut »Celsissime«, »Illustrissime«, »Eminentissime«, in hac formula minime adhibentur.[2]

2. Quater in Missa pontificali secundum Rubricas Pontifex lavat manus: *a)* in throno vel in sacristia (sacello), antequam capiat paramenta[3]; *b)* in throno post lectum Offertorium accepta mitra extractisque anulo et chirothecis; *c)* in cornu Epistolae post incensationem Oblatorum, altaris et sui ipsius; *d)* in cornu Epistolae post Communionem ablutione sumpta acceptaque mitra.[4] Quinta lotio post Missam depositis paramentis non praescribitur a Rubricis, potest tamen fieri, si talis invaluerit consuetudo.[5]

3. Dum Episcopus (non alius Praelatus Episcopo inferior) manus lavat, sive ante sive infra sive post Missam, in genua procumbunt non tantum ministri lotionis, sed et reliqui omnes assistentes totusque chorus, exceptis Canonicis.[6]

4. Si incensum imponendum sit in solio e. g. ante Evangelium cantandum, navicula Pontifici ministratur a Presbytero assistente, si autem ad altare e. g. ante Introitum et post Offertorium, a Diacono Missae. Thuribulum omni in casu ministratur a Thuriferario.[7]

5. Dum Pontifex stat ad altare, incensatur a Diacono Missae e. g. ante Introitum, post Offertorium; dum

---

[1]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 13. n. 15. nota *a*. — [2]) Ibid.; *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 109. *b*. — [3]) Si cantatur Tertia, haec lotio fit infra ejusdem cantum. — [4]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 11. — [5]) Cf. *Baldeschi*, III. cap. 1. art. 6. n. 62. — [6]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 10. — [7]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 1.

autem est apud sedem, incensatur a Presbytero assistente[8]) e. g. finito Evangelio.

6. Episcopo ordinario ab omnibus[9]) assistentibus, Canonicis inferioribus, etiam a Ministris sacris reverentia exhibenda est per genuflexionem in accessu, transitu et recessu, nisi Missa celebretur coram exposito Sanctissimo, quia tunc cessant omnes reverentiae, quae alioquin (non ritus, sed) honoris ratione fiunt,[10]) et nisi adsit Episcopo dignior, Archiepiscopus, Cardinalis, Legatus, quia tunc tantum se inclinant.[11]) Si autem Celebrans in pontificalibus prorsus non sit Episcopus, sed Praelatus inferior, etiamsi habeat usum pontificalium, vel etiam Episcopus extraneus, reverentia illi debetur solummodo per capitis inclinationem.[12]) — In sequentibus variae hae reverentiae brevitatis causa exprimuntur verbis »debita cum reverentia« vel similibus, per quae intelligenda est mox genuflexio mox capitis inclinatio, prout Celebrans est vel Episcopus ordinarius vel alius Praelatus, Ministri superiores vero vel Canonici vel non.

7. In Missis pontificalibus Celebrans manipulo non induitur ante Missam simul cum reliquis paramentis, sed infra Missam post Confessionem, praeterquam in Missis pontificalibus de Requiem, in quibus eum sumit statim cum aliis paramentis.

## Caput II.

### *De Tertia cantanda ante Missam pontificalem Episcopi.*[1])

**98.** — 1. Episcopus secundum morem ad altare deductus, simul cum Presbytero et Diaconis assistentibus

[8]) *Bauldry*, pars 2. cap. 9. art. 5. n. 4.; *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 58. *c.* — [9]) *S. R. C.* 9. Maji 1857. — [10]) Cf. *Herdt*, l. c. n. 155. — [11]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 10. — [12]) Ad dubium: Utrum reverentia per genuflexiones debeatur Celebranti in pontificalibus, quando est Episcopus extraneus vel Praelatus habens usum pontificalium, vel Abbas sive in proprio monasterio sive ex speciali privilegio extra proprium monasterium? *S. R. C.* die 12. Sept. 1857 ad 24. respondit: Negative quoad Episcopum extraneum et Praelatos habentes usum pontificalium; affirmative quoad Abbates regulares in suae jurisdictionis ecclesiis tantum.

[1]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 5–23.

accedit ad thronum, ubi stans, recitato *Pater noster* et *Ave Maria*, intonat *Deus in adjutorium meum intende.*

2. Hymno a choro finito et psalmo incepto Episcopus sedet et capite birreto cooperto legit praeparationem ad Missam, adstantibus ministris de libro et de candela. Presbyter et Diaconi assistentes, a lateribus discooperti stantes, Psalmos praeparationis cum Episcopo alternatim [2]) recitant. Quum Episcopus sederit, statim accedunt sex Acolythi, qui facta coram Episcopo genuflexione, in forma semicirculi thronum circumdant, dum Praesul sandalis et caligis induitur. Quibus expeditis Acolythi omnes simul coram Celsissimo genuflectunt et redeunt ad loca sua. Mox Pontifex deponit cappam et lavat manus more solito, quo facto Presbyter et Diaconi assistentes in sacristiam se conferunt ad sumenda paramenta, Diaconus et Subdiaconus Missae autem jam parati eorum locum apud Episcopum occupant.

3. Interim Caeremoniarius ministris inferioribus, qui successive ad altare accedunt, distribuit paramenta in altari posita, quae dicti ministri inferiores debita cum genuflexione per ordinem, unus post alium,[3]) ad thronum afferunt et omnes pro induendo Episcopo ministro tradunt, quo facto ad suum quisque locum apud credentiam redit.

4. Post lotionem manuum Pontifex induitur hoc ordine: Amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, stola et pluviali[4]) eique imponitur mitra. Episcopo sic parato, Diaconus et Subdiaconus Missae de throno descendunt et facta reverentia Episcopo et altari accedunt ad sedes suas, Diaconi assistentes autem jam parati accedunt ad Episcopum ad loca sua.

5. Dum psalmis finitis a choro repetitur antiphona, Caeremoniarius Subdiaconum debitis cum reverentiis deducit ad locum, ubi cantari solet Epistola, ad cantandum capitulum, et omnes surgunt.

6. Paulo ante Orationem ad nutum Caeremoniarii duo Ceroferarii cum candelabris accensis, facta in transitu ante

---

[2]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 7. n. 3. — [3]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 12. — [4]) Si Tertia in choro non cantatur, Episcopus pluviali non induitur, sed statim tunicella, dalmatica etc. ut n. 7. dictum est.

altare genuflexione, accedunt ad thronum Episcopi, ubi facta prius genuflexione stant versis invicem faciebus infra Orationem, quam Episcopus deposita mitra cantat. Oratione absoluta debitis cum reverentiis tum ante Episcopum tum ante altare recedunt ad credentiam.

7. Infra Orationem ab Episcopo cantandam Caeremoniarius reliqua paramenta pontificalia ministris inferioribus distribuit scil. tunicellam, dalmaticam, chirothecas et planetam, quibus Episcopus absoluta Oratione et deposito pluviali induitur. Denique ei imponitur mitra, porrigitur anulus et traditur baculus. Omnibus sic praeparatis accedit cum Ministris ad altare Missam incepturus.

## Caput III.

### *De officio Diaconi et Subdiaconi in Missa pontificali.*[1]

**99.** Missa pontificalis hoc ordine celebratur: *a)* ab initio usque ad peractam primam incensationem altaris et Celebrantis ante Introitum — ad altare; *b)* ab Introitu inclusive usque ad oblationem hostiae exclusive — ad

---

[1]) Ultra Diaconum et Subdiaconum Episcopo ad Missam pontificalem assistunt tamquam Ministri superiores: Presbyter assistens, indutus amictu super rochetto et pluviali sine stola, et duo Diaconi assistentes in habitu diaconali, hoc est dalmatica supra rochettum et amictum pariter sine stola. — Presbyteri assistentis est: *a)* Episcopo suggerere submissa voce, si in aliquo forte deficeret aut titubaret, praesertim indicare illi legenti ad altare, quae sint legenda, quapropter ejus locus est prope Episcopum ad librum; *b)* librum a ministro acceptum sustinere Episcopo ad thronum aliquid alta voce cantanti; *c)* librum cum cussino ab altari amovere infra incensationem altaris saltem ad Offertorium; *d)* ad lotionem manuum Episcopo ministrare mantile et imponere anulum; *e)* naviculam ministrare ad impositionem thuris extra altare; *f)* Episcopum incensare ad thronum; *g)* Pacem a Celebrante acceptam deferre ad chorum. — Diaconorum assistentium est: *a)* Episcopo servire ad thronum, praesertim in legendo vel cantando ex libro, primus folia volvit, secundus textum indicat; *b)* Episcopo offerre et auferre mitram in throno, primus eam imponit, secundus eam deponit, quod praestant etiam ad altare, sed deficiente Diacono Missae tantum; *c)* Episcopo offerre et auferre gremiale, primus illud a ministro acceptum imponit, secundus amovet et ministro tradit.

thronum; *c)* ab oblatione hostiae usque ad finem — ad altare. Sedes Diaconi et Subdiaconi sunt ad cornu Epistolae e regione throni episcopalis.

1. Ante Missam pontificalem, ad quam Pontifex in sacello vel sacristia paramentis induitur, ab eo thus imponitur more solito ante accessum ad altare [2]); minime vero imponitur incensum, si induatur in throno ad altare majus.[3]) Pro impositione thuris Thuriferarius tradita Presbytero assistenti navicula, accedit ad Pontificantem debitis cum reverentiis (reg. gen. 6.), eique thuribulum ministrat genuflexus, si sit Episcopus, secus stans.

2. Ad altare quum pervenerint, Diaconus Missae Pontifici deponit mitram et omnes ita se sistunt, ut in medio ante altare stet Pontifex, a dexteris ejus Presbyter assistens, a sinistris vero Diaconus Missae, a cujus sinistris modicum retro Subdiaconus [4]); retro post Presbyterum assistentem stat Diaconus assistens primus, post hunc ministri de baculo et de mitra; retro post Diaconum Missae Diaconus assistens secundus, post hunc minister de candela et de libro.[5])

3. Quum Pontifex incipit *Indulgentiam, absolutionem etc.* Subdiaconus a ministro de libro accipit manipulum Pontificis, hucusque in libro Evangeliorum inclusum eumque osculatur in cruce laterali. Praedicta oratione completa eum debita cum reverentia [6]) Pontifici offert osculandum in cruce superiori et ipse, manu Pontificis osculata, eum applicat brachio sinistro ejus.

4. Ascendente Pontifice per gradus Presbyter assistens et Diaconus Missae loca sua mutant post Pontificem. Assistens scilicet accedit ad sinistram post Episcopum ante Diaconum, hic autem post Presbyterum ad dexteram Pontificis et simul cum illo ascendunt ad altare. Subdiaconus [7]) cum libro Evangeliorum a ministro accepto etiam ascendit a sinistris Presbyteri assistentis. Ad altare librum aperit in folio Evangelii festi, et post-

---

[2]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 23. — [3]) Ibid. n. 25.; *S. R. C.* 23. Sept. 1837 ad 2. — [4]) *Caer. Ep.* l. c. n. 30. — [5]) *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 88. *a.* — [6]) *S. R. C.* 27. Febr. 1712 ad 4. — [7]) *Caer. Ep.* l. c. n. 33.

quam Pontifex altare osculatus est, ante incensationem altaris, eidem librum offert osculandum in principio Evangelii, textum indicante Presbytero assistente. Quo facto Subdiaconus librum claudit et ministro reddit.

5. Incensatione ante Introitum peracta, Pontifex stans in cornu Epistolae,[8]) non in throno, tribus ductibus duplicibus a Diacono incensatur, quo facto omnes accedunt ad sedes ibique permanent usque ad Offertorium.

6. Ante Epistolam cantandam Subdiaconus more solito tenens librum a Caeremoniario acceptum, accedit ante gradus altaris, factisque debitis reverentiis (reg. gen. 6.) primo Cruci altaris deinde Pontifici,[9]) vadit ad locum, ubi Epistola cantari solet. Qua cantata redit ante medium altaris, debitam Cruci facit reverentiam, accedit comitante Caeremoniario ad Pontificem in sede, debitam ei exhibet reverentiam, genuflectit[10]) in gradu sedis, librum versus Pontificem declinat, dexteram ejus super libro positam osculatur et benedictionem de more accipit. Qua accepta surgit, paululum a sede regressus Pontifici debitam facit reverentiam, librum tradit Caeremoniario et, facta altari reverentia, redit ad locum suum.

7. Osculata manu Celebrantis per Subdiaconum, accedunt duo ministri de libro et candela ad Celebrantem cui serviunt ad librum in lectione Epistolae et aliorum usque ad Evangelium inclusive.

8. Circa finem cantus Gradualis vel lecto a Pontifice Evangelio, Diaconus librum Evangeliorum a Caeremoniario acceptum solus defert ad altare debitam faciens reverentiam prius Pontifici deinde Cruci[11]) altaris ante gradus. Librum clausum deponit in medio altaris cum apertura versus cornu Evangelii et, si positio throni id permittit, facta Cruci reverentia via breviori, secus via longiori i. e. descendens per gradus anteriores, facta altari reverentia accedit ad Pontificem, cujus dexteram praemissa reverentia deosculatur stans inclinatus, si sit Canonicus, genuflexus in gradu sedis, si sit simplex

---

[8]) Ibid. n. 35. — [9]) Hunc ordinem observari vult *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 40. — [10]) Si est Canonicus non genuflectit, sed profunde sese inclinat. — [11]) Hic ordo praescribitur a *Caer. Ep.* l. c. n. 42.

Sacerdos. Quo facto iterataque debita reverentia Pontifici, redit ad altare in cujus infimo [12]) gradu genuflexus et inclinatus secreto dicit *Munda cor meum etc.*

9. Dicente Diacono *Munda cor meum etc.* Subdiaconus [13]) et Ceroferarii cum candelabris accensis, duce Caeremoniario, sine ulla reverentia accedunt ante gradus altaris, ubi se ita sistunt, ut mox triplex series efficiatur, sicut dictum est n. 46. ad 4. vel n. 66. ad 5. Eodem tempore Presbyter assistens comitante Thuriferario debita cum reverentia accedit ad thronum et cum osculo consueto et usitata formula Pontifici offert naviculam ad ingerendum thus in thuribulum praesentatum a Thuriferario a dexteris Presbyteri assistentis genuflexo vel stante, prout Celebrans est vel Episcopus vel non. Thure imposito et facta Celebranti debita reverentia Presbyter assistens redit ad locum suum, Thuriferarius autem cum thuribulo et navicula se adjungit Caeremoniario stanti ante gradus altaris.

10. Dum tempus est eundi ad cantandum Evangelium, omnes i. e. Diaconus cum missali clauso ante pectus et Subdiaconus, Caeremoniarius et Thuriferarius cum thuribulo et navicula, et Ceroferarii cum candelabris accensis, facta altari debita reverentia, accedunt ad thronum. Ibi se sistunt: Diaconus in medio ante thronum, Subdiaconus a sinistris Diaconi paulo post eum, Ceroferarii post eos medium habentes inter se Caeremoniarium, et post hunc Thuriferarius. Dum Diaconus inclinatus, si sit Canonicus, alioquin genuflexus in gradu throni, petit benedictionem dicens *Jube, domne, benedicere*, ministri inferiores omnes in genua procumbunt,[14]) Subdiaconus vero profunde caput inclinat vel genuflectit, sicut Diaconus. Data a Celebrante benedictione Diacono, qui manum ejus nunc non osculatur, quia eam jam antea osculatus est, surgunt omnes et facta debita reverentia Celebranti procedunt ad locum, ubi Evangelium cantari solet ibique se sistunt, uti moris est. Recole n. 46. ad 4. Infra Evangelium singuli se gerunt, sicut in aliis Missis solemnibus. Evangelio cantato

[12]) *Caer. Ep.* l. c. — [13]) *Martinucci*, lib. 5. cap. 9. n. 96. [14]) *Caer. Ep.* l. c. n. 44.

Presbyter assistens,[15]) non Diaconus, Celebrantem incensat tribus ductibus duplicibus.

11. Infra cantum Symboli, versiculo *Et incarnatus est etc.* a cantoribus cantato, Diaconus a Caeremoniario admonitus more solito bursam de credentia affert ad altare, in via ante medium altaris prius Pontifici, dein [16]) altaris Cruci debitam faciens reverentiam.

12. Dicto Offertorio, quum Episcopus ante gradus altaris pervenerit, ei mitra aufertur a Diacono Missae. Ante infusionem vini idem Diaconus,[17]) non Subdiaconus [18]) uti in aliis Missis solemnibus, extergit calicem purificatorio. Quoad ordinem incensandi post Offertorium perlege dicta n. 85.

13. Accepta thurificatione usque ad finem Orationis Dominicae Diaconus stat in loco suo post Celebrantem, exceptis his casibus: *a)* ad Sanctus; *b)* ad elevationem utriusque Speciei; *c)* ad *Per quem haec omnia* ante Orationem Dominicam; *d)* ad *Et demitte nobis etc.* in dicta Oratione, quibus in casibus accedit ad dexteram Celebrantis ibique se gerit, uti in aliis Missis solemnibus. — Subdiaconus tenens patenam non ascendit ad Celebrantem ad recitandum Sanctus,[19]) neque, tradita patena, ad recitandum Agnus Dei,[20]) sed toto tempore haeret loco suo.

14. Dicto *Agnus Dei* Presbyter assistens et Diaconus Missae mutant loca, videlicet Presbyter assistens, qui hucusque stetit a sinistris Celebrantis, facta genuflexione accedit ad ejus dexteram, ibique recipit Pacem, sicut dictum est n. 93.; Diaconus Missae vero, qui hucusque stetit a dexteris Celebrantis, accedit ad sinistram ejus, facta utrimque genuflexione, ibique permanet, donec venerit tempus recipiendi Pacem, quo tempore revertitur ad dexteram Celebrantis facta utrimque genuflexione et Pacem recipit. De Pace danda et recipienda recole dicta n. 93.

15. Pace a Celebrante Subdiacono data, Diaconus ascendit ad dexteram Celebrantis, cui ministrat ad purifi-

---

[15]) Ibid. n. 47. — [16]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 9. n. 3. — [17]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 62. — [18]) *Rit. cel.* miss. VII. n. 9. [19]) *S. R. C.* 2. Maji 1892 ad 2. — [20]) Ibid. ad 1.

cationem et ablutionem. Ante lotionem manuum Pontifici imponit mitram, quam post lotionem iterum aufert, dein redit ad locum suum. Subdiaconus vero accepta Pace factaque Pontifici inclinatione et ss. Sacramento genuflexione, recedit in locum suum nec ascendit ad altare, dum Pontifex se purificat et digitos abluit,[21]) sed facta ablutione Pontificis ascendit ad cornu Evangelii, extergit calicem eumque more solito defert ad credentiam.

16. Dum Episcopus dicit *Placeat* ante benedictionem populi, Presbyter assistens a Caeremoniario accipit libellum continens formulam ad promulgandas Indulgentias ab Episcopo concedendas. Osculato altari, Diaconus Episcopo mitram imponit, data benedictione eam iterum aufert. Dicto *Initium S. Evangelii etc.* eam denuo imponit, quae aufertur post accessum ad thronum. Vide not. 6. num. sq. De Benedictione apostolica n. 101. ad 13.

## Caput IV.

### *De Mitra imponenda et deponenda in Missa pontificali.*

**100.** Regulae generales:

1. Existente Episcopo apud sedem suam, sedenti aufertur et imponitur mitra; secus quando genuflectit pro oratione facienda, quia tunc stanti imponitur, genuflexo aufertur; apud altare stanti imponitur et aufertur.[1])

2. Dum Pontifex est in sede, regulariter primus Diaconus assistens imponit ei mitram, secundus Diaconus assistens eam deponit; ad altare vero Diaconus Evangelii eam imponit et deponit, nisi sit impeditus, uti post utramque altaris incensationem, quo in casu primus Diaconus assistens eam imponit et secundus eam tollit,[2]) et, iis deficientibus, Caeremoniarius[3]) idem facit.

3. In Missa pontificali coram exposito ss. Sacramento cessat mitrae usus, quapropter mitra deponitur, simulac Pontifex venerit in conspectum Sanctissimi et imponitur, postquam venerit e conspectu ss. Sacramenti.

[21]) *S. R. C.* 2. Maji 1892 ad 1.

[1]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 8. n. 3. — [2]) Ibid. — [3]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 147.

**101.** Specialiter mitra imponitur et deponitur in his casibus:

1. Imponitur infra Tertiam, postquam Episcopus pluviale induerit; deponitur ante Orationem cantandam.

2. Imponitur, postquam Episcopus indutus fuerit casula; deponitur post accessum ad altare, antequam in principio Missae altari reverentiam faciat.

3. Imponitur immediate post altaris incensationem, antequam Pontifex ipse incensetur; deponitur, antequam ad sedem redux incipiat Introitum.[4])

4. Imponitur, quum Pontifex dicto *Kyrie* sederit; deponitur, dum chorus ultimum *Kyrie* cantat.

5. Imponitur, quum Pontifex recitato Hymno angelico sederit; deponitur finito cantu Hymni, antequam assurgat.

6. Imponitur, quum Pontifex cantatis Orationibus sederit; deponitur data Diacono benedictione ante Evangelium cantandum.

7. Imponitur, quum Pontifex Symbolo recitato sederit; deponitur, antequam Symbolo a choro cantato surgat.[5])

8. Imponitur, quum Pontifex lecto Offertorio sederit: deponitur, postquam ante infimum gradum altaris pervenerit ante inclinationem Cruci altaris exhibendam.

9. Imponitur incensatione altaris peracta, antequam Pontifex incensetur; deponitur finito psalmo *Lavabo.*

10. Imponitur post Communionem ad lotionem manuum, qua expleta statim deponitur.

11. Imponitur recitata Oratione *Placeat;* deponitur benedictione impertita.

12. Imponitur dicto ultimo Evangelio[6]); deponitur, quum Pontifex ad sedem redierit.

---

[4]) Si Episcopus duabus utatur mitris, hic mitra pretiosa amovetur et auriphrygiata affertur. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 36. — [5]) Si Episcopus duabus utatur mitris, hic mitra auriphrygiata amovetur et pretiosa iterum affertur. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 57. — [6]) Si ultimum Evangelium sit s. Joannis, imponitur statim post dictum *Initium s. Evangelii etc.*, secus post Evangelium.

13. Si post Missarum solemnia Benedictio apostolica ab Episcopo danda sit, Pontifex ad thronum reversus sedet cum mitra, quae deponitur lecto Brevi Pontificio vulgari idiomate. Iterum imponitur formula Benedictionis dicta et aufertur Benedictione impertita.

## Caput V.

### *De Diacono et Subdiacono in Missa solemni coram Episcopo assistente in choro.*

**102.** Episcopus Missae solemni assistere potest in choro vel in throno. In choro assistit regulariter rochetto et mozzetta indutus in primo stallo chori. In throno assistit vel cum cappa magna vel in ornatu episcopali i. e. cum pluviali, mitra et baculo. Unde triplex distinguitur assistentia Episcopi, videlicet *a)* rochetto et mozzetta vestiti in primo stallo chori; *b)* cappa magna induti in throno; *c)* pontificaliter parati item in throno.

**103.** Si Episcopus Missae solemni assistat in primo stallo chori, ratione illius Ministris sacris nihil est observandum, praeter haec tria: *a)* Diaconus Episcopum incensat tantum ad Offertorium post incensatum Celebrantem immediate ante incensationem chori tribus ductibus duplicibus, Celebrantem vero duobus ductibus duplicibus ad Introitum, Evangelium et Offertorium [1]; *b)* Diaconus accepta Pace a Celebrante, eam defert ad Episcopum, deinde reversus ad altare eam dat Subdiacono, qui, genuflexione cum Diacono in medio infimo gradu facta, eam reliquis distribuit.[2]) Si Celebrans habeat Sacerdotem assistentem, hic, non Diaconus Missae, Pacem a Celebrante acceptam defert ad Episcopum et ad Canonicos in choro, reversus ad altare eam dat Diacono et Caeremoniario, Diaconus eam dat Subdiacono [3]; *c)* si chorus sit retro post altare, Episcopus quoad reverentias faciendas plane ignoratur, ac si non adesset, praeterquam in danda thurificatione et Pace, quia tunc reve-

---

[1]) *S. R. C.* 7. Dec. 1844 ad 2.; *Herdt,* Prax. Pont. II. n. 142. § 1. — [2]) Ibid. — [3]) Conf. *Herdt,* l. c. n. 151.

rentiae ei exhibendae sunt, ut alias. Si vero chorus sit ante altare in anterioribus presbyterii lateribus, tunc secundum communem sententiam auctorum,[4]) in accessu, recessu et transitu ante Episcopum ordinariae reverentiae ei non sunt denegandae. Consule n. 106.

Dicta observantur etiam in Missis coram Episcopo assistente in rochetto et mozzetta extra Cathedralem in ecclesiis propriae dioeceseos [5])

## Caput VI.

### *Regulae servandae in Missis solemnibus coram Episcopo assistente in throno.*

**104.** Regulae circa incensationes:

1. Si Episcopus pontificaliter paratus assistat Missae solemni, ter incensatur, scilicet post incensationem altaris ante Introitum, post Evangelium et post Offertorium.[1]) Quum autem assistit cappa tantum indutus, semel incensatur, idque ad Offertorium.[2])

2. Episcopus assistens post Celebrantem omnium primus [3]) incensatur, idque tribus ductibus duplicibus, et quidem a Presbytero assistente sibi,[4]) eo deficiente, a Diacono Missae,[5]) sive Celebrans habeat Capellanum assistentem sive non.

3. Si post Episcopum assistentem incensandi sint etiam alii, tunc immediate post Episcopum, ante alios quoscunque incensantur Canonici Episcopo assistentes, nimirum Presbyter assistens, si adsit, et Diaconi assistentes a dexteris et a sinistris ejus.[6]) Vide n. 86. ad 4.

4. Thus imponitur ab Episcopo assistente,[7]) ministrante thuribulum Thuriferario, naviculam autem Presbytero assistente Episcopi [8]) vel, eo deficiente, Diacono Missae.[9]) Ab hac regula excipitur impositio thuris ante

---

[4]) Ibid. n. 142. — [5]) *S. R. C.* 7. Dec. 1844 ad 2.

[1]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 13. — [2]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 9. n. 8. — [3]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 27. — [4]) *S. R. C.* 19. Maji 1607 ad 9. — [5]) *Herdt,* Prax. Pont. II. n. 156. ad 3. — [6]) *Caer. Ep.* lib. 3. cap. 5. n. 1. — [7]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 14. — [8]) *Herdt,* l. c. n. 159. — [9]) Ibid. n. 164. pag. 261.

Consecrationem, utpote quae fit more solito a Caeremoniario. Recole n. 57. et n. 66. ad 8.

Unde sequitur pro praxi: *a)* Si Episcopus assistens habeat Presbyterum assistentem, Celebrans autem non habeat Capellanum assistentem, tunc Assistens cum osculis solitis Episcopo offert naviculam et Thuriferarius genuflexus thuribulum ad impositionem incensi. Facta post impositionem incensi debita genuflexione Episcopo et altari, Thuriferarius thuribulum affert Diacono, qui illud tradit sine osculis Celebranti ad incensandum altare, quo incensato Celebrans duobus ductibus duplicibus incensatur a Diacono. Si post Celebrantem etiam alii sint incensandi, v. g. ad Offertorium, tunc comite Thuriferario Diaconus debitis cum reverentiis altari et Episcopo faciendis thuribulum affert sine osculis Presbytero assistenti, qui Episcopum incensat tribus ductibus duplicibus. Quo facto Diaconus thuribulum recipit e manibus Presbyteri assistentis, quem duobus incensat ductibus duplicibus et subinde eodem modo et numero Diaconos assistentes Episcopo. Facta deinde debita reverentia Episcopo, ambo redeunt ad altare et deinde, exhibita altari reverentia debita, tendunt in chorum ad incensandos Chorales. Reversus ad altare Diaconus incensat Subdiaconum, Diaconum autem Thuriferarius, qui prosequitur thurificationem de more. Vide n. 84. — *b)* Si nec Episcopus habeat Presbyterum assistentem nec Celebrans Capellanum assistentem, Diaconus Missae debitis cum reverentiis ad Episcopum cum Thuriferario accedit, quotiescunque incensum est imponendum, ministrat naviculam cum debitis osculis et Episcopum incensat, quotiescunque est incensandus, immediate post eum autem Canonicos ipsi assistentes, si alioquin post Episcopum aliquis sit incensandus, ut ad Offertorium, post hos incensat reliquos, ut dictum est ad *a*. — *c)* Si Episcopus habeat Presbyterum assistentem et Celebrans Capellanum assistentem, imposito, uti supra sub *a*, ab Episcopo incenso, Diaconus Missae absoluta altaris et Oblatorum thurificatione ad Offertorium et accepto thuribulo a Celebrante, hunc incensat duobus ductibus duplicibus, dein facta simul cum Thuriferario genu-

flexione ante altare, pergit ad thronum, ubi, facta Episcopo debita reverentia, Presbytero assistenti Episcopi sine osculis tradit thuribulum, qui tribus ductibus duplicibus adolet Episcopum. Thuribulo a dicto Presbytero recepto, Diaconus duobus ductibus duplicibus adolet hunc ipsum Presbyterum assistentem, deinde Diaconum assistentem Episcopi primum et secundum. Facta Episcopo et altari reverentia, cum Thuriferario tendit in chorum ad incensandos Chorales more solito (recole n. 84.), redux ad altare incensat Capellanum assistentem Celebrantis et Subdiaconum, postremo ipse incensatur a Thuriferario,[10] qui prosequitur incensationem reliquorum, uti dictum est n. 84. — *d)* Si Episcopus non habeat Presbyterum assistentem, habeat autem Celebrans Capellanum assistentem, omnia peraguntur, sicut sub *b* dictum est. Incensatis Canonicis in choro, reversus ad altare Diaconus Missae incensat Capellanum assistentem, Diaconos assistentes Celebranti, primum et secundum, si sint de ordine presbyteratus, postremo Subdiaconum; si vero Diaconi Celebranti assistentes non sint Sacerdotes, incensantur post Subdiaconum. Reliqua n. 84.

**105.** Regulae circa Pacem dandam:

1. Presbyter assistens Episcopi semper accipit Pacem immediate a Celebrante, etiamsi hic habeat suum Capellanum assistentem, eamque illico defert ad Episcopum.[11] Ipse Episcopus nemini dat Pacem, nisi duobus Diaconis sibi assistentibus.[12]

2. Si adest tantum Capellanus assistens Celebrantis, non autem Presbyter assistens Episcopi, Capellanus assistens Pacem a Celebrante acceptam defert ad Episcopum.[13]

3. Si nec Capellanus assistens Celebrantis nec Presbyter assistens Episcopi adest, Pax ad Episcopum defertur per Diaconum Missae.[14]

Unde sequitur pro praxi: *a)* Si Episcopus habeat Presbyterum assistentem, non autem Celebrans

---

[10]) *Martinucci.* lib. 5. cap. 18. n. 140—150.; *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 149. et 164. pag. 260. — [11]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 8. — [12]) Ibid. n. 8. 10. — [13]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 202. ad *a.* — [14]) *S. R. C.* 11. Febr. 1702 ad 5.

Capellanum assistentem, Presbyter assistens Episcopi ascendit in suppedaneum ad Celebrantem, a quo accipit Pacem, quam, genuflexione in suppedaneo facta, defert sine reverentia primo ad Episcopum, qui dat illam Diaconis assistentibus, deinde, facta Episcopo debita reverentia, Presbyter assistens eam dat Subdiacono Missae,[15] qui ideo ad eum accessit, quique deinde eam distribuit Canonicis in choro, deinde reversus ad altare et genuflexione ibi facta eam dat Diacono et postremo Caeremoniario, qui eam distribuit reliquis,[16] sicut dictum est n. 66. ad 10. — *b)* Si Celebrans habeat Capellanum assistentem, non autem Episcopus Presbyterum assistentem, tunc ille Pacem a Celebrante acceptam defert ad Episcopum, deinde ad Canonicos in choro, postea dat eam Diacono et Caeremoniario, qui eum comitatus est; Diaconus eam dat Subdiacono.[17] — *c)* Si Celebrans habeat Capellanum assistentem et Episcopus Presbyterum assistentem, hic acceptam a Celebrante Pacem defert ad Episcopum, deinde dat eam Capellano assistenti Celebrantis, qui ideo ad eum accessit. Capellanus assistens eam more solito distribuit in choro, reversus ad altare et facta ibi genuflexione eam tradit Diacono, deinde Caeremoniario comiti, qui eam praebet reliquis. Subdiaconus eam accipit a Diacono.[18] — *d)* Si nec Episcopus assistens habeat Presbyterum assistentem nec Celebrans Capellanum assistentem, observa dicta n. 94.

**106.** Regulae circa reverentias praestandas:

1. Qui non sunt de gremio Capituli, etiam Diaconus et Subdiaconus non Canonici, semper genuflectere tenentur accedendo, recedendo vel transeundo tam ante altare quam ante Episcopum proprium, sive pontificaliter sive cappa tantum sive mozzetta indutum.[19] Celebrans autem, etiamsi non sit Canonicus, nunquam genuflectit Episcopo, sed se tantum inclinat.[20]

---

[15]) *Caer. Ep.* l. c. n. 10. — [16]) *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 151. — [17]) *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 43. ad 17. — [18]) *Bauldry*, pars 5. cap. 24. n. VI.; *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 164. pag. 261. n. 165. pag. 264. n. 166. pag. 267. — [19]) *S. R. C.* 9. Maji 1857. — [20]) *S. R. C.* 13. Mart. 1700 ad 1.

2. Exposito sanctissimo Sacramento omittendae sunt omnes inclinationes et genuflexiones ante Episcopum in accessu, recessu et transitu, non tamen illae reverentiae, quae fiunt potius ritus quam honoris ratione e. g. ad incensationem, post Pacem datam, aut ad aliquid ministrandum.[21])

3. In Missis coram Episcopo cessant omnes salutationes alias choro exhibendae, uti Caeremoniale Episcoporum innuere videtur.[22])

4. Quum aliquis transeundo ante Celebrantem, altare et Episcopum facturus erit plures reverentias, non inspicitur, cui prius vel postea reverentia exhibeatur, sed tantum commoditas gradientis, ita ut reverentia fieri debeat primo ei, a quo disceditur et ultimo ei, ad quem itur, nullo habito respectu, quis eorum sit major.[23])

## Caput VII.

### *De Diacono et Subdiacono in Missa solemni coram Episcopo cappa induto in throno.*

**107.** Supponitur: *a)* assistentia Episcopi in throno cappa magna induti sine Presbytero assistente; *b)* functio Celebrantis cum assistentibus Ministris sacris et inferioribus ordinariis, sine Sacerdote assistente. Quoad reverentias faciendas vide n. 106.

1. Si praesente jam Episcopo Diaconus et Subdiaconus ceterique assistentes ad altare supervenerint, facta ad altare genuflexione simplici in plano, in eodem loco persistentes omnes se vertunt ad Episcopum eique faciunt genuflexionem simplicem, nisi expositum sit Sanctissimum in altari, in quo faciendum est Sacrum, quia tunc nulli,[1]) nec Episcopo[2]) debetur reverentia.

Si vero, quod certe decet, ante adventum Episcopi ad altare accesserint, in scamno ad cornu Epistolae cum Celebrante sedent, exspectantes adventum Episcopi. Quo

---

[21]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 155. — [22]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 5. n. 5. 6. et cap. 8. n. 40. Conf. *Herdt*, l. c. n. 154. — [23]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 13.

[1]) *S. R. C.* 31. Aug. 1793. — [2]) *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 6.

adveniente surgunt, eique super genuflexorium procumbenti, debitam faciunt genuflexionem. Deinde dum Episcopus orat, a tergo ejus simul cum Celebrante accedunt ad altare,[3]) ibique se sistunt ut mox dicetur.

2. Si facienda sit Aspersio aquae benedictae Diaconus aspergillum sine osculis tradit Celebranti. Toto aspersionis tempore Ministri sacri ad altare permanent genuflexi in primo gradu, etiam dum Celebrans accedit ad Episcopum; stantes autem dum aspersionem accipit chorus populusque. Aspersione absoluta et debita altari ac Episcopo facta genuflexione, accedunt ad scamnum ibique manipulos accipiunt.

3. Dum Episcopus Confessionem facit ad altare a dexteris Celebrantis, Ministri sacri stant retro post Celebrantem, Diaconi assistentes Episcopi autem retro post Episcopum juxta Ministros sacros. In hoc casu Ministri sacri et Diaconi assistentes Episcopo non respondent, sed inter se bini et bini Confessionem recitant.[4])

4. Facta Confessione Diaconus ad altare non ascendit cum Celebrante et Subdiacono, sed comite Thuriferario (vel ejus defectu Caeremoniario) facta genuflexione altari accedit ad Episcopum, coram quo simpliciter genuflectit ante gradus throni simul cum comite. Deinde utroque genu flexus in gradu throni ministrat Episcopo naviculam cum osculis consuetis dicens: *Benedicite, Pater Reverendissime,* ministrante thuribulum Thuriferario genuflexo. Incenso imposito Diaconus et Thuriferarius assurgunt et facta Episcopo genuflexione revertuntur ad altare, ubi iterum genuflectunt Diaconus in primo gradu, Thuriferarius in plano et Diaconus acceptum a Thuriferario thuribulum tradit sine osculis [5]) Celebranti, qui incensat altare more solito, sed finita incensatione duobus[6]) tantum ductibus duplicibus et quidem ipse solus a Diacono incensatur. Episcopus hic non incensatur, nisi Missae assistat paratus cum pluviali,

[3]) *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 43. ad 6. — [4]) *S. R. C.* 14. Nov. 1676 ad 6. — [5]) Vide n. 96. ad 5. — [6]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 32. Vide n. 87. ad 4. hujus libri.

mitra et baculo, et tunc, incensato Celebrante a Diacono, ter duplici ductu incensatur.[7]

5. Antequam Subdiaconus cantet Epistolam, simul cum Caeremoniario more solito genuflectit altari deinde Episcopo. Cantata Epistola et facta simul cum Caeremoniario ante medium altaris genuflexione, procedit ad thronum, ante quem simpliciter genuflectit in plano, ascendit ad thronum, in cujus gradu genuflexus manum Episcopi super libro positam osculatur. Caeremoniarius interim utrumque genu flectit in plano.[8] Accepta benedictione surgit simul cum Caeremoniario, quocum ante thronum genuflectit eique reddit librum et reversus ad altare iterum genuflectit, ceteroquin se gerens more solito.

6. Ante Evangelium cantandum Diaconus librum de more transfert in medium altaris non omittens debitas genuflexiones altari et Episcopo faciendas. Relicto in altari libro accedit ipse solus ad thronum cum reverentiis supra n. 5. assignatis ad osculandam manum Episcopi. Immediate post osculum manus et ante orationem *Munda cor meum* ministrat[9] Episcopo naviculam interim a Thuriferario allatam ad impositionem thuris, ut ad Introitum dictum est n. 4. Incenso imposito et facta simul cum Thuriferario ante Episcopum genuflexione, ad altare reversus in infimo gradu genuflexus et profunde inclinatus recitat *Munda cor meum etc.* Qua oratione absoluta ascendit ad altare et accipit librum Evangeliorum, descendit et, si nondum sit tempus eundi ad cantandum Evangelium, ante gradus altaris in plano exspectat. Dum tempus est, praemissa ad altare genuflexione, simul cum Subdiacono, Caeremoniario, Thuriferario et duobus Ceroferariis debita cum genuflexione accedit ad Episcopum, a quo genuflexus petit benedictionem dicens: *Jube, domne, benedicere*, Subdiacono interim a sinistris[10] ejus, reliquis vero sicut in Missa pontificali ante sedem episcopalem genuflexis. Recole n. 99. ad 10. Benedictione accepta, Diaconus manum

[7]) Ibid. — [8]) *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 169. — [9]) *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 43. ad 12. — [10]) *Martinucci*, lib. 5. cap. 17. n. 73.; *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 165. pag. 263.

Episcopi non [11]) osculatur, sed statim assurgit cum Subdiacono ceterisque et omnes facta Episcopo genuflexione accedunt ad locum, ubi cantari solet Evangelium. Finito Evangelio Subdiaconus librum apertum sine reverentia facienda defert ad Episcopum. qui initium sacri textus osculatur. Deinde Subdiaconus librum claudit et facta Episcopo genuflexione tradit Caeremoniario. Diaconus autem Celebrantem [12]) duobus ductibus duplicibus incensat, minime vero Episcopum, nisi Missae assistat pontificaliter paratus, in quo casu Episcopus solus [13]) tribus ductibus duplicibus incensatur a Diacono. Reliqui se gerunt, ut in Missa pontificali.

7. Ad Offertorium infuso a Diacono vino in calicem, Subdiaconus stans in cornu Epistolae vertit se ad Episcopum, coram eo paulisper elevat ampullam aquae et dicens *Benedicite, Pater Reverendissime* genuflectit unico genu.[14]) Accepta a Diacono patena descendit in planum. genuflectit [15]) in primo gradu et deinde Episcopo [16]) et se consistit ut alias.

8. Facta oblatione calicis et tradita Subdiacono patena, Diaconus ad imponendum thus accedit ad Episcopum comite Thuriferario, observans ad amussim omnia, quae dicta sunt n. 4. Absoluta altaris incensatione duobus ductibus duplicibus incensat Celebrantem, debitis cum reverentiis Thuriferario comite accedit ad Episcopum, quem tribus ductibus duplicibus, ejusque assistentes scil. Diaconum primum et secundum, singulos duobus ductibus duplicibus incensat. Facta debita genuflexione Episcopo et altari adit chorum ad incensandos Canonicos singulos bis duplici ductu, ad altare reversus incensat Subdiaconum more consueto (vide n. 87. ad 6.) et reddito thuribulo ipse de more incensatur a Thuriferario.

9. Diaconus accepta a Celebrante Pace factaque in suppedaneo et mox in infimo gradu genuflexione,

[11]) Recole dicta n. 96. ad 5.; *Herdt*, l. c. n. 164. pag. 259. — [12]) *S. R. C.* 4. Aug. 1663 ad 8. et 13. Febr. 1892. dub. 30. n. 10. — [13]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 13.; *S. R. C.* 4. Aug. 1674 ad 1. — [14]) Ita auctores communiter. — [15]) *Rit. cel.* miss. VII. n. 9. — [16]) *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 165.

comite Caeremoniario accedit ad Episcopum sine ulla reverentia illique soli, exclusis Diaconis assistentibus, dat Pacem, qua data facit genuflexionem Episcopo et reversus ad altare illique genuflexione facta Pacis osculum praebet Subdiacono, qui eum distribuit reliquis de more. Vide n. 92.

10. Ad benedictionem Episcopi ambo Ministri simul cum Celebrante se retrahunt ad cornu Epistolae, Diaconus in secundo gradu, Subdiaconus in plano, convertunt faciem suam versus Episcopum, et infra benedictionem genuflectunt. Benedictione accepta cum Celebrante redeunt ad medium altaris, ibique facta debita reverentia, accedunt ad cornu Evangelii.

11. Finito Evangelio vel in cornu Evangelii cum Celebrante vertunt se ad Episcopum debitam ei facientes reverentiam et exspectantes, donec hic discesserit, vel, dato signo ab Episcopo, in medium altaris reversi, descendunt, in plano genuflectunt primo altari deinde Episcopo et more solito in sacristiam recedunt.

12. Ritus praescripti servantur in celebratione Missae coram Episcopo in dioecesi sua, coram Cardinali ubique terrarum, coram Legato Apostolico in locis suae legationis et coram Archiepiscopo in sua provincia, modo non peregrinentur incognito, nec non coram Abbate benedicto in sua ecclesia tantum.

Si autem Missa solemnis celebretur coram Episcopis extraneis, hi non faciunt Confessionem cum Celebrante, non benedicunt incensum, neque osculantur librum Evangeliorum, et in fine Celebrans populo benedicit, ac si illi non essent praesentes. Incensantur tamen ante Canonicos et alios tribus ductibus duplicibus, et tunc Celebrans etiam tribus ductibus duplicibus, vel saltem duobus. Pax eisdem etiam ante alios defertur. Celebrans et Ministri eos nudo capite salutant ante et post Missam.[17])

[17]) *Herdt,* Prax. Pont. II. n. 141.

# Sectio quarta.
## De Celebrante.

## Tractatus I.
### De Missa ejusque Ministro generatim.

### Caput I.
#### *De variis Missae denominationibus.*

**108.** Variae distinguuntur Missarum species, quarum denominationes desumuntur ex vario exteriori apparatu, quo Missa celebratur, ex conformitate sacrificii cum officio, ex coetu, pro quo vel coram quo sacrificium offertur, ex diverso objecto et ritu nec non ex aliis rationibus.

1. Ratione apparatus vel solemnitatis, qua celebratur, distinguitur Missa solemnis, cantata et privata. Solemnis est ea, quae omnem solemnitatem habet cantus, thuris, Ministrorum sacrorum, earumque caeremoniarum, quas praescribunt Rubricae agentes de Missa solemni.[1]) Quae cum ab Episcopis et Praelatis usum pontificalium habentibus celebratur, Missa pontificalis audit. — Missae solemni opponitur privata[2]) i. e. ea, quae nulla externa solemnitate peragitur, nimirum sine cantu (sc. Celebrantis, etiamsi populus aut chorus cantet organaque pulsentur) et cum uno dumtaxat ministro. Dicitur etiam lecta, quia tantum legitur, non canitur,[3]) et Missa plana, quae denominatio saepius

[1]) *Merati*, I. pars 1. *Rub. gen.* n. 33. — [2]) Distinguunt inter Missam stricte privatam et non stricte privatam seu late solemnem. Hujusmodi Missae non stricte privatae sunt eae, quae quidem sunt privatae, quae nihilominus quamdam prae se ferunt rationem solemnitatis, puta si Missa sit parochialis, si celebretur pro Alumnorum Seminarii aut Collegii communione, si cantari deberet vel de jure posset et aliquo de impedimento non canitur, uti accidit de Missa conventuali, de Missa Neopresbyteri, cui plures invitati assistunt, de Missa jubilari etc. *Eph. lit.* 1893 pag. 478. ad *b.* Huc pertinet etiam Missa ordinationis. Cf. *Eph. lit.* 1892 pag. 163. — [3]) *Thalhofer*, Handb. der kathol. Liturgik II., pag. 322.

occurrit in Caeremoniali Episcoporum.[4]) — Cantata autem dicitur Missa, quae cantatur in nonnullis partibus a Sacerdote celebrante sine Ministris sacris. Haec medium quodammodo locum tenet inter solemnem et privatam, utpote plus solemnitatis habens quam privata et minus quam solemnis, quapropter etiam media[5]) nuncupatur.

2. Ratione conformitatis cum officio distinguitur Missa secundum ordinem officii seu conformis officio et Missa extra ordinem officii[6]) seu non conformis officio, quatenus nimirum Missa celebratur de eodem mysterio vel Sancto, de quo agitur in officio divino (breviario) vel non. Missa conformis officio pro qualibet die assignatur in Directorio, eapropter Missa de die vel diei dicta. — Missa non conformis officio est vel votiva vel de Requiem. Missa votiva dicitur ea, quae extra ordinem officii diei celebratur ex voto vel devotione sive Celebrantis sive eleemosynam (stipendium) offerentis.[7]) Missa de Requiem autem ea nuncupatur, quae celebratur pro animabus fidelium in Domino defunctorum ideoque etiam simpliciter Missa defunctorum vel pro defunctis vocatur. Species hujus Missae est Missa exsequialis i. e. ea, quae celebratur in exsequiis, quarum nomine veniunt omnes illae caeremoniae, orationes ac imprimis Missae sacrificium, quae pro fidelibus defunctis ante sepulturam, tempore ipsius sepulturae vel paulo post fiunt ac offeruntur.[8])

3. Ratione coetus, coram quo vel pro quo Missa celebratur, habetur distinctio inter Missam conventualem et parochialem. Missa conventualis, quae etiam principalis[9]) vocatur, est ea, quae in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et conventualibus quotidie

---

[4]) E. g. *Caer. Ep.* lib. I. cap. 12. n. 9. et cap. 24. n. 12. Cf. *Merati*, l. c. n. 47. — [5]) *Bouvry*, Expos. Rubric. tom. 2. pars 3. sect. 1. § 2. punct. 1. n. 3.; *Merati*, l. c. n. 53. — [6]) *Rub. gen.* miss. in initio. — [7]) In missali tamquam votivae assignantur tres species: *a)* Missae votivae in honorem nonnullorum Mysteriorum et Sanctorum; *b)* Missae votivae pro aliquibus rebus vel necessitatibus; *c*) Missae votivae sic dictae per annum seu ad libitum, quae die 5. Jul. 1883 per Indultum apostolicum concessae sunt pro singulis hebdomadae feriis. — [8]) *Kozma*. Liturg. sacra cath. § 257. — [9]) *Rub. gen.* miss. IV. n. 3. et V. n. 2.

choro praesente celebranda est secundum ordinem officii. Missa parochialis autem nominatur ea, quae diebus dominicis et festis de praecepto ab animarum pastoribus applicatur pro parochianis.

4. Ratione objecti potest esse Missa de tempore et de Sanctis. Si nimirum Missa ſit in memoriam alicuius Sancti vel Sanctorum, quorum ſestum illa die celebratur, vocatur Missa de Sanctis. Si autem quadam die tale festum non agitur nec officium dicitur de aliquo Sancto, sed de ſeria vel Dominica occurrente vel de aliquo mysterio Redemptionis nostrae, tunc Missa hujusmodi vocatur Missa de tempore,[10]) quia correspondet variis anni ecclesiastici temporibus, et quidem Missa ſerialis, si ſit de ſeria, Missa dominicalis autem, si celebratur de Dominica. Si ſeria non habet Missam propriam, sicut habent omnes feriae Quadragesimae, Vigiliarum etc., tunc pro Missa de ſeria resumitur et dicitur Missa de Dominica praecedenti.[11])

5. Ratione ritus distinguitur Missa de duplici, semiduplici et simplici scil. ritu.[12]) Differentia inter has Missas generatim consistit in numero Orationum, quatenus nimirum in Missis de semiduplici et simplici ordinarie sumuntur Orationes numero plures, quam in Missis de duplici.

6. Ratione Consecrationis Missa vocatur vel realis vel Missa praesanctificatorum. In Missa reali Consecratio ſit et Communio; in Missa praesanctiſicatorum autem sola habetur Communio cum Hostia praeconsecrata. Haec Missa in Ecclesia latina celebratur in sola feria sexta Parasceves.[13])

[10]) Si sit de tempore, invenies illam in missalis prima parte, quae inscribitur Proprium Missarum de tempore. Si de Sanctis, reperies illam in missali sub titulo Proprium missarum de Sanctis vel Commune Sanctorum, vel in Appendice, si agatur de Sanctis recenter canonizatis aut concessis aliquibus locis, vel in Proprio Dioecesano. — [11]) In Directorio seu Kalendario ecclesiastico Missae feriales et dominicales assignantur breviter verbis »de ea« (sc. de feria vel dominica) vel »de eo« (sc. de sabbato). — [12]) *Rub. gen.* miss. in initio. — [13]) Alias denominationes Missae videsis apud *Merati*, l. c. n. 20—104.

## Caput II.

### *De Applicatione Missae.*

**109.** Applicatio Missae est intentio seu actus voluntatis, quo Sacerdos celebrans fructus sacrificii in aliquem finem honestum cedere vult.

1. Fructus sacrificii quadruplex[1]) est: generalissimus, generalis, specialis, specialissimus. Primus ad omnes pertinet fideles cum unitate catholica conjunctos; dicitur enim in Canone Missae: *Quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica.* Secundus seu generalis spectat ad omnes, qui sacrificio pie intersunt, sicut patet ex verbis orationis in oblatione hostiae: *Et pro omnibus circumstantibus,* nec non ex verbis Canonis: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio.* Tertius seu specialis fructus iis tantum competit, pro quibus sacrificium specialiter offertur vel justitiae lege, vel charitatis titulo, vel alia quacunque de causa, sicut docent Canonis verba: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Quartus denique seu specialissimus ipsius Celebrantis est, quatenus est minister sacrificii, qui offerens hostiam dicit: *Quam (sc. hostiam) offero tibi Deo meo vivo et vero pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis.*

2. Prima itaque fructus pars, utpote quae ad universam extenditur Ecclesiam, et secunda, quae ad circumstantes spectat, omnino independens est a Sacerdotis voluntate, neque applicari ab eo potest, quum ad suum finem jam sit destinata. Tertia tantum fructus pars ex dispositione et voluntate Christi a libera Sacerdotis dependet voluntate tamquam dispensatoris myste-

[1]) *Hartmann,* Rep. Rit. edit. VII. § 91. Communiter quidem triplex tantum sacrificii fructus distinguitur: generalis (qui est noster 1. et 2.), specialis (medius, ministerialis) et specialissimus. Ast nobis non minus arridet sententia eorum, qui quadruplicem distinguendum putant fructum, tum quia haec distinctio in Ordine et Canone Missae fundata est, tum quia ii, qui sacrificio pie intersunt citra omne dubium plus gratiae ergo maiores fructus percipiunt, quam ceteri fideles sacrificio non adstantes. Conf. *Schmid,* Caerem. n. 25. ad 1.; *Aertnys,* Theol. mor. tom. II. lib. 6. tract. 4. n. 110.

riorum Dei (I. Cor. IV., 1.), adeo ut si Celebrans contra voluntatem Superioris vel stipendium erogantis Missam applicaverit, applicatio quidem illicita sit, sed non invalida, fructusque conveniat illi, cui applicavit. Pars denique quarta, quae est solius Celebrantis exclusive, pro aliis applicari nequit, estque omnino inalienabilis. Quae vero et quanta sit portio fructus, quam Deus voluit ut obveniret sive Ecclesiae sive adstantibus sive illis, pro quibus specialiter offertur, sive ipsimet Celebranti, non constat. Sacerdos itaque, ut muneri suo satisfaciat, sufficit, ut pro obligatione et devotione sua iis animabus, pro quibus celebrat, tantum intelligat applicare portionis fructus, quantum Deus in illo sacrificio iis applicandum esse statuerit.[2]) Ceterum quia fructus sacrificii sunt inexhausibiles Deique bonitatis infinitus est thesaurus, secundum sententiam probabiliorem nihil obstat, quominus Celebrans praeter intentionem dantis eleemosynam, quam ex justitia praemittere debet, habeat adhuc aliam intentionem secundariam quasi privatam ex charitate, sine praejudicio tamen alterius. Imo largus sit et profusus in applicatione satisfactorii fructus sacrificii, specialem tamen fructum ei applicans, pro quo celebrare tenetur; quum enim valor sacrificii infinitus sit, potest infinitos producere fructus et prodesse ita uni soli ac infinito hominum numero.[3])

**110.** Pro quibus Missa applicari potest?[4])

1. Missa applicari seu offerri potest pro omnibus, qui fructuum sacrificii percipiendorum sunt capaces, neque ab Ecclesia positive excluduntur. Capaces per se sunt omnes homines, quippe pro quibus omnibus Christus mortuus est. Incapaces sunt damnati, utpote quibus sacrificium nil prodest; siquidem ex inferno nulla est redemptio. Incapaces hoc sub respectu sunt etiam beati in coelis, quia sacrificio Missae amplius non indigent,

---

[2]) *Zualdi*, Caerem. miss. priv. pag. 89. not. et *Eph. lit.* 1888 pag. 691. — [3]) *Müller*, Theol. mor. lib. III. § 12.; *Zualdi*, l. c. p. 225.; *S. Alphonsus*, Theol. mor. lib. VI. n. 312. — [4]) Conf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. II. n. 176. 177.; *Aichner*, Comp. Jur. Can. § 51. (Edit. 8.). Fusius de hac materia agit *Specht*, Die Wirkungen des euchar. Opfers. §§ 37. sq.

nec eorum gloria in coelis per sacrificium adhuc augeri potest. Reliqui omnes sunt capaces, tam vivi quam defuncti, ergo pro iis omnibus valide applicari potest, sed non pro omnibus licite, quia respectu nonnullorum intercedit prohibitio Ecclesiae.

2. Relate ad excommunicatos distinguendum est inter toleratos et vitandos. Pro excommunicatis toleratis, tam vivis quam defunctis, sacrificium applicare licet. Pro excommunicatis vitandis autem, sive vivis sive defunctis, applicare minime fas est, neque si talis excommunicatus vi contritionis perfectae sit in statu gratiae, vel contritus vitam finierit. Ratio est, quia per contritionem excommunicationis vinculum non solvitur.

3. Relate ad haereticos, schismaticos et non baptizatos (Judaeos, Turcas, Infideles), distinguendum est inter vivos et defunctos. Si adhuc vivant, pro iis non tantum generaliter, sed etiam particulariter, pro uno vel altero, celebrare licet, ut convertantur, sed privatim dumtaxat i. e. quin Sacerdos hunc suum actum charitatis palam manifestet. Ad summum applicatio publica permittitur pro principibus acatholicis regnantibus, quia in hoc casu fructus sacrificii redundant etiam in bonum reipublicae. Pro haereticis, schismaticis etc. defunctis autem nullo pacto applicatio publica fieri potest, sed nec privata, nisi tunc tantum, quum talem cum manifestis poenitentiae signis obiisse constat.

4. Relate ad catechumenos, sive vivos sive ante baptismum defunctos, nulla est prohibitio, imo pro iis sacrificium Missae offerre, est pietatis matris Ecclesiae.

III. Quomodo applicatio facienda est?

1. Sufficit intentio habitualis,[5] seu prius elicita et non retractata. Praeferenda tamen intentio actualis seu in actu habita. Ceterum sive habitualis sit sive actualis, certa debet esse ac determinata, saltem

---

[5]) *Benedictus XIV.*, De ss. sacrif. Miss. lib. 3. cap. 16. n. 8.; *Müller*, l. c. § 19.

implicite determinata,[6]) qualis est, si dicas: Offero hoc sacrificium pro eo, pro quo stipendium dans illud vult fieri, vel ad intentionem, quae in intentionum libello assignata est loco primo, secundo etc. Si intentio prorsus sit incognita, applicandum est ad intentionem dantis; si sit inconveniens, applicandum pro salute animae dantis.[7])

2. Sacerdote pro nemine fructum specialem applicante, vel iis, pro quibus applicatur, imparibus eidem fructui percipiendo, vel non indigentibus, fructus hic in Ecclesiae thesauro remanet Hinc in praxi, quando dubitatur, an is, pro quo offerimus, sit necne capax fructus, consultum est, in Missis gratuitis illas applicare vel nobis ipsis, vel alteri sub conditione, si persona, cui applicatur, non sit capax; in Missis vero debitis ex stipendio, quia probabiliter fructus cedit in beneficium propinquorum offerentis ex ejus implicita voluntate, ideo tunc non possumus, cui velimus fructum applicare, nisi sub conditione, ut praejudicium non fiat ei, cui obligatio adsit applicandi.[8])

3. Oportet, ut Celebrans ante Consecrationem sacrificium applicaverit, non postea. Ratio est, quia essentia sacrificii in Consecratione consistit, ut, si post hanc illud applicet, nihil efficiat, quum substantia desierit. Hinc auctores docent, intentionem faciendam esse ante Consecrationem, saltem ante Consecrationem vini.[9]) In praxi optimum erit, intentionem respectivam facere jam ante celebrationem in praeparatione[10]) ad Missam, postmodum vero illam renovare intra Missam in Commemoratione pro vivis, sive vivat persona, cui applicandus est fructus, sive sit defuncta.

---

[6]) *Schober*, Introd. II. in s. Alphonsi Lib. de caerem. miss. n. 3.; *Müller*, l. c. n. 2. — [7]) *Hartmann*, l. c. n. 2. — [8]) *S. Alphonsus*, l. c. n. 336. — [9]) *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. II. n. 187. 188.; *Müller*, l. c. n. 2. — [10]) »Tutissima regula est, ait *Benedictus XIV.*, ut Sacerdos antequam ad altare accedat, eas personas determinet, pro quibus intendit orare, ut illis Missae sacrificium applicetur.« Et paulo inferius: »Sacerdos, se ut omnibus expediat difficultatibus, in praeparatione ad Missam antequam sacris se vestibus induat, ne omittat sacrificii fructum applicare.« De ss. sacrificio miss. lib. 3. cap. 16. n. 8. et 9.

4. Celebrans insuper tenetur orare pro persona, cui fructum sacrificii applicavit, in Commemoratione pro vivis si vivens, in Commemoratione pro defunctis si sit defuncta, prout Rubrica distinguit.[11]) Oret autem mentaliter, commendando personam infinitae misericordiae Dei Optimi Maximi. Quae oratio neque nimis brevis sit, uti monet Gavantus: Memento, ne Memento fiat in momento,[12]) neque nimis longa, ne circumstantibus taedium oriatur ex nimia morositate. Secundum sententiam communem auctorum non multum excedat spatium unius *Pater noster*. In hanc orationem includere potest praeter eos, quibus Missam applicare vult, etiam alios, pro quibus orare intendit,[13]) imo, quia haec commemoratio aestimatur tamquam privata Sacerdotis oratio, in Commemoratione vivorum orare potest non tantum pro Christi fidelibus, sed etiam pro infidelibus, haereticis, schismaticis et excommunicatis, sive toleratis, sive vitandis; in Commemoratione tamen defunctorum nonnisi pro iis defunctis, quorum salus aliquatenus sperari potest, v. g. pro haereticis materialibus, si alioquin in statu gratiae fuerint.[14]) Ab hac oratione distinguenda est applicatio ipsa, de qua n. 110.

5. Literae N. et N. in Commemoratione pro defunctis haud sibi volunt, Celebranti immorandum esse ibi, ut defunctos nominet, pro quibus orare intendit, quum id suo loco ac tempore faciendum sit, nempe post verba *In somno pacis,* ut Rubrica docet. Literae istae ergo solummodo significant, quid suo tempore Celebrans agere debeat.[15]) Attamen non est necesse nomina exprimere neque in Memento vivorum neque mortuorum, sed sufficit, ut Celebrans mente tantum eorum memoriam habeat,[16]) pro quibus orare intendit, et si plures sint, unico contextu generalem Commemorationem faciat omnium, pro quibus ante Missam orare proposuit.

---

[11]) *Bouvry*, Expos. Rubr. tom. II. pars 3. sect. 3. tit. 1.; *Zualdi*, l. c. pag. 89. in nota. — [12]) Thesaur. sacr. rit. pars 2. tit. 8. n. 3. — [13]) Cf. *Rit. cel.* miss. VIII. n. 3.; *Rub. spec.* in Can miss. — [14]) *Müller*, Theol. mor. lib. III. tit. 1. § 18.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 256. not. 4. — [15]) *Zualdi*, l. c. p. 103. not. 2.; *Herdt*, l. c. — [16]) *Rit. cel.* miss. l. c.

6. Non valet applicatio Missae facta sub conditione futura contingente, v. g. offero pro Caio, si stipendium daturus sit, vel pro eo, qui prius morietur, vel pro Titio vivo, ut ipsi post mortem sacrificium prosit.[17]) Ratio est, quia effectus sacrificii suspendi nequit. Neque valet applicatio facta vivo, quem credis mortuum, si tantum pro eo mortuo celebrare debuisses. Ratio est, quia obligatio cadit in applicationem defuncto faciendam ad ejus animam a poenis purgatorii sublevandam; finis autem ille non obtinetur, dum pro vivo sacrificium offertur.[18]) Valet autem applicatio facta sub conditione praeterita aut praesenti jam impleta, v. g. offero pro Sempronio, si mortuus sit, vel: si aegrotet, dummodo ita sit.

7. Quaestionem, quaenam applicatio valeat, si Sacerdos diversas applicationes inter se contrarias fecerit, ut si heri intenderit hodiernam Missam dicere pro Paulo, hodie vero intendat Petro eam applicare, cl. Lehmkuhl[19]) ita resolvit: *a)* Si Sacerdos prioris intentionis memor aliam facit, posterior intentio certo praevalet; *b)* si vero immemor prioris intentionis eam in aliam mutat, per se quidem idem dicendum est, etsi, illius memor, mutationem non fecisset; *c)* at si priorem intentionem ita fecit, ut voluerit, eam prorsus valere, etsi forte ex oblivione eam mutaturus sit, prior praevalebit[20]); *d)* quod si non constet, nil restat, nisi ut sequenti die pro illa ex duobus intentionibus Missam dicat, quam Deus scit invalidam remansisse; alterutra enim — etsi Sacerdos ipse id dijudicare nequeat — valida certo erat.

8. In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum sacrificia possunt a Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, i. e. vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum.[21])

---

[17]) *Müller*, Theol. mor. lib. III. § 19.; *Linzer Quartalschrift*, 1884, pag. 108. — [18]) *Gury*, Compend. Theol. mor. II. n. 358. — [19]) Theol. mor. vol. II. n. 188. — [20]) Cf. *Linzer Quartalschrift*, 1891. pag. 390. — [21]) *S. R. C.* 4. Aug. 1663.; *S. Alphonsus*, Theol. mor. lib. VI. n. 338.; *S. R. C.* 2. Sept. 1741. ad 4.

## Caput III.

### *De Requisitis in Ministro Missae seu in Celebrante.*

**112.** Plura a Rubricis requiruntur in Ministro Missae seu in Celebrante tum ad valide tum ad licite celebrandum, praecipue intentio, immunitas a censuris et irregularitatibus, status gratiae, jejunium naturale, absolutio Matutini cum Laudibus et oratio, cognitio Rubricarum, devotio. Intentio requiritur ad validitatem sacrificii, reliqua requisita autem pertinent ad licitam dignamque celebrationem. In sequentibus de singulis nobis sermo, praeterquam de censuris et irregularitatibus, de quibus agitur in jure canonico.

### *§ 1. Intentio.*

**113.** Ante omnia requiritur intentio consecrandi panem et vinum. Non est quidem opus, ut intentio haec sit explicita, conficiendi scilicet Christi Corpus et Sanguinem seu consecrandi, sed sufficit intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia, quia in hac intentione implicite continetur intentio consecrandi panem et vinum seu conficiendi Sacramentum, quum Ecclesia semper id faciat et intendat quod Christus instituit et fieri iussit.[1] Quae intentio saltem implicita adeo essentialiter et necessario requiritur ad valide celebrandum, ut, ubi nulla adest intentio, etiam nulla adsit Consecratio. Rubrica enim docet: »Si quis non intendit conficere, sed delusorie aliquid agere; item si aliquae hostiae ex oblivione remaneant in altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua hostia lateat, quum non intendat consecrare nisi quas videt, non consecrat, quia requiritur intentio.«[2] Unde non consecratur hostia inscio

---

[1]) Hoc est de fide. Nam Conc. Trid. sess. VII. can. 11. definivit: »Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.« Quod valet, sicut de ceteris sacramentis, ita de sacramento Eucharistiae, ergo etiam de Missae sacrificio, in quo conficitur hoc sacramentum. — [2]) Rub. de defect. int. n. 1.

Sacerdote posita sive in corporali sive infra illud, quia voluntas (intentio) non fertur in incognitum. Similiter non consecrantur fragmenta hostiarum tempore Consecrationis extra corporale dispersa, neque guttae vini, quae exterius calici adhaerent, quia non intenduntur.[3]) Talem intentionem implicitam autem quisque habere censetur, qui eam in celebranda Missa non excludit, aut aliam non fecit.[4]) Eandem habere debent etiam Sacerdotes neoordinati concelebrantes Episcopo in Missa ordinationis.[5])

**114.** Intentio debet esse:

1. Saltem virtualis, quod patet ex Rubrica: »Si intentio non sit actualis in ipsa Consecratione propter evagationem mentis, sed virtualis, cum accedens ad altare intendat facere, quod facit Ecclesia, conficitur Sacramentum.«[6]) Non ergo scrupulis locum det Celebrans, si in actu Consecrationis minime cogitaverit de consecranda hostia majori vel de consecrandis particulis, quia virtualiter perseverat intentio consecrandi antea elicita. Praeferenda utique est intentio actualis seu in actu Consecrationis habita; hinc monet eadem Rubrica: »Curare debet Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat.«

2. Determinata quoad materiam consecrandam. »Si quis«, ait Rubrica, »habeat coram se undecim hostias et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit, non consecrat.«[7]) Unde invalida esset Consecratio, si quis consecrare intenderet partes illas hostiarum, quae fractis Speciebus mansurae sunt in continuo, non quae excident: quia non est materia definita,[8]) utpote in casu prorsus indeterminabilis.

3. Relata ad omnem materiam tunc consecrandam i. e. ad omnes hostias praesentes,

---

[3]) *S. Alphonsus*, Theol. mor. tom. VI. n. 215.; *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 152. ad 5. — [4]) *Herdt*, l. c. ad 3. not. — [5]) *Benedictus XIV.*, De ss. sacrif. miss. lib. 3. cap. 16. n. 4. 5. 6. — [6]) Rub. de defect. int. n. 4. — [7]) Rub. de defect. int. n. 1. — [8]) *S. Alphonsus*, l. c. n. 214. ad 1.

sive sit una vel duae conjunctae, sive sint plures sive pauciores, quam Celebrans putat, et ad omnes guttas vini intra calicem forte dispersas et ad omnes micas panis hostiae adhaerentes.[9]) »Ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes (hostias), quas ante se consecrandum positas habet.«[10]) Auream hanc regulam rubricalem secutus Celebrans nullis unquam inutilibus vexabitur scrupulis circa Consecrationem.[11])

Quid ergo faciendum, si Celebrans putans se habere unam hostiam majorem, inveniat esse duas? R. Si id advertat ante Consecrationem, alteram extra corporale seponere debet, eamque, si ejus oblatio facta fuerit, sumere post ablutionem; si autem id advertat post Consecrationem, tunc, quum secundum modo dicta utraque consecrata sit, cum alterutra dumtaxat signa facere, sed in sumptione utramque simul sumere tenetur.[12])

## § 2. *Status gratiae.*

**115.** »Quodsi necessario fatemur«, dicunt patres concilii Tridentini, »nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.«[1]) Quapropter idem concilium monet: »Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram

---

[9]) *Croix*, quem citat *s. Alphonsus* l. c. n. 215. Consuetudo invaluit laudabilis guttas in calice dispersas purificatorio detergere statim post infusionem aquae ad Offertorium. Quae consuetudo, utpote consentanea doctrinae auctorum, observanda est. *S. R. C.* 7. Sept. 1816. ad 28. — [10]) Rub. de defect. int. n. 1. — [11]) Cf. *Benedictus XIV.* l. c. lib. 3. cap. 18. n. 7. — [12]) Rub. de defect. int. n. 2.; *Herdt*, l. c. n. 156.

[1]) *Conc. Trid.* sess. XXII. decr. de observ. et evit. in celebr. miss.

Eucharistiam accedere debeat. Quod a christianis omnibus etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris. Quodsi necessitate urgente Sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.«[2])

Ex quibus tria haec sequuntur: *a)* Sacerdotem peccati mortalis sibi conscium sub gravi teneri praemittere confessionem sacramentalem Missae celebrationi, nec sufficere contritionem perfectam; *b)* ab hac obligatione confitendi excusari Sacerdotem, si urgeat necessitas celebrandi (i. e. si Parocho celebrandum esset, ut populus Sacro intersit die festo, et non esset alius qui celebraret aut ille non posset celebrationem omittere sine gravi scandalo, vel si adsit necessitas consecrandi particulam ad recreandum viatico moribundum) et simul desit copia confessarii; *c)* si utraque haec conditio concurrat, Sacerdotem celebraturum teneri contritionem perfectam elicere et quamprimum confiteri. Vocabulum quamprimum intelligitur de spatio trium dierum, ita ut Sacerdos huiusmodi saltem intra triduum confiteri teneatur.[3]) Attamen aliquando Sacerdos, uti observat s. Alphonsus, tenebitur eadem die et forte eadem hora confiteri, nempe si tunc confessarium haberet, quo postea per plures dies carebit, vel si cras eadem necessitas celebrandi urgeret nec posset confiteri.[4]) Qui vero absque necessitate celebrandi, habens copiam confessarii, nihilominus in statu peccati lethalis Sacrum peragere praesumpserit, sacrilegium committit certe duplex,[5]) si non quadruplex.[6])

### *§ 3. Jejunium naturale.*

**116.** Ad licite celebrandum praeterea requiritur, ut Sacerdos sit jejunus ab ultima media nocte. Rubrica

---

[2]) Sess. XIII. decr. de ss. Euch. sacr. cap. 7. — [3]) *S. Alphonsus*, Homo apostol. tract. XV. n. 30.; *Propst*, Verwalt. d. Euchar. als Sacr. § 72. — [4]) Theol. mor. tom. VI. n. 266. Quaer. IV. et Homo apost. l. c. — [5]) *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. II. n. 35. — [6]) *S. Alphonsus*, l. c. tom. VI. n. 35.; *Müller*, Theol. mor. lib. 3. § 39.

sic habet: »Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquae vel alterius potus aut cibi, per modum etiam medicinae, et in quantacumque parva quantitate, non potest communicare nec celebrare.«[1]) Media nox expletur cum primo ictu horologii; qui ergo sumit post primum ictum, licet ante ultimum, non amplius potest celebrare.[2]) In dubio, an transacta vel ne sit media nox, quando sumpsit cibum aut potum, celebrare poterit.[3]) Quoad temporis indictionem causa jejunii naturalis et ecclesiastici sequenda sunt horologia publica in singulis locis, quamvis tempus verum non signent.[4]) Si in eodem loco plura adsint publica horologia dissonantia, licet ultimum sequi, modo non constet de ejus errore et modo ultimum non sit tale, ut plerumque erret, quia tunc praesumitur semper errare.[5]) »Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae. Idem dicendum, si lavando os deglutiatur stilla aquae praeter intentionem.«[6])

**117.** Causae excusantes Celebrantem a jejunio naturali:

1. Necessitas vitandi grave scandalum, quod orietur ex omissione Missae. »Nemo tamen esse potest, qui scandalum patiatur, gnarus Sacerdotem (in Natali Domini) ideo reliquas duas Missas non celebrare, quod imprudens in prima Missa jejunium fregerit.«[7]) Fractio jejunii ergo occulta sit oportet, quia secus majus scandalum oriretur ex celebratione post fractum notorie jejunium.

2. Necessitas perficiendi sacrificium, videlicet: *a)* Si Celebrans post Consecrationem deficiat vel moriatur, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit et in casu necessitatis etiam per non jejunum[8]);

---

[1]) Rub. de defect. dispos. corp. n. 1. — [2]) *S. Alphonsus*, Theol. mor. tom. VI. n. 282. — [3]) Ibid. — [4]) Sic decisum est a s. Poenitent. die 18. Junii 1873. — [5]) *S. Alphonsus*, l. c. — [6]) Rubr. ut supra. — [7]) *Bouvry*, Expos. Rubr. tom. II. pars 3. sect. 5. tit. 9. nota. — [8]) Rub. de defect. in ministr. ipso occurr. n. 3.

si vero Celebrans deficiens brevi i. e. spatio unius vel duarum horarum vires recuperet, ipse sacrificium perficere debet, quamvis etiam non amplius sit jejunus. Ratio est, quia obligatio Missam perficiendi per seipsum praevalet praecepto jejunii naturalis.[9]) *b)* Si post Consecrationem unius speciei Celebrans recordetur, se non esse jejunum, nihilominus ulterius procedat in celebranda Missa, ne sacrificium maneat imperfectum.[10]) *c)* Si Celebrans in sumptione hostiae vel calicis advertat hostiam esse corruptam ideoque invalide consecratam, vel non esse speciem vini sed aquam, tenetur apponere novam materiam, facta mentaliter oblatione illam consecrare et sumere, quamvis non sit jejunus.[11]) *d)* Si ablutione sumpta, imo post Missam in sacristia sacris vestibus adhuc indutus, Sacerdos advertat, aliquas ejusdem sacrificii reliquias remansisse, eas sumere potest et debet; si vero vestibus jam sit exutus, vel fragmentum diversi sacrificii, vel hostia integra remansisset, tunc ea sumere potest tantum, si nequeant reverenter servari.[12])

### *§ 4. Matutinum cum Laudibus et Oratio.*

**118.** »Sacerdos celebraturus Missam saltem Matutino cum Laudibus absoluto orationi aliquantulum vacet.« Sic jubet Rubrica.[1]) Et inter defectus in ministro ipso occurrentibus n. 1. recensetur etiam: »Si Celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit.« Est ergo contra legem, Missam celebrare absque praemissis Matutino et Laudibus. Ast omissio haec peccatum veniale non excedit, nisi quis quasi ex

[9]) *Herdt,* S. Lit. Prax. II. n. 167. 171. — [10]) Ibid. n. 160. Sed etiam si ante Consecrationem recordetur soluti jejunii, prosequatur in Missa celebranda; vix enim tunc poterit desistere a Missa sine scandalo, nisi sit notae aut saltem praesumptae probitatis. *S. Alphonsus,* Theol. mor. tom. VI. n. 287. — [11]) Rub. de defect. panis n. 5. et de defect. vini n. 5.; cf. *Herdt,* S. Lit. Prax II. n. 138. 142. — [12]) Rubr. de defect. int. n. 2.; *Müller,* Theol. mor. lib. III. § 38.; *Bouvry.* l. c. tom. II. pars 3. sect. 5. tit. 7.; *Aertnys,* Theol. mor. tom. II. lib. 6. tract. 4. n. 88. qu. 5.; *Herdt,* l. c. 161.

[1]) *Rit. cel.* miss. I. n. 1.

habituali consuetudine, nulla causa urgente, semper Missam celebret, quin unquam Matutinum et Laudes recitaverit.[2]) Imo etiam a culpa veniali excusabit quaelibet mediocris causa rationabilis, puta, si dans eleemosynam postulet, ut statim celebretur, si exspectet populus aut aliqua persona gravis, si Superior praecipiat, tempus celebrandi transeat vel instet commoditas studii, itineris et similia.[3])

**119.** Praeter Matutinum et Laudes requiritur a Rubrica etiam Oratio, per quam quasi proxima fiat praeparatio ad Missam. Hanc praeparationem Sacerdos nunquam penitus omittat, et si ob alia officia implenda longiorem praeparationem facere nequeat, saltem »aliquantulum orationi vacet«. Non praecipit quidem, sed tantum commendat Rubrica preces positas in missali sub titulo: Praeparatio ad Missam pro opportunitate[4]) Sacerdotis facienda. Ergo nullum est peccatum, si Celebrans eas omittat et alias pro devotione sua substituat, v. g. meditationem.[5]) Decet tamen, eas recitare, praesertim quum ditatae sint indulgentiis. Quod valet et de gratiarum actione Certum est, praeceptum Rubricae non observare Sacerdotem, qui absoluto Matutino cum Laudibus sine ulla alia praeparatione ad sacrificandum accedit. S. Alphonsus Sacerdotem in hoc casu ab aliqua culpa excusandum non esse putat.

Post Missam fiat gratiarum actio. Totalis gratiarum actionis omissio a peccato excusari nequit.[6]) Canticum trium puerorum in Rubrica XII. n. 6. memo-

---

[2]) *Benedictus XIV.*, De ss. sacrif. miss. lib. 3. cap 13. n. 4. — [3]) *S. Alphonsus*, Thel. mor. tom. VI. n. 347. — [4]) Hoc est pro commoditate. *S. Alphonsus*, l. c. tom. VI. n. 410. dub. 2. — [5]) Hunc in finem esse possunt libelli: *Sacerdos per pias considerationes et affectus ad tremendum Missae sacrificium adductus et reductus a S. Alph. de Liguorio.* Monasterii, Aschendorf. — *Mensis eucharisticus, Wacker,* Paderborn. — *Accessus ad altare et recessus.* Friburgi, Herder. — *De Sacrificio Missae*, tractatus asceticus Joannis *Bonae Card. Accedit Diurnus cibus sacerdotum*, auctore *Bruyer.* Nec non *Mensis eucharisticus*, auctore *Lercari*. Totum opusculum apud Manz. Ratisbonae. — [6]) *Cavalieri*, tom. V. cap. 2. n. 4.

ratum in recessu ab altari et reliquas preces in missali positas post Missam recitare, secundum sententiam gravissimorum auctorum,[7]) non est stricte praeceptum, ergo omissio precum harum nullum peccatum aliusque modus, per alias scilicet preces gratias Deo agendi, permittitur. Post celebrationem, dejectis sacris vestibus, absque ulla gratiarum actione, statim ad quotidiana redire — quantum scandalum!

### § 5. *Cognitio Rubricarum.*

**120.** Sub finem Missae ordinationis Episcopus Presbyteros neoordinatos ex Pontificali Romano sic alloquitur: »Quia res, quam tractaturi estis, satis periculosa est, filii dilectissimi, moneo vos, ut diligenter totius Missae ordinem, atque hostiae Consecrationem ac fractionem et Communionem, ab aliis jam doctis Sacerdotibus discatis, priusquam ad celebrandum Missam accedatis«[1]) Quae verba nonne sunt monitum gravissimum ad Sacerdotes, ut cognitionem sat sufficientem Rubricarum debitamque peritiam in iis exsequendis sibi acquirant ad rite decenterque peragendum tremendum Missae sacrificium in Dei gloriam fideliumque aedificationem?

**121.** Rubricae missalis sunt aliae praeceptivae seu obligantes sub peccato, aliae directivae seu proponentes instructionem per modum consilii. Docent auctores, Rubricas de agendis intra Missam esse praeceptivas ideoque obligare sub peccato vel gravi vel levi pro materiae gravitate. Materiam gravem constituit pars Missae ordinaria, i. e. in omni Missa recurrens, quales sunt Confiteor, Introitus, Orationes principales, Epistola, Evangelium, Oblatio, Praefatio, integra oratio

[7]) *Müller*, Theol. mor. lib. 3. § 41.; *Cavalieri*. l. c.; *Herdt*. S. Lit. Prax. I. n. 294. nota, qui allegat etiam *Meratum*. *Lehmkuhl* sic habet: »Orationes in recessu ab altari dicendae, i. e. »Benedicite« cum precibus verene ex praecepto imponantur, non constat; quare qui alias preces devotius recitat, hac commutatione non peccat.« Theol. mor. II. n. 238.; *Schober* in s. Alphons. lib. de caer. miss. cap. 1. nota 2.

[1]) Pontif. Rom. de ordinat. presbyt.

in Canone, Consecratio, Elevatio, fractio Hostiae ejusque commixtio cum Sanguine etc. Materia levis autem censetur quaevis pars Missae extraordinaria, i. e. non in omni Missa recurrens, quales sunt Psalmus *Judica*, Gloria, Credo, Sequentia, Tractus, Praefatio propria, *Communicantes*, *Hanc igitur* etc., una vel altera cruc s signatio, genuflexio, capitis inclinatio, oculorum elevatio.

Omissio igitur voluntaria partis ordinariae per se est culpa gravis, partis vero extraordinariae est culpa levis.[2] Si Celebrans ex oblivione aliquid in Missa omiserit, postea vero aliquantulum progressus ejusdem recordetur, tenetur recitare omissa, si sint de substantia sacrificii.[3] Ratio est, quia quae ad substantiam seu essentiam pertinent sacrificii v. g. ad Consecrationem, nunquam debent omitti, ne invalidum evadat sacrificium. Si ergo e. g. Celebrans recordetur ante sumptionem, se prorsus non vel invalide consecrasse panem aut vinum, tenetur statim integram formam Consecrationis repetere, incipiendo a verbis *Qui pridie* aut *Simili modo*, prout defectus respicit Consecrationem panis aut vini, et repetita forma cetera per ordinem prosequi ab eo loco, ubi desiit.[4]

Si autem omissa non sint de substantia sacrificii, tunc regulariter non sunt resumenda, praecipue quando resumptio sine perturbatione ordinis in celebrando fieri non posset. Unde nullo modo postea resumenda sunt Gloria, Credo, Epistola, Evangelium, Praefatio, si omissa fuerint.[5] Quae vero sine notabili turbatione ordinis reparari possunt, reparentur, e. g. si omissa sit Collecta, ipsa cum Secreta est recitanda.[6]

Quod dictum est de gravitate vel levitate omissionis, valet etiam de mutatione precum vel actionum. In Canone e. g. verba ita mutare, ut sensus varietur, vel aliquod verbum omittere, quo sublato reliqua verba sensum non faciunt, peccatum mortale censetur;

---

[2]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 3.; *Zualdi*. pag. 6. 7. — [3]) Rub. de defect. V. n. 2. — [4]) *Herdt*, l. c. II. n. 149. R. II. — [5]) *S. Alphonsus*, Theol. mor. tom. VI. n. 403. — [6]) Ibid. n. 406. Conf. *Herdt*, l. c. n. 133.

secus si de Epistola vel Evangelio ageretur, unum pro alio legendo. Mutilare verba salvo sensu et secluso scandalo, peccatum veniale non excedit, imo nullum est peccatum, si id ex naturali defectu fiat.[7])

Sed nec addere aliquid licet in Missa. Quod si fiat ex mente inducendi novum ritum, grave peccatum est. Ex importuna devotione aliquid addere, quod a forma Missae non discrepet, ut aliquam Collectam, peccatum veniale non excedit. Devotionis causa per modum suspirii oratiunculam jaculatoriam interponere, quando propter actiones preces liturgicae prosequi nequeunt, — ut in elevatione, post sacrarum Specierum sumptionem, vel dum cantus finis exspectandus est — minus quidem convenire videtur, ita ut praestet, sola mente affectus divinos ciere, attamen peccaminosam etsi leviter tantum talem agendi rationem dicere non audemus.[8])

Rubricae de agendis extra i. e. ante et post Missam aliae sunt praeceptivae, v. g. jejunium naturale, confessio sacramentalis ante celebrationem, si opus sit, omnes Rubricae de defectibus; aliae directivae, v. g. Orationes ante et post Missam in missali contentae.[9]) Quamvis autem Rubricae directivae tantum de consilio sint et per se non obligent sub peccato, ratione tamen motivi inhonesti v. g. negligentiae, socordiae, earum transgressio culpabilis evadere et ratione contemptus vel scandali gravis peccatum lethale fieri potest.[10])

## § 6. *Devotio.*

**122.** Concilium Tridentinum vult, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut ss. Missae sacrificium non solum interiori cordis munditia et puritate, sed etiam exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur[1]) Hanc externam reverentiam et devotionem in celebranda Missa exigit tum sanctitas

---

[7]) *S. Alphonsus*, l. c. n. 407. — [8]) *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. II. n. 241. ad 9. — [9]) *Schober* in s. Alphonsi Lib. de caer. miss. cap. 1. nota 2. — [10]) *Müller*, Theol. mor. lib. III. § 17.

[1]) Sess. XXII. decr. de observ. et evitand. in celebr. miss.

Mysterii tractandi tum populus ad devotionem pietatemque trahendus. Ast, ita conqueritur Ven. Cardinalis Bellarminus,[2]) »quam triste et deplorandum spectaculum, videre Sacerdotem divina Mysteria peragentem, Angelorum choris undique septum, qui ad ea, quae ipse operatur et loquitur, stupent ac tremunt, et prae admiratione ingentes clamores excitant: et tamen Sacerdos in medio positus, totus frigidus, et quasi stupidus non attendit, quid agat: non intelligit, quid loquatur: et ita properat ad finem, ita signa involvit, ita verba praecipitat, quasi latrones post tergum haberet et satis temporis ad fugiendum non esset: et tamen, ut dixi, non propterea singultum conscientiae patitur. Sic res sacrae contemnuntur, sic Deus irridetur, sic ridendi materia haereticis datur. Clamamus, in Sacramento altaris Christum ipsum esse, et interim nonnulli ita se gerunt, ita ista Sacramenta pertractant, quasi nihil minus verum esse putarent, et quasi Deum marmoreum vel plumbeum haberemus, qui nihil sentiret, nihil videret, nihil audiret.« »Certum est«, ait s. Alphonsus,[3]) »Missam cum devotione celebratam etiam aliis devotionem infundere; econtra Missam cum festinatione et sine gravitate dictam auferre devotionem iis, qui devoti sint; et, quod pejus est, diminuere venerationem erga sanctum sacrificium et labefactare fidem circa tantum Mysterium. Saecularibus quidem plerumque placet, si obligationem Missae audiendae brevi tempore impleant, sed et ipsi, postquam huiusmodi Missas acceleratas audierint, scandalizantur de Sacerdotibus, qui eas dixerunt.«

**123.** Quantum ergo temporis Sacerdos impendere debet ad absolvendam Missam?

Respondemus 1. cum s. Alphonso, »difficulter posse excusari a mortali Sacerdotem, qui infra quadrantem Missam absolveret, etiamsi sit ex brevioribus, quia impossibile est, quin omittantur aut verba aut caeremoniae, vel saltem committantur duo graves defectus, et irre-

---

[2]) Concio in Dom. IV. Adv. — [3]) *S. Alphonsus*, libr. de caerem. miss. Introd. IV. ad 10. (Edit. *Schober*.)

verentiae erga Sacramentum et gravis scandali erga populum.«[4])

Respondemus 2. cum Benedicto XIV.: »Missa ex unanimi scriptorum opinione ad tertiam horae partem saltem debet pertingere, neque horae dimidium excedere.«[5]) Ratio est, quia minori spatio non possunt omnia debito modo peragi, longiori autem taedio esset adstantibus.

# Tractatus II.

## De Missa privata.

### Caput I.

*De praeparandis ad Missam in sacristia.*[1])

**124.** — 1. Facta vel in cubiculo vel in sacristia debita praeparatione, de qua n. 119. locuti sumus, Sacerdos capite cooperto ante omnia accipit missale, perquirit Missam, perlegit, et signacula ordinat, ne postea in ipso altari folia huc illuc volvere cogatur, legenda quaerendo.

2. Deinde lavat manus. Quae lotio ante Missam fieri debet sub veniali, sub gravi autem, si manus sint valde immundae, propter reverentiam sacrificii.[2]) Ante Missam manus integras lavandas esse, non tantum extremitates indicis et pollicis, docent Rubricistae recentiores[3]) inhaerentes respectivis Rubricis missalis. Post Missam manus lavare non est de praecepto, nisi Ordinario hanc praxim inducere placuerit,[4]) vel nisi vigeat consuetudo contraria.

3. Postea praeparat calicem. Super os ejus aptat purificatorium pendens ab utraque parte a latere.[5])

[4]) Theol. mor. tom. VI. n. 400. — [5]) De ss. sacrif. miss. lib. 3. cap. 24. n. 3.

[1]) *Rit. cel.* miss. I. n. 1—4. — [2]) *S. Alphonsus,* Theol. mor. tom. VI. n. 409. — [3]) *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 195.; *Schober* in S. Alphonsi lib. de Caer. miss. cap. 1. n. 3. not. 5.; *Hartmann,* Rep. Rit. § 150 ad III. — [4]) *S. R. C.* 18. Aug. 1854 (Conf. *Schober* l. c.) — [5]) Ubi in usu est parvum cochlear, ponitur super purificatorium.

Super purificatorium ponit patenam cum hostia majori, integra et pollice ac indice circumcirca leviter extersa, ne fragmenta ei adhaereant. Patenam et hostiam tegit parva palla linea, quae subnexa esse potest panno superiori serico[6]) coloris paramentorum vel albi tantum, nunquam nigri. Calicem sic instructum cooperit velo serico coloris paramentorum ita, ut undequaque vel saltem in parte anteriori sit velatus. Velo superimponit bursam[7]) coloris paramentorum cum aperturâ versus Celebrantem, intus habentem corporale plicatum.

4. Corporale complicatur hoc modo: Primo ponitur pars anterior super mediam, super has pars posterior, dein pars dextera super mediam et super has pars sinistra. Plicatum bursae inseritur ita, ut fimbria partis ultimo plicatae sit juxta aperturam bursae. Extra bursam super velo calicis corporale deferre, non licet.[8]) — Explicatur ambabus manibus ita, ut primo extendatur plicatura lateralis sinistra, dein dextera, postea plicatura posterior a Sacerdote remotior, demum plicatura anterior versus Celebrantem.

5. Deposito birreto sumit paramenta. Accipiendo amictum advertat, ut illum paululum capiti imponat, antequam eum demittat super collum, utque collare totaliter contegat imponendo partem dexteram amicti super sinistram. Induendo albam primum immittat in manicam dexteram brachium dexterum, deinde in manicam sinistram brachium sinistrum, non vice versa,[9]) caveatque, ne alba nimis sursum trahatur, quum vestem talarem totaliter tegere et fere usque ad terram defluere debeat. Dum minister eam accomodat, Sacerdos manus jungat ante pectus. Cingulum non circa superiorem partem pectoris, sed circa renes circumducat. Appli-

---

[6]) *S. R. C.* 10. Jan. 1852. — [7]) Bursae calicis nihil omnino imponendum esse docent complures auctores provocantes ad decretum *S. R. C.* 1. Sept. 1703, quo tamen solummodo vetitur, manutergium superimponere bursae calicis. Claviculam tabernaculi licite imponi bursae, affirmant *Eph. lit.* 1890 pag. 660. sq., sententiam suam sat firmis sustinentes argumentis. Conf. *Eph. lit.* 1891 pag. 255. — [8]) *S. R. C.* 13. Sept. 1704 ad 2. — [9]) Quod observandum etiam in induendo rochetto et superpelliceo.

cando manipulum videat, ut illum brachio sinistro imponat ad ulnam, nempe inter pulsum et cubitum,[10] minime vero supra cubitum. Aptando stolam[11] curet, ut medietatem ejus collo imponat, non autem tergo, utque transversando eam ante pectus in modum crucis partem dexteram ponat super sinistram. Quod semper servandum est, etiam extra Missam, quotiescunque Sacerdos alba et stola indutus exercet actionem liturgicam. Casulam seu planetam ita imponat, ut crux, quae est in medio stolae contegatur,[12] et manutergium seu sudarium, si quo utitur, subtus eam ita cingulo appendat, ut exterius non appareat.

6. Dum Sacerdos manus lavat et paramentis induitur, sub levi[13] tenetur recitare preces convenientes in missali positas. Osculandae sunt illae vestes sacrae, quae crucem habent insutam, videlicet amictus, manipulus et stola, idque in loco crucis, dum assumuntur et dum deponuntur, quamvis hoc ultimum non sit praescriptum. Stolam osculatur Sacerdos etiam in aliis functionibus, quando ea se induit aut exuit.

7. Paramenta induenda sunt in sacristia vel alio loco ad hoc praeparato, non ad altare. Solis Episcopis, sive solemnitur sive privatim celebrent, competit paramenta de altari sumere; non autem inferioribus habentibus usum pontificalium, nisi in pontificalibus celebrent aut speciale privilegium habeant a Sede apostolica concessum. Si in casu necessitatis, deficiente sacristia aut

---

[10]) *Martinucci*, lib. 1. cap 18. n. 10. — [11]) Notamus hic decisionem *S. R. C.* quoad colorem stolae concionatoris. Ad quaesitum: »An stola concionatoris (quae in his regionibus semper est in usu) pro sermonibus festivis de s. Joseph et Annuntiationis B. M. V., quando haec festa occurrunt in hebdomada majori, debeat esse coloris albi vel violacei? Et an die 2. Novembris (vel Dominica sequenti) ad sermonem pro defunctis liceat adhibere stolam coloris nigri?« *S. R. C.* die 3. Jun. 1892 ad 13. in una Lincien. respondit: *Stola concionatoris sit coloris officio diei respondentis, etiam die secunda Novembris.* — In exercitio Viae Crucis semper utendum est stola violacea non solum tempore Adventus et Quadragesimae, sed toto anni curriculo. *Eph. lit.* 1892 pag. 38. — [12]) *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 1. n. 12., qui citat *Meratum* cum multis aliis. — [13]) *S. Alphonsus*, Theol. mor. tom. VI. n. 410. dub. 3.

mensa separata, in altari ponantur, nunquam in medio, sed in cornu Evangelii collocanda sunt. Ad altare vero, in quo ss. Sacramentum est expositum, nullus omnino sumere et similiter exuere debet paramenta, sed deficiente sacristia in loco remoto induenda aut exuenda sunt.[14]

8. Dum Sacerdos sacris induitur vestibus, nemini colloqui debet, neque loquentibus aures praebere, sed mentem et oculos ab omnibus amovere, quibus distrahi posset; quod multo magis observandum, dum jam est vestitus et forte in sacristia exspectandum.

## Caput II.

### *De Egressu e Sacristia.*

**125.** — 1. Vestibus sacris indutus Sacerdos manu dextera caput birreto cooperit. Capite detecto ad altare procedere ad Missam celebrandam, non licet.[1] De birreto ejusque usu recole nn. 15. sq.

2. Manu sinistra accipit calicem ad nodum, palmam dexteram autem, digitis extensis et invicem junctis, superimponit bursae, quin cubitum dexterum elevet, sicque calicem sustinet elevatum ante pectus,[2] non inferius. Ut eum commodius accipere et deferre queat, anteriorem veli partem super bursam revolvere potest.[3] Caveat, ne calicem ad pectus premat, nec eum nimis a pectore amoveat, sed sit spatium modicum calicem inter et pectus, et ad dirigendos gressus ultra calicem prospiciat. Ceterum Celebrans per semetipsum, non per alium, calicem ad altare deferre debet, nisi excuset dignitas, e. g. si sit Episcopus, vel solemnitas, e. g. si sit Missa solemnis, vel privilegium, uti in coeco vel coecutiente, vel necessitas, e. g. ob senium aut infirmitatem. Si aliqua ex causa sine calice ad altare procedat, manus ante pectus junctas teneat.

---

[14]) *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 194.

[1]) *S. R. C.* 14. Junii 1845. — [2]) *Rit. cel.* miss. II. n. 1. — [3]) *Gavantus,* pars 2. rub. 1. lit. *o.*

3. Accepto igitur calice, antequam discedat, capite cooperto Imagini sacristiae debitam faciat reverentiam, videlicet capitis inclinationem profundam Imagini Crucifixi,[4] capitis mediam Imagini B. M. V., capitis infimam, si sit Imago alicujus Sancti.

4. Non tenetur Sacerdos pergens ad celebrandum aquam benedictam accipere ad januam sacristiae, sed si commode fieri potest, se signet, sin minus, se abstineat.[5] Consultius erit abstinere, ne aliquid de calice decidat.

5. Si sacristia est retro post altare et aeque per sinistram ac per dexteram partem aditus ad altare patet, egrediendum est e sacristia per partem Epistolae et regrediendum per partem Evangelii.[6]

## Caput III.

### *De Progressu per ecclesiam ad Altare.*

**126.** Contingere potest, ut Sacerdos Missam celebraturus progrediendo per ecclesiam ad altare teneatur ad varias reverentias faciendas, vel ratione ss. Sacramenti, vel ratione altarium, vel ratione Reliquiarum, vel ratione personarum venerandarum, quas obviam habet. Quae dicentur, valent etiam de Sacerdote post Missam redeunte in sacristiam.

Regulae generales:

1. Sacerdos ad Missam celebrandam procedat oculis demissis, incessu gravi, corpore erecto.[1]

2. Sacerdos deferens calicem in exsequendis reverentiis nunquam caput detegit, nisi in genuflexione duplici; non deferens calicem, pro quacunque praescripta reverentia caput detegit.

**127.** Reverentiae ratione ss. Sacramenti:

1. Si Sacerdos calicem deferens transit ante ss. Sacramentum expositum sive in ostensorio sive in

[4]) Conf. *Falise*, § 2. n. 6. — [5]) *S. R. C.* 27. Martii 1779 ad 14. — [6]) *S. R. C.* 12. Aug. 1854 ad 17.

[1]) *Rit. cel.* miss. II. n. 1.

pyxide, utrumque flectat genu, genuflexus, non prius, caput detegat, birretum tamen calici minime imponat, sed vel ministro tradat, vel, quod melius, manu dextera bursae calicis innixa teneat parte birreti aperta ad pectus conversa, deinde caput profunde inclinet, inclinatione expleta caput cooperiat, reposita dextera super bursam surgat et sine alia reverentia procedat capite cooperto.[2])

2. Si calicem non deferens transit ante ss. Sacramentum expositum sive in ostensorio sive in pyxide, tunc, quum manus impeditas non habeat, antequam genuflectat, statim ac videre potest ss. Sacramentum, caput detegat, birretum utraque manu ante pectus tenens procedat, suo tempore utrumque flectat genu coram Sanctissimo cum profunda capitis inclinatione, deinde surgat et procedat capite detecto, donec se subtraxerit e conspectu Sanctissimi.[3])

3. Si transit ante ss. Sacramentum, quod tunc fidelibus pro sacra Communione distribuitur, utrumque genu flectat, detecto capite adoret, sic exspectans finem Communionis, si sit brevis; si autem plures forent communicandi, capite cooperto statim surgat et procedat.[4])

4. Si transit ante ss. Sacramentum, quod in Missa elevatur, vel quocum benedictio datur, vel si obviat Sacerdoti idipsum deferenti, utrumque genu flectat, detecto capite adoret nec prius surgat, quam utraque elevatio fuerit absoluta,[5]) ostensorium vel pyxis deposita, vel Sacerdos cum ss. Sacramento e conspectu pertransierit.[6])

5. Si transit ante ss. Sacramentum in tabernaculo inclusum, sive in altari majori sive in alio altari, unicum genu flectat,[7]) idque capite tecto, si deferat calicem, secus capite detecto.[8]) Recole reg. gen. 2.

---

[2]) *S. R. C.* 24. Jul. 1638. »Quapropter non laudandi, sed potius redarguendi sunt illi, qui ad majorem reverentiam, ut ipsi dicunt, capite aperto abeunt, donec sint extra conspectum altaris expositionis.« Ita *Gardellini*, Comment. ad Instr. Clem. § VII. n. 10. Conf. *Cavalieri*, tom. IV. cap. 10. decr. 2. n. 4. — [3]) *Gardellini*, l. c. n. 12. — [4]) *S. R. C.* 5. Jul. 1698 ad 19.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 200. — [5]) *Rit. cel.* miss. II. n. 1. — [6]) *Cavalieri*, tom. IV. cap. 10. decr. 5. n. 3. — [7]) *Rit. cel.* miss. ibid. — [8]) *Cavalieri*, l. c. n. 1.

6. Dictas reverentias Sacerdos praestare tenetur ss. Sacramento non solum tunc, quando directe transit ante illud, sicut in casibus praedictis, sed etiam quando transit a latere ejusdem, dummodo illud in transitu commode videri possit.[9])

**128.** Reverentiae ratione altaris:

1. Si Celebrans transit ante altare majus, in quo non exstat ss. Sacramentum, nec expositum nec inclusum, caput coopertum profunde inclinet Cruci in eo positae.[10]) Si autem non sit altare majus, nullam per se reverentiam facere tenetur.

2. Si transit ante altare quodcunque, in quo tunc celebratur Missa, distinguendum est: *a)* Si Missa sit ante Consecrationem vel post Communionem, nullam ratione Missae facit reverentiam; *b)* si Missa sit infra Consecrationem et Elevationem, se gerit ut dictum est supra n. 127. ad 4.; *c)* si Missa sit post Consecrationem usque ad Communionem inclusive, unicum flectit genu. Ratio hujus est, quia ss. Sacramentum ob Sacerdotem celebrantem est in altari, quasi esset absconditum in tabernaculo. Vide pag. 6. not. 18. Sed dicta intelligenda sunt tantum de casu, si Sacerdos immediate transeat ante altare eique magis particulariter appropinquaret, et si certe sciat, eo in altari Sacramentum exstare, quin debeat inquirere, an Consecratio sit nec ne peracta vel Communio Celebrantis absoluta.[11]) Talis enim indagatio esset contra Rubricam et regulam generalem primam, quae vult, ut Sacerdos oculis demissis incedat.

**129.** Reverentiae ratione Reliquiarum:

1. Si Celebrans transit ante Reliquias Domini, scilicet s. Crucis,[12]) pretiosissimi Sanguinis[13]) vel Instru-

---

[9]) Conf. *S. R. C.* 1. Mart. 1681 ad 8. — [10]) Permulti auctores hic fieri volunt profundam seu corporis inclinationem. Ast quum Rubrica simpliciter dicat: *Capite cooperto faciat ad illud reverentiam (Rit. cel.* miss. II. n. 1.), et quum, ut bene observat *Falise* sect. 1. cap. 1. § 2. n. 6., Sacerdos birreto tectus vix profunde se inclinare queat, secuti sumus auctores, qui profundam capitis injungunt inclinationem: *Falise,* l. c., *Hartmann,* § 143. n. 2. *a.* aliosque. — [11]) *Eph. lit.* 1888 pag. 587. et 1889 pag. 227. — [12]) *S. R. C.* 7. Maji 1746 ad 12. — [13]) *S. R. C.* 22. Sept. 1827.

mentorum Passionis[14]) in loco principali super altare palam expositas,[15]) capite cooperto unicum genu flectat. Si autem transit ante dictas Reliquias non palam expositas, sed intra custodiam reconditas, tantum caput coopertum profunde inclinet.[16])

2. Si transit ante Reliquias **Sanctorum** expositas, si sint **insignes**, caput coopertum inclinet inclinatione minima. Si autem non sint insignes, nullam faciat reverentiam.[17]) Quaenam Reliquiae censendae sint insignes, reperies pag. 4. n. 9.

**130.** Reverentia e ratione personarum:

1. Si Celebrans obvius fit Sacerdoti redeunti a celebratione Missae, ipsi locum cedat, dexteram praebeat et caput coopertum inclinet, quin tamen moram interponat procedendo.[18])

2. Si occurrit Episcopo proprio, Archiepiscopo provinciae, Cardinali vel Legato apostolico, subsistat et capitis cooperti eis faciat reverentiam.[19])

3. Si transit ante chorum, capite cooperto eum salutet ad unam et alteram partem versus.

4. Praeter dictas personas Sacerdos progrediendo per ecclesiam etiam salutatus neminem salutare tenetur, imo coram Sanctissimo exposito omittuntur etiam salutationes personarum harum.[20])

## Caput IV.

### *De Accessu ad Altare et Recessu ab eodem.*

**131.** In accessu ad altare:

1. Prima actio, postquam Sacerdos ad altare pervenit, est, ut caput detegat. Quapropter stans ante infimum gradum, ante quamcunque reverentiam faciendam,

---

[14]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 200. ad 3. — [15]) Non licet Reliquias exponere super tabernaculum, in quo asservatur ss. Sacramentum. *S. R. C.* 12. Mart. 1836 ad 1. et 5. — [16]) *S. R. C.* 7. Maji 1746 ad 12. — [17]) *Herdt*, l. c. cum aliis pluribus. — [18]) *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 2. n. 10. — [19]) Sacr. Liturg. *Ed. Mechl.* Tract. de celeb. ss. Miss. sacrif. pag. 122. ad 1. — [20]) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 155.

birretum deponat, ministro tradat et statim dextera super bursam posita, debitam faciat reverentiam. scilicet:

2. Si in altari jam expositum sit Sanctissimum, utrumque genu flectat in plano,[1] caput inclinet, se erigat et ascendat per gradus. In hoc casu Sacerdos jam antea, simulac pervenit in conspectum ss. Sacramenti, caput detegat et non obstante calice, quem defert, capite detecto accedat ad altare.[2]

3. Si accedit ad altare, in cujus tabernaculo ss. Sacramentum latet inclusum, unicum genu flectat in plano[3] ante gradus. Quod observandum est etiam, si in loco principali altaris exposita sit Reliquia s. Crucis, vel pretiosissimi Sanguinis vel Instrumentorum Passionis Domini. Vide n. 129. ad 1.

4. Si accedit ad altare, in quo non exstat ss. Sacramentum, neque expositum neque inclusum, sed sola Crux, profundam ei exhibeat corporis inclinationem.[4]

**132.** In recessu ab altari:

1. Post Missam Celebrans accepto calice stans in plano ante gradus altaris, ante omnia debitas faciat reverentias, deinde accipiat birretum e manu ministri, caput cooperiat et abeat.[5]

2. Si post Sacrum factum Sanctissimum manet expositum, Celebrans ante recessum utrumque genu flectat in plano, deinde surgat et abeat detecto capite, quamdiu est in conspectu Sanctissimi.

3. Si adest in altari tabernaculum cum Sanctissimo incluso, simpliciter genuflectat[6] in plano,[7] caput cooperiat et abeat. Quod observandum est etiam, si in loco principali altaris exposita sit Reliquia s. Crucis, pretiosissimi Sanguinis vel Instrumentorum Passionis Domini. Vide n. 129. ad 1.

4. Si adest in altari sola Crux, profundam ei faciat capitis inclinationem.[8] Non fit corporis inclinatio, sicut ante Missam, quia post Missam Sacerdos est christophorus.[9]

---

1) *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 51. et 53. — 2) *Baldeschi*, I. pars 1. cap. 5. n. 2.; *Herdt.* S. Lit. Prax. I. n. 201. — 3) *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 51.; *Rit. cel.* miss. II. n. 2. — 4) *Rit. cel.* miss. l. c.; *S. R. C.* 8. Apr. 1808 ad 5. — 5) *Rit. cel.* miss. XII. n. 6. — 6) Ibid. — 7) *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 51. — 8) *Rit. cel.* miss. l. c. — 9) *Falise*, sect. 1. cap. 1. § 2. n. 6. ad 3.

## Caput V.

### *De signo Crucis et benedictionibus in Missa.*

**133.** In Missae celebratione occurrit crux major et minor. De utriusque efformatione recole dicta pag. 1. n. 1. Cruce tam majori quam minori signat Sacerdos seipsum et res personasve alias. Crux major, si rebus vel personis aliis applicatur, benedictio nuncupatur.

Regulae generales:

1. Celebrans seipsum vel alia signans, stet semper erectus, nunquam inclinatus. Unde si simul cum cruce facienda esset inclinatio, haec omittitur [1]) e. g. in festo Nomini Jesu ad verba Introitus *In nomine Jesu* et in Missa votiva de Passione item ad verba Introitus *Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus.*

2. In formatione crucis majoris digiti semper extenduntur et invicem junguntur,[2]) nisi a Consecratione usque ad Communionem inclusive, quo tempore pollices et indices utriusque manus junguntur, reliquis digitis extensis et unitis.

3. Ante omnem benedictionem alicujus rei vel personae manus ante pectus junguntur,[3]) nisi alterutra sit impedita v. g. in benedictione aquae ad Offertorium, ubi sinistra tenet nodum calicis, similiter in benedictione hostiae et vini immediate ante utriusque Consecrationem.

4. In signatione suipsius Celebrans totam palmam digitis extensis et junctis vertat versus semetipsum; in signatione (benedictione) aliarum rerum vel personarum autem non palma, sed parvus digitus, unitus cum reliquis, vertendus est ad rem vel personam benedicendam.[4])

5. Longitudo linearum crucis faciendae determinatur extremitate digiti parvi.[5]) Quae lineae neque adeo exiguae sint, ut crux vix distinguatur, neque tam longae, ut rem signandam (hostiam, calicem) valde excedant. Quo major est res benedicenda, eo majores debent esse et lineae crucis.

---

[1]) *Hartmann,* Repert. Rit. § 133. sub III. not. c. (Edit. VII.) — [2]) *S. R. C.* 24. Jun. 1683 n. 6. — [3]) *Rit. cel.* miss. VII. n. 5. — [4]) *Rit. cel.* miss. III. n. 5.; *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 131. ad 5. — [5]) *Herdt,* l. c. ad 6.

6. Post peractam crucem manus non sunt jungendae, nisi Rubrica praecipiat aut actio subsequens exigat manuum junctionem. Quapropter e. g. in fine Hymni angelici, Symboli et Trisagii, post crucis efformationem, manus, quin jungantur, statim extenduntur ad osculandum altare vel ad folia missalis vertenda.[6]

7. Omnes cruces exacte, distincte et modeste formandae sunt, et manus nullatenus praecipitanter, circulariter aut alio modo antiliturgico agitanda.

**134.** Quomodo et quando signum crucis adhibetur in Missa?

Crux minor bis tantum adhibetur in Missa, nimirum in initio utriusque Evangelii, et quidem modo sequenti. Sinistra posita super missale[7]) (vel super altare, si ultimum Evangelium legatur e tabella), pollice[8]) dextero Celebrans signat primo librum super principium Evangelii i. e. vel in primis verbis textus sacri post verba *In illo tempore* (non super verba *Initium* vel *Sequentia)* vel super signum crucis, si ad initium Evangelii impressum reperiatur[9]) (vel super altare in casu supra posito in lectione ultimi Evangelii) dicens *Sequentia* vel *Initium*, tum prosequens *sancti Evangelii* sinistra infra pectus posita, signat seipsum in fronte, deinde nihil dicens in ore, et ad verba *secundum N.* in pectore. Quibus peractis manus junguntur ante pectus.[10])

Crux major adhibetur a Celebrante in signatione suipsius et aliarum rerum vel personarum.

1. Seipsum signat Celebrans vel sola manu, vel cum patena, vel cum Hostia et Calice. Sola manu signat se: *a)* ter in exordio Missae ad preces ante gradus altaris, nimirum ad *In nomine Patris etc.*, ad *Adjutorium nostrum etc.*, et ad *Indulgentiam, absolutionem etc.*; *b)* ad initium Introitus exceptis Missis de Requiem; *c)* in

[6]) *S. R. C.* 12. Nov. 1831 n. 30. — [7]) *S. R. C.* 7. Sept. 1816 n. 25. — [8]) Cum pulpa, non ungue. Vide n. 1. hujus libri. — [9]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 219. — [10]) Celebrans in lectione *utriusque* Evangelii stare debet *oblique* versus cornu Evangelii i. e. parum per suam sinistram conversus ad populum. *S. R. C.* 30. Aug. 1892 dub. 6. Eodem modo stat in legenda Passione. Cf. *Martinucci*, lib. 1. cap. 20. n. 5.

ſine Hymni angelici et Symboli; *d)* post Praefationem ad *Benedictus qui venit etc.; e)* post Consecrationem in Oratione *Supplices* ad verba *omni benedictione etc.* — Cum patena se signat post Orationem Dominicam ad verba *Da propitius pacem in diebus nostris.* — Cum Hostia et Calice se signat, quin se tangat, ante sumptionem sub verbis *Corpus Domini N. J. Chr. custodiat animam meam in vitam aeternam Amen,* et *Sanguis Domini etc.* Quomodocunque autem se signet, semper verba exigentia signum crucis, aptanda sunt actioni, proinde debite dispensanda ad singulos contactus, nempe:

| *Ad frontem:* | *Ad pectus:* | *Ad humerum sinistrum:* | *Ad humerum dexterum:* |
|---|---|---|---|
| In nomine Patris | et Filii | et Spiritus | Sancti. |
| Adjutorium | nostrum | in nomine | Domini.[11]) |
| Indulgentiam | absolutionem | et remissionem | peccatorum nostrorum.[12]) |
| Cum sancto | Spiritu | in gloria | Dei Patris.[13]) |
| Et | vitam | venturi | saeculi.[14]) |
| Benedictus | qui venit | in nomine Domini | Hosanna in excelsis.[15]) |
| Omni benedictione | coelesti | et gratia | repleamur.[16]) |
| Da propitius | pacem | in diebus | nostris.[17]) |

Advertat autem Celebrans, ut a Consecratione usque ad Communionem inclusive in facienda cruce tribus tantum digitis, qui s. Hostiam non tetigerunt, se tangat, duobus aliis invicem junctis, quibus nec frontem tangat nec casulam.

[11]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 25. n. 5. — [12]) *S. Alphonsus,* Lib. de caerem. miss. cap. 3. n. 10. — [13]) *S. Alphonsus,* l. c. cap. 4. n. 7. — [14]) *S. Alphonsus,* l. c. cap. 6. n. 7. — [15]) *S. Alphonsus,* l. c. cap. 7. n. 18. — [16]) *Cavalieri,* Comment. tom. V. cap. 19. n. 12. — [17]) *Schober* in S. Alphonsi Lib. de caer. miss. cap. 10. nota 3.

2. Signans seu benedicens res vel personas alias, per duas lineas, rectam et transversam, digitis omnibus extensis et junctis (nisi a Consecratione usque ad Communionem inclusive reg. gen. 2.) crucem efformat. Post factam primam lineam rectam, manus eadem linea recta reducenda est ad medium primae lineae rectae et ita proceditur ad lineae transversae formationem a sinistra ad dextram, ubi signum completur. Syllabae aut verba, quae crucem in missali impressam praecedunt, pronuntiandae sunt, dum prior linea recta efformatur; quae autem sequuntur, dum linea transversa efficitur.[18]) Ad signandum calicem simul et hostiam, lineam rectam, quae repraesentatur per extremitatem digiti parvuli (reg. gen. 5.), a medio pallae versus se ipsum super hostiam ducit manum non deprimendo, lineam vero transversam cum extremitate ejusdem digiti ceteris conjuncti super pallae anteriorem oram ducit.[19]) Quando autem calix et hostia seorsum signantur, mensura crucis faciendae in signando calice cooperto est palla, vel labium calicis, si calix non sit coopertus, in signanda hostia autem haec ipsa.

3. Quoad p o s i t i o n e m m a n u s s i n i s t r a e in crucis majoris efformatione distinguendum est: 1. vel Celebrans seipsum signat; 2. vel res personasve alias. Seipsum signans sinistram non impeditam, digitis junctis et extensis,[20]) semper ponere debet infra pectus extra terminum crucis faciendae. Recole dicta pag. 1. n. 1. Alia autem signans, iterum distinguendum: *a)* vel signat stans totaliter conversus ad altare, vel *b)* semiconversus ad illud, vel *c)* aversus ab eodem. Si stet conversus ad altare, sinistram non impeditam digitis extensis et junctis super altare extra corporale, post Consecrationem usque ad Communionem inclusive vero super corporale, deponit.[21]) Si stet aversus ab altari sinistram digitis junctis et extensis, infra pectus ponere debet, e. g. in benedictione populi in fine Missae. Si vero stet semicon-

---

[18]) *Carpo*, Caer. pars 2. n. 10. ad III. — [19]) *Baldeschi*, I. pars 1. cap. 1. art. 7. n. 61. nota; cf. *Martinucci*, Man. sacr. caer. lib. 1. cap. 18. n. 68. — [20]) *Rit. cel.* miss. III. n. 5. — [21]) Ibid.

versus ad altare v. g. in benedictione Diaconi, Subdiaconi, incensi etc. in Missa solemni, sinistram vel altari [22]) imponat vel pectori [23]) admoveat.

## Caput VI.

### *De Oculorum elevatione et demissione in Missa.*

**135.** Regulae generales:

1. Oculi in Missae celebratione non vagi per ecclesiam circumducendi, sed regulariter demittendi sunt, quod a Rubrica praecipitur jam in accessu [1]) ad altare et in recessu [2]) ab eodem, ergo eo magis valet in Missa ipsa celebranda, nisi aliter notetur.

2. Oculi elevandi sunt ad Crucem altaris eam aspiciendo,[3]) quae quidem debet esse excelsior candelabris.[4]) Si Crux sit valde eminens, sufficit oculos versus eamdem elevare et intueri versus coelum; si autem sit tam demisse posita, ut ad eam non possint oculi elevari, tunc Celebrans eam aspiciat et simul oculos in coelum elevet.[5])

3. Quando oculi sunt elevandi, non itidem elevandum est et caput, nisi hoc fiat cum levissimo tantum capitis motu. Similiter quando oculi sunt demittendi, non propterea caput nimium deprimendum nec oculi claudendi.

**136.** Oculi elevantur statim demittendi[6]):

1. Ante verba *Munda cor meum.*

2 In oblatione panis ad verba *Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus.* Ad verba subsequentia *hanc immaculatam hostiam etc.* oculi demittuntur [7]) et per totam Orationem in hostiam demissi tenentur.

3. Ad verba *Veni sanctificator omnipotens aeterne Deus.*

---

[22]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 5. n. 2. nota. — [23]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 308. 318. 323.; *Hartmann*, Rep. Rit. § 132. VI. n. 2.

[1]) *Rit. cel.* miss. II. n. 1. — [2]) *Rit. cel.* miss. XII. n. 6. — [3]) *S. R. C.* 22. Jul. 1848 n. 3. — [4]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 12. n. 11. — [5]) Rubrica habet: »Levatis (vel intentis) ad Deum oculis.« — [6]) *Rit. cel.* miss. VI. n. 2.; VII. n. 2. 5. 7.; VIII. n. 1.; XII. n. 1. — [7]) *S. Alphonsus*, Lib. de caerem. miss. cap. 7. n. 5.

4. Ante Orationem *Suscipe sancta Trinitas etc.*

5. In versiculo Praefationis *Gratias agamus Domino* ad verba *Deo nostro.*[8])

6. Ante verba Canonem incipientia *Te egitur etc.*

7. Ad verba *Et elevatis oculis in coelum ad Te Deum Patrem suum omnipotentem*[9]) ante Consecrationem hostiae.

8. Ad verba *Benedicat vos omnipotens* ante benedictionem populi in fine Missae.

**137.** Oculi continuate elevantur[10]):

1. Versus Crucem ad oblationem calicis per totam Orationem *Offerimus tibi etc.*

2. Ad consecratam Hostiam toto tempore elevationis ejusdem.

3. Ad Calicem continentem pretiosissimum Sanguinem toto tempore elevationis ejusdem.

**138.** Oculi tenentur intenti in ss. Sacramentum[11]):

1. Infra *Memento defunctorum* dum Celebrans privatim orat.

2. Per totam Orationem Dominicam.

3. In tribus Orationibus ante Communionem.

4. Quoties actio exercetur circa ss. Sacramentum.

**139.** Oculi demittuntur (sed non clauduntur) semper, praeter casus modo enumeratos, praecipue:

1. In accessu ad altare et in recessu ab eodem. Recole reg. gen. 1.

2. Quotiescunque Celebrans se vertit ad populum dicturus *Dominus vobiscum, Orate fratres* et benedicturus populum.

## Caput VII.

### *De Osculis in Missa privata.*

**140.** Tria in Missa privata osculanda sunt secundum Rubricas, videlicet altare, missale, patena.

---

[8]) *S. Alphonsus*, l. c. cap. 7. n. 16. — [9]) *Bauldry*, pars 3. cap. 6.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 247. — [10]) *Rit. cel.* miss. VII. n. 5.; VIII. n. 5. — [11]) *Rit. cel.* miss. IX. n. 2.; X. n. 1. 3.

Regula generalis: Oscula fiant sine strepitu, ita tamen, ut Sacerdos rem osculandam revera osculetur, non autem osculum simulet.

141. De osculatio altaris.[1]

1. Ad verba *Quorum Reliquiae hic sunt* in Oratione *Oramus te, Domine etc.* ante Introitum.

2. Antequam se ad populum vertat dicturus *Dominus vobiscum,* quod quater contingit: *a)* ante Collectam, *b)* ante Offertorium, *c)* ante Postcommunionem, *d)* ante *Ita missa est,*[2]) *Benedicamus Domino* et *Requiescant in pace.*

3. Ante *Orate fratres.*

4. Ad verba Canonis *Uti accepta habeas et benedicas.*

5. Post Consecrationem in Oratione *Supplices etc.* ad verba *Ex hac altaris participatione.*

6. In fine Missae post Orationem *Placeat etc.*, etiamsi non detur benedictio.

Regulae:

1. Altare osculandum est in medio, manibus extensis hinc inde aequaliter in illo positis, ante Consecrationem extra corporale, a Consecratione usque ad Communionem inclusive in corporali.

2. Altare osculaturus Celebrans paululum ab eodem recedat, ne corpus vel caput incomposite detorquere cogatur, utque sine attactu Hostiae altare osculari possit.

3. Si corporalis extremitates usque ad anteriorem oram altaris pertingant, tunc in osculando altari osculandum est simul corporale in loco crucis acu pictae.[3])

---

[1]) Cf. *Rubr. spec.* in Ordine et Canone Missae. — [2]) Si celebratur in altari, quod versus populum prospicit, ita quidem ut Sacerdos ante se non solum Crucem altaris sed etiam populum habeat, Sacerdos numquam se vertit, sed dicendo *Dominus vobiscum, Orate fratres, Ite missa est* vel dando benedictionem manet sicuti stat ad altare et populum conversus. *S. R. C.* 3. Dec. 1701. Osculum altaris nec hisce in casibus omittitur. *Rit. cel.* miss. V. n. 3. — [3]) *S. Alphonsus,* lib. de caer. miss. cap. 2. n. 14. haec habet: »Si in corporali crux acu facta invenitur, haec in parte anteriore collocetur, ut Sacerdos osculando altare hanc simul osculari possit.« Idem docet *Bauldry,* pars 3. tit. 2. n. 2. not. 3.

**142.** Deosculatio missalis. Semel tantum in Missa privata Celebrans osculatur missale, nimirum lecto primo Evangelio in principio Evangelii recitati eodem in loco, ubi antea librum signaverat.

Regulae:

1. Dum Sacerdos missale osculatur, ambabus manibus illud sine cussino vel legili parumper elevat,[4]) sese paululum ad illud inclinat et osculum applicat.

2. Celebrans missale non osculatur in Missis defunctorum nec in Missis coram Summo Pontifice, Cardinali, Legato apostolico, Patriarcha, Archiepiscopo et Episcopo in eorum residentiis, quia tunc cuilibet praedictorum defertur liber osculandus. Quibus in casibus Celebrans nec dicit *Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.*[5])

**143.** Deosculatio patenae. Patena semel tantum in Missa privata osculanda est, nimirum absoluto *Pater noster* in Oratione subsequenti *Libera nos, quaesumus etc.* postquam eâ se signavit.

Regula: Deosculanda est patena in parte anteriori (concava) et superiori i. e. in extremitate seu ora superiori[6]) prope manum eam tenentem,[7]) non autem in ea parte, per quam Hostia transitura est.[8])

## Caput VIII.

### *De pronuntiatione et vocis modulatione in Missa.*

**144.** Non omnia in Missa eodem vocis tono dicuntur, sed triplex in Missa privata celebranda distinguitur vox, nempe clara, media et secreta seu submissa.

Regulae generales:

1. Quae clara voce pronuntianda sunt, ita proferantur, ut audiri et intelligi possint a circumstantibus. Cavendum tamen, ne dicantur voce tam elata, ut perturbentur alii fortasse in eadem ecclesia tunc temporis celebrantes.[1])

[4]) *Rit. cel.* miss. VI. n. 2. — [5]) *Rit. cel.* miss. VI. n. 2. — [6]) *S. R. C.* 24. Jul. 1683 n. 5. — [7]) *S. Alphonsus*, l. c. cap. 10. n. 3. — [8]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 259.

[1]) *Rub. gen.* miss. XVI. n. 2.

2. Quae media voce pronuntianda sunt, ita alte proferantur, ut solummodo a ministris et forte etiam a proxime circumstantibus percipi possint.[2])

3. Quae secreta voce pronuntianda sunt, ita submisse proferantur, ut a solo Celebrante, non autem a ministris et multo minus a circumstantibus audiantur et intelligantur.[3])

4. Verba pronuntianda sunt non admodum festinanter, ita ut Celebrans advertere possit quae legit, nec nimis morose, ne audientes taedio afficiat, sed graviter, ut ad devotionem moveat.[4])

**145.** Clara voce dicenda sunt:

1. Quae in principio Missae in plano dicuntur usque ad *Aufer a nobis, quaesumus etc.* exclusive.
2. Introitus, *Kyrie eleison* alternatim cum ministro.
3. Hymnus angelicus *Gloria, Dominus vobiscum.*
4. *Oremus*, *Flectamus genua*, *Levate*, Collectae.
5. Epistola, Prophetiae, Graduale, Tractus, Sequentia.
6. Evangelium, Credo, Offertorium, Praefatio.
7. Oratio Dominica et conclusio *Per omnia saecula saeculorum* eam praecedens. Eadem conclusio cum subsequente *Pax Domini sit semper vobiscum.*
8. Totum et triplex *Agnus Dei etc.*, Communio, Postcommunio.
9. *Ite Missa est, Benedicamus Domino, Requiescant in pace.*
10. *Benedicat vos etc.* Ultimum Evangelium.

**146.** Media voce dicenda sunt:

1. *Orate fratres.*
2. *Sanctus* et quae sequuntur usque ad Canonem.
3. *Nobis quoque peccatoribus.* Haec tria tantum verba.
4. *Domine, non sum dignus.* Haec quatuor tantum verba. Verba subsequentia voce secreta dicuntur.

---

[2]) Rub. ordin. miss. habet: voce *elata, paululum* seu *aliquantulum elevata.* — [3]) *Rub. gen.* miss. l. c. — [4]) Ibid.

**147.** Secreta voce dicenda sunt:

1. *Aufer a nobis* cum reliquis usque ad Introitum.

2. *Munda cor meum* cum sequentibus usque ad Evangelium exclusive. *Per evangelica dicta etc.* post Evangelium.

3. *Suscipe sancte Pater etc.* cum Orationibus sic dictis Secretis sequentibus usque ad Praefationem exclusive, excepto *Orate fratres*, quod dicitur media voce.

4. Canon Missae totus usque ad conclusionem *Per omnia saecula saeculorum* ante Orationem Dominicam exceptis verbis *Nobis quoque peccatoribus*, quae dicuntur media voce.

5. *Amen* post Orationem Dominicam cum Oratione et conclusione sequenti.

6. *Haec commixtio et consecratio etc.*

7. Tres Orationes ante Communionem et quae sequuntur usque ad Antiphonam, quae inscribitur Communio exclusive, exceptis verbis *Domine non sum dignus*, quae dicuntur media voce.

8. Oratio *Placeat tibi sancta Trinitas etc.* ante benedictionem in fine Missae.

**148.** Verba Consecrationis dicenda sunt:

1. Attente[5]); verba enim sunt sanctissima et proferuntur in momento sanctissimo ideoque maximam merentur attentionem. Monet cl. Herdt,[6]) duplicem defectum hic vitandum esse, scilicet nimis parvae et nimis anxiae attentionis; prior pejor est, non minus tamen vitandus alter, qui scrupulos generat. Quapropter securus esse debet, qui verba profert eo modo, quo quis devote alias orationes vocales recitare solet; aliud enim non praescribitur nec exigitur.

2. Continuate[7]) i. e. absque morula intercedente tum inter verba Consecrationis et verba praecedentia *Manducate ex hoc omnes* et *Bibite ex eo omnes*, tum inter singula Consecrationis verba, quae proferenda sunt unico tractu.

---

[5]) *Rit. cel.* miss. VIII. n. 7. et Rub. ordin. miss. — [6]) S. Lit. Prax. I. n. 249. nota. — [7]) *Rit. cel.* miss. l. c.

3. Distincte[8]) absque ulla elisione aut mutilatione. Ob periculum errandi consulitur verba haec legere e tabella vel missali, non autem ea memoriter proferre.

4. Reverenter[9]) i. e. sine nimia aspiratione et sine capitis motione. Os Sacerdotis medio circiter pede distet ab hostia et calice consecrando.

5. Secreto[10]) i. e. ita ut Celebrans seipsum audiat, minime autem a circumstantibus audiatur. Verba Consecrationis ita submisse proferre, ut ne se ipse quidem audire possit, secluso strepitu forte excitato, facile graviter peccat, eo quod Consecrationem facile facit dubiam.[11])

6. Assertive (significative seu formaliter), non solum narrative (recitative seu historice), quia Sacerdos non tantum narrat Christum per ea verba consecrasse, sed ipse etiam tamquam minister secundarius iisdem verbis consecrat. »Si enim ea, ait Benedictus XIV.,[12]) tantum recitative et historice Sacerdos proferret tamquam dicta a Christo, non sane loqueretur aut ageret ex persona Christi, quamobrem quum Sacerdos loquatur et agat ex persona Christi, necessario sequitur, verba Consecrationis a Sacerdote proferri significative et formaliter.« Attamen non est scrupulose laborandum, ut verba in sensu assertivo proferantur; eo enim ipso, quo habetur voluntas consecrandi, implicite et sufficiens habetur voluntas verba proferendi in sensu assertivo.[13])

7. Semel i. e. absque scrupulosa repetitione.

**149.** Si Celebrans per errorem super panem proferat formam Consecrationis calicis, an panis censendus est consecratus an vinum? *R.* Neutrum. Non est consecratus panis ob defectum formae; non est consecratum vinum ob defectum intentionis. In casu ergo Celebrans incipiendo a verbis *Qui pridie,* super panem proferat formam praescriptam et denuo proferat formam Consecrationis vini super calicem. Si hostia non consecrata elevata fuerit, non est denuo elevanda, ad cavendum scandalum.[14])

---

[8]) Ibid. n. 5. et Rub. ordin. miss. — [9]) *Rit. cel.* miss. l. c. — [10]) Ibid. et Rub. ordin. miss. — [11]) *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. 2. n. 243. — [12]) De sacr. Sacrif. miss. lib. 2. cap. 15. n. 4. — [13]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 249. ad 6. — [14]) *Herdt*, l. c. II. n. 150.

## Caput IX.

### *De Manuum positionibus in Missa.*

**150.** Manus in Missa varias habere possunt positiones; praecipue consideranda venit eorum junctio et extensio. Junguntur manus vel ante pectus, vel super altare, vel ante faciem; extenduntur vel ante pectus, vel super altare, vel super librum.

Regulae generales:

1. In omni manuum junctione et extensione, imo in quacumque manuum positione, quae fit in Missa a Consecratione Hostiae usque ad Communionem inclusive, pollices et indices utriusque manus invicem junguntur et juncti tenentur, nisi quando Hostia consecrata tractanda vel tangenda sit.[1]) Quem in finem apices pollicis et indicis utriusque manus se invicem jugiter contingunt, reliquis digitis extensis et invicem junctis. Ante Consecrationem et post Communionem autem in manuum extensione pollices et indices extenduntur et applicantur ceteris digitis extensis et junctis; in junctione vero pollex dexter imponitur de more pollici sinistro in modum crucis.[2])

2. Ante pectus manus junguntur in Missa modo consueto, sicut dictum est pag. 2. n. 2. Quod semper servatur in junctione manuum ante pectus, praeterquam a Consecratione usque ad Communionem inclusive, quo tempore pollices et indices utriusque manus invicem junguntur, uti in priori regula exposuimus. Junctio ipsa duplici fit modo, vel ita, ut manus disjunctae, quin eleventur, linea recta ante pectus jungantur; vel ita, ut disjunctae eleventur ex parte infima usque ad altitudinem humerorum, deinde ante pectus demittantur, ubi junguntur.

3. Super altare manus junctae ponuntur ita, ut digiti parvi dumtaxat frontem seu medium anterioris partis mensae tangant, reliqui vero digiti utriusque manus invicem juncti et a parvis digitis non separati[3])

---

[1]) *Rit. cel.* miss. VIII. n. 5. — [2]) Ibid. III. n. 1. — [3]) *S. Alphonsus,* Lib. de caer. miss. cap. 4. n. 1.

in superiori parte mensae quiescant, pollice dextero super sinistro in modum crucis posito.[4]) Quae semper servantur, quando manus junctae ponuntur super altari, sive ante sive post Consecrationem,[5]) nisi quod in casu posteriori pollices et indices jungantur.

4. Ante faciem manus junguntur ita, ut junctae eleventur usque ad mentum, sic tamen, ut intercedat aliquod spatium inter mentum et manus. Caveat Sacerdos, ne manus elevet usque ad oculos, nec eas imponat ori vel naribus.

5. Ante pectus manus extenduntur et extensae tenentur ita, ut extensis et junctis omnibus digitis (post Consecrationem usque ad Communionem inclusive pollice et indice utriusque manus invicem junctis) palma unius manus respiciat alteram et humerorum latitudinem et altitudinem manus minime excedant.[6]) Extensio et junctio fit linea recta, manus nec deprimendo nec elevando,[7]) nisi aliter notetur.

6. Super altare manus extenduntur i. e. separatae ab invicem in illo collocantur ita, ut ante Consecrationem et post Communionem in mensa ponantur hinc inde e x t r a c o r p o r a l e digitis junctis et extensis et quidem ex parte totius palmae usque ad pulsum, non cum solis digitis; a Consecratione usque ad Communionem inclusive vero s u p e r c o r p o r a l e pollice et indice modo supra dicto junctis. Palma in hoc casu cum tribus ultimis digitis in corporali quiescat, vel potius ita ponatur, ut sola ejus pars lateralis ex parte digiti parvi tangat corporale.[8])

7. Alterutra manu operante, altera non occupata numquam in aëre pendula maneat,[9]) sed ponatur vel

---

[4]) *Rit. cel.* miss. IV. n. 1. — [5]) Ad quaesitum: An Sacerdos ponere debeat manus intra corporalia, dum dicit Orationem *Supplices te rogamus* et Orationes ante Communionem? *S. R. C.* die 7. Sept. 1816 ad 35. respondit: Servandas esse Rubricas, quae jubent manus ponendas esse super altare, non intra corporale. — [6]) *Rit. cel.* miss. V. n. 1. — [7]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 139. — [8]) *Herdt*, l. c. n. 138. — [9]) Hanc regulam inviolabilem vocat *s. Alphonsus* Lib. de caer. miss. cap. 8. n. 8.

super pectus, vel super librum, vel super altare, prout actio exigit.

8. In percussione pectoris, quae fit ante Consecrationem, Sacerdos, sinistra posita infra pectus, extremitate manus dexterae, extensis junctisque cunctis digitis iisque parum inflexis, pectus modeste percutit. In percussione pectoris vero post Consecrationem, sinistra posita super altari in corporali, tribus dumtaxat inferioribus et ultimis digitis dexterae pectus percutit, ne pollex et index juncti casulam tangant.

9. In vertendis foliis missalis adhiberi potest vel utraque manus vel alterutra tantum et tunc altera ponitur vel super altare vel missale.[10] Post Consecrationem usque ad Communionem inclusive folia aut signacula foliis apposita sumantur potius digito medio et angulari, quam indice et digito medio, nequaquam autem pollice et indice.

**151.** Manus prius junctae ante pectus extenduntur, elevantur et statim junctae ante pectus demittuntur:

1. Ad verba *Gloria in excelsis Deo.*

2. Ad verba *Credo in unum Deum.*

3. Ad verba *Veni sanctificator, omnipotens aeterne Deus.*[11]

4. Ante verba *Te igitur etc.* ineunte Canone.

5. Ad verba *Benedicat vos omnipotens Deus.*

**152.** Manus, prius non junctae, extensae elevantur:

1. Ad verba *Sursum corda.*

2. Ad Memento vivorum elevantur usque ad faciem, ubi junguntur.

3. Ad verba *Fiat dilectissimi Filii tui D. N. J. Chr.*, quibus dictis ante pectus junguntur.

**153.** Manus ante pectus extensae tenentur:

1. Infra Collectas, Secretas et Postcommuniones usque ad conclusionis verba *Dominum nostrum* vel *In unitate* exclusive. Vide n. 164.

---

[10]) *S. Alphonsus*, l. c. cap. 3. n. 3. et cap. 5. n. 3. — [11]) Rub. spec. in ord. Missae.

2. Ad *Sursum corda* usque ad *Gratias agamus Domino*, ad quae verba [12]) manus linea recta [13]) ante pectus junguntur.

3. A *Vere dignum etc.* usque ad *Sanctus* exclusive.

4. In Canone ante Consecrationem a verbis *In primis, quae tibi offerimus etc.* usque ad conclusionem ante *Hanc igitur etc.* exclusive, excepto Memento vivorum.

5. In Canone post Consecrationem usque ad *Per quem haec omnia etc.*, praeterquam ad *Supplices te rogamus* et ad Memento mortuorum et excepto casu, quo quid manibus agendum praescribitur.

6. Per totam Orationem Dominicam usque ad *Amen* inclusive.

**154.** Manus prius junctae ante pectus extenduntur et statim linea recta junguntur:

1. Quotiescunque dicitur *Oremus*, praeterquam ante Orationem Dominicam, ubi manus tantum elevantur et junguntur.

2. Quotiescunque conversus ad populum Celebrans dicit *Dominus vobiscum.*

3. Dum dicitur *Orate fratres.*

4. Ad Memento mortuorum, ubi junctae usque ad faciem (mentum) elevantur.[14])

**155.** Manus extensae super altare ponuntur:

1. Sub quolibet osculo altaris, et quidem ante Consecrationem hinc inde extra corporale, post Consecrationem usque ad Communionem inclusive super corporale.

2. Sub qualibet genuflexione ad altare, excepta genuflexione ante elevationem s. Hostiae.

3. Ad verba Praefationis *Per omnia saecula saeculorum* et *Dominus vobiscum.*

4. Ad verba *Per omnia saecula saeculorum* ante Orationem Dominicam.

---

[12]) *Rit. cel.* miss. VII. n. 8. — [13]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 237.; *Schober* in s. Alphonsi libr. de caer. miss. cap. 7. not. 42. — [14]) *Rit. cel.* miss, IX. n. 2.

**156.** Manus extensae ponuntur super missale, ipsum tenendo vel saltem tangendo[15]):

1. Ad Epistolam; 2. ad Graduale; 3. ad Tractum; 4. ad Versiculos; 5. ad Sequentia.

**157.** Manus junctae super altare tenentur:

1. Ad *Oramus te Domine per merita etc.* usque ad *Quorum Reliquiae hic sunt*, ad quae verba extensae hinc inde extra corporale ponuntur, ut Celebrans altare osculetur.

2. Per totam Orationem *In spiritu humilitatis etc.*

3. Per totam Orationem *Suscipe sancta Trinitas etc.*

4. Ineunte Canone ad *Te igitur etc.* usque ad verba *Uti accepta habeas et benedicas* exclusive.

5. Ad Orationem *Supplices te rogamus* usque ad verba *Ex hac altaris participatione* exclusive.

6. Ad tres Orationes ante Communionem.

7. Ad Orationem *Placeat tibi* ante benedictionem populi.

**158.** Manus junctae ante pectus tenentur:

1. Ubicunque alia positio non praescribitur; speciatim:

2. Ad *Munda cor meum etc.*

3. Dum dicitur Offertorium post *Oremus.*[16])

4. Ad *Sanctus* usque ad *Benedictus* exclusive.

5. Ad verba *Praeceptis salutaribus moniti etc.* usque ad *Pater noster.*

6. Ad verba *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi* prima vice prolata.

**159.** Manus junctae ante faciem (mentum) tenentur:

1. Durante utroque *Memento.*

2. Durante meditatione post sumptionem ss. Corporis Christi.[17])

---

[15]) *Rit.* l. c. VI. n. 1. — [16]) *Rit. cel.* miss. VII. n. 1. — [17]) Sunt, qui etiam post sumptionem pretios. Sanguinis meditationem instituunt. Ast minus recte, quia de hac meditatione Rubricae

**160.** Manus sinistra super altare ponitur:

1. Ad Offertorium, dum Celebrans calicem patena et palla coopertum versus cornu Epistolae collocat immediate ante oblationem hostiae et iterum antequam, e cornu Epistolae ad altaris medium reversus, accipiat calicem ad offerendum vinum.[18])

2. Ad *Nobis quoque peccatoribus.*

3. Post Orationem Dominicam ad *Libera nos, quaesumus* usque ad *Da propitius etc.* exclusive, ad quae verba infra pectus ponitur.

4. Dicto primo *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi* usque ad *Dona nobis pacem* inclusive.

5. Dum Celebrans, patenam tenens, se ipsum signat calice immediate ante sumptionem ss. Sanguinis.

6. Dum Celebrans sumpto ss. Sanguine, patenam tenens, porrigit calicem ad infundendum vinum pro purificatione.

7. Quotiescunque super calicem aut hostiam manu dextera signum crucis facit, nisi sinistra sit impedita. Vide n. 134. ad 3.

8. Dum facit signum crucis super altare ante lectionem ultimi Evangelii.

**161.** Manus dextera super altare ponitur:

1. Quotiescunque sinistrâ folia missalis vertuntur. Vide n. 150. reg. gen. n. 9.

2. Post *Domine non sum dignus*, dum reliqua verba dicuntur, dextera potest esse in continuo motu vel in altari quiescere.[19])

**162.** Manus sinistra infra pectus ponitur:

1. Quotiescunque Celebrans seipsum signat, nisi sinistra sit impedita. Vide n. 134. ad 3.

2. Dum percutit pectus ad *Confiteor.*

3. Dum in fine Missae benedictionem impertit populo.

---

silent. Et interrogata *S. R. C.*: An Sacerdos post sumptionem pr. Sanguinis debet parumper immorari in adoratione, prout fit post sumptionem ss. Hostiae? die 24. Sept. 1842 ad 2. respondit: Serventur Rubricae (nihil sc. praecipientes). — [18]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 18. n. 63.; *Carpo*, Caer. pars 2. n. 41.; *Herdt*, l. c. I. n. 229. — [19]) *Herdt*, l. c. n. 138.; *Martinucci*, l. c. n. 117.

**163.** Pectus manu dextera percutitur:

1. Sub Confiteor ad *Mea culpa* (bis) et *mea maxima culpa,* sinistra posita infra pectus.

2. Ad verba *Nobis quoque peccatoribus*, sinistra interim posita in corporali.

3. Post verba *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*, dum dicitur *Miserere nobis* (bis) et *Dona nobis pacem*, sinistra interim posita in corporali.

4. Ad verba *Domine, non sum dignus,* sinistra interim patenam tenente et ambas partes ss. Hostiae.

**164.** In Orationum conclusione manus junguntur modo sequenti[20]):

1. Quando Oratio concluditur verbis *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus* vel verbis *Per eundem Dominum nostrum etc.*, tunc in utraque conclusione ad verba *Dominum nostrum* manus ante pectus junguntur junctaeque tenentur usque ad finem conclusionis inclusive, et caput ad verba *Jesum Christum* inclinatur versus Crucem absque oculorum elevatione.

2. Quando vero Oratio concluditur verbis *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti etc.* vel verbis *Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti etc.*, tunc manus junguntur ad verba *in unitate* junctaeque ante pectus tenentur usque ad finem conclusionis, caput vero non inclinatur neque versus Crucem neque versus librum.

**165.** De positione manus sinistrae in crucis majoris efformatione, vide n. 134. ad 3.

## Caput X.

### *De Inclinationibus in Missa occurrentibus.*

**166.** Saepissime in Missae celebratione occurrunt inclinationes faciendae, corporis seu profunda, humerorum seu mediocris et capitis seu minima inclinatio. De

[20]) *Rit. cel.* miss. V. n. 1.

modo faciendi has inclinationes jam disseruimus in capite secundo hujus libri. Hic agimus solummodo de inclinationibus, quae occurrunt in Missae celebratione.

### *§ 1. Regulae generales.*

**167.** — 1. Ante inclinationem oculi non sunt elevandi, nisi elevatio specialiter praescribatur,[1] ut ante *Munda cor meum*, ante *Suscipe s. Trinitas,* ad *Deo nostro* in versiculo Praefationis *Gratias agamus Domino Deo nostro*, ante *Te igitur* et ante vocem *Deus* immediate ante benedictionem populi.

2. Dum Celebrans inclinatus legit ea, quae novam exigerent inclinationem, tunc haec (altera) inclinatio omittitur, a fortiori si tamquam minor inclinatio comprehendatur in priori inclinatione majori. Quapropter in Oratione *Suscipe s. Trinitas*, quam Celebrans legit mediocriter inclinatus, nullae superadduntur speciales inclinationes ob prolationem ss. Nominum Jesu, Mariae et Sanctorum ibi occurrentium. Similiter in tribus Orationibus ante Communionem, quae recitandae sunt cum mediocri inclinatione, omittuntur capitis inclinationes ad ss. Nomen Jesu, quia capitis inclinatio utpote minor reverentia jam comprehenditur in humerorum inclinatione utpote majori.[2]

3. Si eodem tempore, quo faciendum est signum crucis, facienda occurrat simul inclinatio, haec omittitur. Ratio est, quia crux formanda est capite et corpore erecto. Vide n. 133. reg. gen. 1.

4. Si immediate post inclinationem facienda sit genuflexio aut conversio ad populum, Sacerdos praevie totaliter se erigat et subinde genuflectat aut se convertat, ne genuflexio aut conversio peragatur incurvato corpore.[3]

---

[1]) *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 121. nota. — [2]) *Cavalieri,* tom. 5. cap. 13. n. 44. 45.; *Bouvry,* pars 3. sect. 3. tit. 5. rub. 2. et tit. 10. rub 3. ad (1); *Herdt,* l. c. n. 234. — [3]) Cf. *Romsée,* Prax. tom. I. pars 2. art. 4. n. 4. not.

### § 2. *De Corporis Inclinatione in Missa.*

**168.** Quomodo haec inclinatio peragenda sit, jam explicavimus. Recole dicta pag. 3. n. 5. Ad decenter hanc inclinationem ad altare formandam, Celebrans profunde sese inclinaturus aliquantulum (spatio unius pedis, dicit s. Alphonsus) retrocedat et ita se constituat, ut frons fere tangat mensam altaris. Quod tamen relative sumendum est secundum magnitudinem Celebrantis et altitudinem altaris.

**169.** Profunda seu corporis inclinatio facienda est a Celebrante:

1. Immediate ante principium Missae, antequam Celebrans stans in plano cruce se signet et incipiat psalmum *Judica* cum reliquis, posito quod in tabernaculo actualiter non contineatur ss. Sacramentum.[1])

2. Ad *Confiteor* usque ad absolutum a ministro *Misereatur tui etc.*, ergo usque ad dictum a Celebrante ipso *Amen.*[2])

3. Ad *Munda cor meum etc. Jube, Domine, benedicere. Dominus sit in corde meo etc.*[3])

4. Ante et per totam Orationem *Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Chr. Filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus.*[4])

5. Post Consecrationem ad *Supplices te rogamus* usque ad vocem *quotquot* inclusive.[5])

### § 3. *De Humerorum Inclinatione in Missa.*

**170.** Auctores communiter docent, ad debite hanc inclinationem ad altare faciendam Sacerdotem oportere caput et humeros ita deprimere, ut frons ejus fere aequet altitudinem pallae super calicem positae. Etiam in hac inclinatione decenter formanda Celebrans paululum recedat ab altari, sicut dictum est n. 168. Recole etiam dicta pag. 3. n. 6.

---

[1]) *Rit. cel.* miss. III. n. 1.; *S. R. C.* 8. Apr. 1808 ad 5. — [2]) *Rit. cel.* miss. III. n. 7. — [3]) Ibid. VI. n. 2. — [4]) Ibid. VIII. n. 1. — [5]) Rub. Ordin. miss.

**171.** Mediocris seu humerorum inclinatio facienda est a Celebrante:

1. Cruci altaris, antequam Celebrans, calice super corporale explicatum [1]) posito et libro in cornu Epistolae accomodato, in medium altaris reversus, descendat in planum Missam incepturus.[2])

2. Ad *Deus tu conversus etc.* usque ad *Oremus* inclusive ante *Aufer a nobis etc.*[3])

3. Ad verba *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiae.*[4])

4. Per totam Orationem *In spiritu humilitatis.*[5])

5. Per totam Orationem *Suspice sancta Trinitas.*[6])

6. Ad Trisagion *Sanctus* usque ad *Benedictus* exclusive.[7])

7. Sub Consecratione panis et vini.[8])

8. Ad tres Orationes ante Communionem.[9])

9. Ad triplex et totum *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum etc.*[10])

10. Infra sumptionem ss. Hostiae.

### § 4. *De Capitis Inclinatione in Missa.*

**172.** Quum in Missa celebranda occurrant multa, quae exigunt cultum latriae, nonnulla, quae exigunt cultum hyperduliae et quaedam exigentia cultum duliae, non raro occurrunt etiam capitis inclinationes ex triplici hac ratione faciendae, profunda scilicet, media et minima.

---

[1]) Corporale statim ab exordio Missae totaliter explicandum esse etiam ex parte anteriori Celebrantem versus, docent omnes Rubricistae recentiores innixi decisioni *S. R. C.* 30. Dec. 1881 ad 13. Cf. *Eph. lit.* 1889 pag. 157. Explicatur super altari ita, ut fimbria ejus spatio unius digiti saltem distet a fronte mensae, ne vestibus Sacerdotis adhaereat et calix hinc inde moveatur, imo in terram dejiciatur. Si corporale sit ita amplum, ut pars posterior partim tegat tabellam, haec corporali superimponi potest. De explicatione et complicatione corporalis vide n. 124. ad 4. — [2]) Non conveniunt auctores in definienda hac reverentia. Melioris notae Rubricistae *s. Alphonsus, Martinucci, Baldeschi, Schober etc.* habent mediocrem inclinationem. — [3]) *Rit. cel.* miss. III. n. 10. — [4]) Ibid. IV. n. 1. — [5]) Ibid. VII. n. 5. — [6]) Ibid. VII. n. 7. — [7]) Ibid. VII. n. 8. — [8]) Ibid. VIII. n. 5. — [9]) Ibid. X. n. 3. — [10]) Ibid. X. n. 4.

Prima correspondet cultui latriae, secunda cultui hyperduliae, tertia cultui duliae. Recole dicta pag. 3. sq. nn. 7. 8. 9.

Regulae:

1. Profunda capitis inclinatio facienda est ad doxologiam *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto,*[1] ad prolationem ss. Nominis *Jesu*[2] et *Trinitatis*[3] nec non ad invitationem *Oremus*,[4] idque versus Crucem altaris extra Evangelium et non exposito ss. Sacramento.

2. Dum ss. Nomen *Jesu* profertur infra Evangelium, non exposito Sanctissimo, caput inclinandum est versus missale ob dignitatem Evangelii, quod propria Christi continet verba.[5] Idem ſit ad Nomen *ss. Trinitatis.*

3. Ad vocem *Christus* caput non inclinatur, excepto unico casu, in conclusione scilicet Commemorationis pro defunctis immediate ante *Nobis quoque peccatoribus.*[6]

4. Inclinatio capitis media facienda est solummodo ad Nomen *Mariae* Deiparae[7] et quidem ubicunque[8] occurrit, licet de ea nec Missa nec specialis commemoratio ſiat.[9] Quae inclinatio dirigenda est versus librum seu Nomen in libro expressum, nisi in loco principali altaris habeatur statua aut imago B. M. V., ad quam[10] hoc in casu caput inclinandum est extra Evangelium, intra Evangelium autem versus librum.[11]

5. Minima capitis inclinatio facienda est in festis[12] tantum Sanctorum, quoties nomina[13] eorum, quorum celebratur Missa vel ſit commemoratio, exprimuntur in

---

[1]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 1. n. 6. — [2]) *Rit. cel.* miss. V. n. 2. — [3]) *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 40.; cf. *Bouvry*, pars 3. sect. 3. tit. 5. rub. 2. — [4]) *Rit. cel.* miss. V. n. 1. — [5]) *Rit. cel.* miss. VI. n. 2. — [6]) Cf. Rub. can. miss. — [7]) Unde caput non est inclinandum in festo Assumptionis B. M. V. ad Evangelii verba *Optimam partem elegit sibi Maria*, quia non sunt de Maria, Matre Domini. *S. R. C.* 7. Dec. 1844 ad 11. — [8]) *Rit. cel.* miss. V. n. 2. — [9]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 126.; *Bouvry*, l. c. — [10]) *S. R. C.* 13. Febr. 1892 ad 26. — [11]) *Zualdi*, Caerem. pag. 68.; *Schober*, Caer. art. 1. cap. 9. n. 1. — [12]) Ergo nec in Missis votivis Sanctorum nec in eorum vigiliis. Coll. quaes. et resp. *S. R. C.* 13. Febr. 1892 ad 26. — [13]) Intelligendum hoc de nominibus propriis, sub quibus Sancti in Ecclesia coluntur; unde caput non inclinandum v. g. ad nomina *Simon Barjona, Saulus;* cf. *Bouvry* l. c.

Oratione, Epistola, Evangelio et in Canone.[14]) Quod valet etiam quoad nomina propria Angelorum.[15]) Quae inclinationes faciendae sunt semper versus missale, nisi in loco principali altaris habeatur statua vel imago Sancti vel Angeli, ad quam, quia expressius repraesentat, caput inclinatur.[16]) Excipiuntur tamen nomina Sanctorum, quae occurrunt in titulis Epistolae et Evangelii,[17]) in Orationibus ad libitum et in Oratione *A cunctis*, in quibus tantum ad Nomen Mariae Deiparae caput inclinatur.[18])

6. Semel tantum caput est inclinandum, dum plura simul junguntur nomina Sanctorum, ita tamen ut inclinatio duret a primo usque ad ultimum.[19])

7. Minima capitis inclinatio et quidem versus librum facienda est etiam ad nomen Papae viventis in ejus Oratione[20]) et in Canone[21]); similiter ad nomen Episcopi dioecesani in ejus Oratione et in Canone,[22]) sed

---

[14]) *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 34. — [15]) *Bouvry* l. c. — [16]) *S. R. C.* 13. Febr. 1892 ad 26. — [17]) Ibid. — [18]) *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 5. n. 5. Addimus hic dies, quibus fit officium nonnullorum Sanctorum, nominatorum in Canone post Consecrationem, ut omne tollatur dubium circa inclinationes faciendas. S. Joannes est Praecursor Domini (24. Jun. 29. Aug.); S. Stephanus est Protomartyr (26. Dec. 3. Aug.); S. Ignatius est Martyr et Patriarcha Antiochiae (1. Febr.); S. Alexander est primus inter hujus nominis Pontifices (3. Maji); Ss. Marcellinus Presb. et Petrus Exorcista Martyres (7. Jun.). — [19]) *Herdt*, l. c. Ita e. g. die 3. Maji: Alexandri, Eventii, Theoduli atque Juvenalis. — [20]) *Rit. cel.* miss. V. n. 2. — [21]) *S. R. C.* 23. Maji 1846 ad 6. — [22]) *S. R. C.* 13. Mart. 1700 ad 3.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 126.; cf. *Linzer Quartalschrift*, 1892 pag 235. Episcopi nomen dicendum est in Canone et in aliis liturgicis Orationibus a die captae possessionis vel per Episcopum ipsum vel per suum procuratorem. *S. R. C.* 4. Jul. 1879 (Acta s. Sedis tom. XII. pag 96.). Econtra nomen administratoris dioeceseos, etsi dignitate episcopali foret insignitus, in Canone non debet memorari. *S. R. C.* 22. Aug. 1722 ad 5. Si Episcopus loci, in quo celebratur, sit defunctus, verba commemorationis ejusdem in Canone omittuntur, quod fit etiam ab iis, qui Romae celebrant. *Rit. cel.* miss. VIII. n. 2. Si Sacerdos in aliena dioecesi celebrans ignoret Episcopi dioeceseos illius nomen vel ejus non meminerit, debet simpliciter dicere et Antistite nostro absque ulla nominis expressione. mentaliter intelligendo Episcopum dioeceseos, in qua celebrat. *Cavalieri*, tom. 5. cap. 16. n. 21. Episcopus celebrans in aliena dioecesi, non tenetur in Canone nominare Episcopum hujus alienae dioeceseos, sed semetipsum. *S. R. C.* 3. Jun. 1892 ad 20.

tunc tantum, quando ejus Collecta dicenda est, i. e. in die anniversaria electionis et consecrationis Episcopi.

**173.** Profunda capitis inclinatio facienda est a Celebrante:

1. Ter ad doxologiam *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto*, nempe post psalmum *Judica*, ad *Introitum* et post psalmum *Lavabo*.

2. Sexies in Hymno angelico, videlicet ad verba: *Deo — Adoramus Te — Gratias agimus Tibi — Jesu Christe — Suscipe deprecationem nostram — Jesu Christe.*

3. Quotiescunque dicitur *Oremus*.

4. Quotiescunque dicitur ss. Nomen *Jesu* aut *Jesu Christi* aut ss. *Trinitatis* (cf. n. 172. reg. 1. 2.), nisi Sacerdos praevie sit inclinatus. Recole n. 167. ad 2.

5. Quando ex aliqua ratione ipsemet Celebrans missale transfert a cornu ad cornu, transiens ante medium altaris caput profunde inclinat Cruci.[23]

6. Dum in hebdomada majori lecturus Passionem transit a cornu Epistolae ad cornu Evangelii.[24]

7. Ter in Symbolo, videlicet ad verba: *Deum — Jesum Christum — Simul adoratur.*

8. In Praefatione ad *Gratias agamus Domino*, dum dicit *Deo nostro.*

9. Ad utrumque *Memento.*

10. Ante utramque Consecrationem, dum dicit *Tibi gratias agens.*

11. Ad conclusionem *Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen* ante *Nobis quoque peccatoribus.* Recole n. 172. reg. 3.

12. Dicendo ter *Agnus Dei etc.*[25]

13. In Quadragesima ante Orationem super populum dicendo *Oremus. Humiliate capita vestra Deo.*[26]

14. Ad totam Orationem *Placeat* etc.[27]

15. In formula benedictionis populi ad vocem *Deus.*

---

[23]) *Rit. cel.* miss. VI. n. 1. — [24]) Cf. *Schober* in S. Alphonsi Lib. de caer. miss. cap. 6. n. 2. not. 7. Et sic omnes Rubricistae. — [25]) *Rit. cel.* miss. X. n. 2. — [26]) *S. R. C.* 12. Dec. 1879 ad 3. Cf. Act. S. Sedis tom. XII. pag. 643. — [27]) Rit. l. c. XII. n. 1. Ita intelligunt hanc Rubricam et eam in ordinario missae: *Martinucci, Herdt, Falise, Hartmann* aliique.

# Caput XI.

## *De Genuflexionibus in Missa occurrentibus.*

### *§ 1. Regulae generales.*

**174.** — 1. In omni genuflexione, sive simplici sive duplici, quam Celebrans facit stans ad altare i. e. in suppedaneo, manus usque ad pulsum [1]) super mensam altaris disjunctae et extensae ponuntur, excepta genuflexione simplici ante elevationem ss. Hostiae, in qua manus Corpus Domini tenentes junguntur junctaeque altari imponuntur.[2])

2. In omni genuflexione, sive simplici sive duplici, quam facit Sacerdos non stans ad altare i. e. non in suppedaneo, sed sive in gradibus, sive in plano, more solito manus junctae ante pectus tenentur, nisi sint impeditae.

### *§ 2. De Genuflexione simplici in Missa.*

**175.** Genuflexio simplex occurrit in omnibus Missis privatis et solemnibus, frequentius in Missis coram exposito ss. Sacramento, minus frequenter in aliis Missis. De modo exsequendi hanc genuflexionem recole dicta pag. 5. n. 11.

Regulae:

1. Quia in omni genuflexione simplici facienda genu dexterum demissum pavimento nullo modo insistere, sed eo vix attacto, graviter quidem sed statim inde erigi debet, errant ii, qui in genuflexionibus faciendis a Consecratione usque ad Communionem inclusive aliquantulum cum genu flexo in suppedaneo morandum esse putant. Verba Rubricae [1]) »genuflexus adorat« haud sibi volunt, genuflexioni adjungendam esse adorationem per aliquam morulam, sed tantum explicant, quomodo adoratio exhibenda sit, nimirum per genuflexionem.[2])

---

[1]) *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 4. n. 1. — [2]) *Rit. cel.* miss. VIII. n. 5.

[1]) *Rit. cel.* miss. VIII. n. 5. 7., IX. n. 3. etc.; *Rub. spec.* Canonis. — [2]) *Eph. lit.* 1888 pag. 591.

2. Quia in omni genuflexione simplici facienda, omitti debet qualiscunque inclinatio, ceteroquin etiam ad ss. Nomen Jesu aut Mariae praescripta, ideo perperam agunt omnes, qui genuflectendo caput inclinant oculosque in terram demittunt. Ad recte decenterque hanc genuflexionem exsequendam, Sacerdos genuflectens capite erecto (non elevato) oculos intentos habeat, quantum fieri potest, ad rem, cui exhibetur reverentia, ergo vel in Calicem vel in Hostiam, si genuflectat in medio altaris, vel ad missale, si genuflectat versus librum in alterutro cornu altaris.

3. Si pauca sint verba, ad quae genuflectendum est, genuflexio cum ipsis incipitur et absolvitur e. g. in Symbolo ad verba *Et incarnatus est etc.*; si autem plura sint verba, ita ut Celebrans genuflectens eorum lectionem prosequi non possit, ad prima dumtaxat verba genuflectit et statim surgit e. g. in Tractu Quadragesimae ad verba *Adjuva nos etc.*[3])

4. Celebrans nunquam actionem aliquam exerceat circa ss. Sacramentum, quin antea et postea simpliciter genuflectat.

**176.** Genuflexio simplex facienda est a Celebrante:

1. In exordio Missae, antequam stans in plano signet se signo crucis, sive ss. Sacramentum lateat inclusum sive pateat expositum et quidem in primo i. e. infimo gradu.[4])

2. Quotiescunque in Epistola, Tractu aut Evangelio praescribitur genuflexio.

3. In Symbolo ad verba *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est.* Lege n. 175. ad 3.

4. Ante et post elevationem ss. Hostiae et Calicis.

5. A Consecratione usque ad Communionem ante et post quemcunque contactum ss. Hostiae et ante quamcunque aperitionem ac post quamcunque cooperitionem Calicis. Vide n. 175. ad 4.

[3]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 116. not. — [4]) *Rit. cel.* miss. III. n. 1.; *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 51.

6. Ad *Flectamus genua* in Missis privatis Quatuor Temporum; in Missis solemnibus enim Diaconus genuflectit, non Celebrans.

7. Ad verba *Et Verbum caro factum est* in fine ultimi Evangelii s. Joannis, stans oblique[5]) versus cornu altaris.

8. In Missis coram ligno s. Crucis palam exposito, in accessu et recessu nec non in transitu ante medium altaris seu a cornu ad cornu, sicut ad incensationem in Missa solemni.[6]) Et quum S. R. C. declaraverit, Reliquiae pretiosissimi Sanguinis eandem venerationem exhibendam esse sicuti sacro ligno Crucis[7]); patet, dictas genuflexiones faciendas esse etiam in Missis coram palam exposita Reliquia pretiosissimi Sanguinis Domini.

### *§ 3. De Genuflexione duplici in Missa.*

**177.** In omni genuflexione duplici, quam Celebrans facit ad altare i. e. in suppedaneo, manus disjunctas extendit super mensam altaris, dum genuflectit, infra pausam eas jungit ante pectus, dein iterum super altare extendit, dum surgit.

Rarissimae in Missa occurrunt genuflexiones utroque genu faciendae. Quum tamen aliquando id contingere possit, in sequentibus exponentur casus, in quibus Celebrans genuflexionem duplicem facere tenetur.

**178.** Genuflexio duplex facienda est a Celebrante:

1. Ratione Rubricae praecipientis. Rubrica hujusmodi invenitur in Missis cum Passione, vi cujus ergo Celebrans utrumque genu versus librum flectere tenetur in fine Passionis post verba *Exspiravit* vel *Emisit spiritum* per totam pausam.

2. Ratione elevationis in altari vicino. Si, antequam Celebrans Missam incipiat, in aliquo altari vicino ss. Sacramentum elevetur, dum ipse calicem accomodat vel Missam quaerit, actionem suam prose-

[5]) *S. R. C.* 30. Aug. 1892 dub. 6. — [6]) *S. R. C.* 23. Maji 1835 ad 1. — [7]) *S. R. C.* 22. Sept. 1827.

quatur; deinde descendat in planum et, si adhuc sit elevatio, in infimo gradu utrumque flectat genu usque ad finitam elevationem Calicis. Si vero signum crucis jam fecerit, ergo Missam jam inceperit, non debet advertere quemcunque in alio altari celebrantem, etiamsi hic Sacramentum elevet,[1]) ideoque nec genuflectat nec sese inclinet. Quod dictum est de principio Missae, valet etiam in fine Missae. Celebrans genuflectat in infimo gradu, si, antequam incipiat preces post Missam praescriptas vel antequam discedat in sacristiam, elevatio contingat. Quae omnia tamen intelligenda sunt tantum, si elevatio fiat in vicino altari.[2])

3. Ratione ss. Sacramenti extrahendi vel reponendi ab alio Sacerdote. Si infra Missae celebrationem ad altare superveniat alius Sacerdos ad extrahendum e tabernaculo vel ibi reponendum ss. Sacramentum, tunc, si Celebrans Canonem nondum inceperit, stans in medio altaris recedit ad alterutrum cornu, ibique utrumque flectit genu et caput inclinat; si sit in uno alterove cornu, genuflectit ibidem. Si eodem tempore Celebrans occupatus sit v. g. in recitanda Oratione, Gloria, Credo, Epistola, Evangelio vel in offerendo pane aut vino etc., tunc praestat, lectionem vel actionem prius absolvere, deinde genuflectere. Si autem Celebrans Canonem jam inceperit, non genuflectit, sed tantum e medio recedit, nisi per Consecrationem, Communionem aliamve actionem impediatur.[3])

Sacerdos accedens ad altare, in quo tunc Missa celebratur, convenientius exspectabit ad aperiendum tabernaculum, donec Celebrans totaliter absolverit lectionem aut actionem, in qua dicenda vel facienda occupatus est; qua finita, accedet ad aperiendum tabernaculum. Reposito ss. Sacramento post distributam Communionem abstinebit a recitandis versiculis et oratione nec non a danda benedictione, quia non convenit, Celebrantem diutius interrumpere.

[1]) *Rit. cel.* miss. III. n. 4. — [2]) *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 3. n. 4.; *Eph. lit.* 1891 pag. 126. — [3]) *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 35.

## Caput XII.

### *De Orationibus et Commemorationibus in genere.*

### *§ 1. Notio et Divisio.*

**179.** Orationes in Missa dicuntur triplices: Orationes sic dictae Collectae[1]) seu Orationes κατ' ἐξοχήν, quae dicuntur post Gloria resp. post Kyrie ante Epistolam; Orationes sic dictae Secretae, quae dicuntur post *Orate fratres* ante Praefationem; Orationes Postcommuniones, quae dicuntur post Antiphonam, quae inscribitur in missali Communio.

Orationibus adjunguntur Commemorationes seu precationes, quibus vel agitur memoria alicujus Sancti vel Mysterii, de quo tunc non fit Missa (commemorationes proprie dictae), vel imploratur divinum auxilium in certis necessitatibus (commemorationes improprie dictae).

**180.** Commemorationes sunt triplicis generis, videlicet *a)* Commemorationes speciales, quae dicuntur tantum ratione festi occurrentis; *b)* Commemorationes communes, quae pro certis temporibus secundo vel tertio loco dicendae assignantur per Rubricas generales missalis titulo IX., qui inscribitur *De Orationibus*[2]); *c)* Commemorationes seu Orationes votivae, quae dicuntur α) vel ex mandato Rubricae v. g. Commemoratio Sanctissimi, Oratio in anniversario creationis et coronationis Papae, vel electionis et consecrationis Episcopi dioecesani, β) vel ex mandato Superioris, sic dictae Orationes imperatae, γ) vel ex devotione Celebrantis. Recensitae sub α) et β) dicuntur votivae sensu latiori, sub γ) autem sensu strictiori. Ceterum vox Oratio promiscue adhibetur etiam ad significandas Commemorationes et vox Collecta ad significandas Orationes votivas, praesertim imperatas.[3])

---

[1]) Collecta, quod idem est ac collectio sicut Missa idem ac missio, sic dicitur vel quod ex divinis scripturis colligatur Oratio, vel quia dicitur super Collectam i. e. populum collectum, vel quia Sacerdos omnium preces in ea colligit, vel quia adstantes se debent colligere, ut orent. *Gavantus*, pars 1. tit. 9. Videsis etiam *Fornici*, pars 1. cap. 22. — [2]) Quae sunt: De Spiritu Sancto, De Beata, A cunctis, Ecclesiae vel pro Papa, Ad libitum. — [3]) *Bouvry*, Expos. Rub. vol. 2. pars 3. sect. 2. tit. 7. et 9.; *S. R. C.* 26. Mart. 1859 ad 2.

## § 2. *De Numero et Ordine Orationum nec non de Modo eas recitandi.*

**181.** — 1. Quia Missae nihil auctoritate privata adjicere licet, ideo Celebrans non potest nec ex devotione,[1] nec ex peculiari necessitate,[2] nec ad postulationem stipendium offerentis[3] Orationem aliquam, nisi in casibus a Rubricis permissis, addere. Casus a Rubricis permissi sunt: si fiat Missa *a)* de festo simplici vel *b)* de feria, *c)* si celebretur Missa votiva privata vel *d)* de Requiem quotidiana. Consule dicta infra sub 5. Ut liceat Missae praeter casus a Rubricis permissos, Orationem aliquam addere pro necessitate communi, requiritur saltem licentia Episcopi,[4] ita quidem, ut sine hac licentia nec Praelati regulares possint ordinare Collectam dicendam in Missa a subditis suis tam pro necessitate ordinis quam pro necessitate communi.[5]

2. Generaliter loquendo, Missa etiam quoad Orationes et Commemorationes concordare debet cum officio[6] i. e. breviario. Ergo Orationes et Commemorationes eaedem, eodem numero, eodemque ordine in Missa fiunt ac in officio factae sunt. Exceptiones ab hac regula semper adnotantur in Directorio dioecesano.[7]

3. Orationibus sic dictis Collectis correspondent quoad numerum Orationes Secretae et Orationes post Communionem. Ergo quot sunt Collectae, tot sunt Secretae et tot Postcommuniones, exceptis feriis Quadragesimae, in quibus additur Orationibus post Communionem Oratio super populum, sicut in missali notatur.

---

[1]) *S. R. C.* 12. Aug. 1854 ad 30. — [2]) *S. R. C.* 23. Sept. 1837. — [3]) *S. R. C.* 7. Sept. 1850 ad 3. — [4]) *S. R. C.* 13. Febr. 1892 dub. 30. n. 16. — [5]) *S. R. C.* 27. Martii 1779 ad 16. — [6]) *Rub. gen. miss.* IV. n. 3. et VII. n. 1. — [7]) Quae exceptiones sunt: *a)* Commemoratio festi simplicis proprie dicti, licet facta fuerit in officio, omittitur in Missa solemni et cantata festi duplicis 2. classis. Econtra Commemoratio festi duplicis aut semiduplicis, quod simplificatur, non omittitur. Quid sit simplificatio vide n. 32. ad 7. *b)* In Dominica Palmarum et in vigilia Pentecostes nulla fit Commemoratio in Missa, licet facta fuerit in officio. *c)* Fit in Missa Commemoratio de feria tertia et quarta Rogationum et de vigiliis in Adventu, in Quadragesima et in Quatuor Temporibus, etiamsi in officio facta non sit. Recole dicta n. 22.

4. Oratio principalis i. e. de Sancto vel Mysterio, de quo fit Missa, sive sit Collecta sive Secreta sive Postcommunio, semper dicitur primo loco, sequuntur Commemorationes speciales, dein communes et ultimo loco votivae.

5. Quo sublimioris ritus sunt festa, eo minus Orationes admittunt. In festis duplicibus dicitur una tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua Commemoratio[8] specialis vel votiva, puta Oratio imperata vel de Sanctissimo. — In festis semiduplicibus, Dominicis extra octavas, diebus infra octavas (exceptis diebus infra octavas Paschae et Pentecostes in Missis de octava) et in vigiliis, quae jejunantur (exceptis vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes), tres[9] dici debent Orationes, quarum secunda et tertia, nisi adsint Commemorationes speciales, sumitur ex Commemorationibus communibus sicut notatur in Rubricis generalibus missalis tit IX. *De Orationibus.* Nec plures dici possunt quam tres Orationes, nisi plures faciendae sint Commemorationes speciales. — In festis simplicibus et feriis per annum nec non in Missis votivis privatis, dicuntur tres Orationes, ut in semiduplicibus, nisi aliter notetur, possunt tamen sed non debent dici quinque, imo et septem Orationes.[10]

6. Numeri imparitas Orationum in simplicibus, feriis et Missis votivis privatis, quae a Rubricis generalibus missalis tit. IX. n. 12. innuitur, non adeo stricte est sumenda, ut omni in casu necessario observari debeat; praescriptio enim numeri imparis spectat tantum ad Orationes, quas Celebrans pro suâ devotione superaddit. Si ergo ob Commemorationes speciales vel communes, vel ob Orationes imperatas sint numero pares, Celebrans non tenetur[11] ad aliam Orationem addendam, ut numerus impar fiat, si vero addere velit aliquas Orationes pro sua devotione, adjungat eas post Orationes imperatas[12] et observet numeri imparitatem.[13]

---

[8]) *Rub. gen.* miss. IX. n. 1. — [9]) Ibid. n. 2—11. — [10]) *Rub. gen.* miss. IX. n. 12. 14.; *S. R. C.* 2. Dec. 1684 ad 9. — [11]) *Herdt,* l. c. n. 81.; *Linzer Quartalschrift,* 1891 pag. 909. — [12]) *S. R. C.* 2. Dec. 1684 ad 9. — [13]) *Eph. lit.* 1889 pag. 560.

7. In numero Orationum non referuntur Orationes imperatae nec Oratio de Venerabili (Sacramento). Hae duae Orationes potius, quando sumi debent, superadduntur Orationum numero a Rubricis determinato[14]) et propter has nulla alia Oratio, nec tertia ad libitum omitti potest.[15])

8. Commemorationes speciales communibus praevalent, quapropter hae i. e. communes locum cedunt illis i. e. specialibus. Si erga una Commemoratio specialis occurrat, Commemoratio communis, quae secundo loco dicenda esset, tertio loco dici debet, ut Commemoratio specialis secundo loco ponatur[16]); communis autem, quae tertio loco dicenda esset, omitti debet, si Missa tres tantum Orationes admittit, sicut in semiduplicibus. Si duae Commemorationes speciales occurrant, tali in casu utraque Commemoratio communis omittitur, ut earum loco ponantur Commemorationes speciales. Si tres aut plures Commemorationes speciales assignentur, hae omnes dicuntur, omissis duobus communibus. Dicendum ergo: Commemorationes speciales semper dicuntur omnes, quotquot assignantur; Commemorationes communes vero omittuntur tot, quot per Commemorationes speciales excluduntur; imo omittuntur omnes, si per Commemorationes speciales jam expleatur numerus Orationum a Rubricis praescriptus.

9. Ordo Orationum juxta Rubricas reformatas VII. n. 5. est sequens: »De feſto duplici, quod agitur ad instar simplicis, ſit commemoratio ante illam Dominicae; de Dominica ante feſtum semiduplex redactum ad modum simplicis; de semiduplici ante diem inſra Octavam; de die inſra Octavam ante ferias praedictas (majores vel vigiliam); de feriis praedictis ante festum simplex; de

[14]) Pro dioecesi Labacensi specialiter statutum est: »Orationes imperatas quascumque omitti tunc posse, quando iis recitandis numerus Orationum quinque excederetur. Excipitur unice Oratio pro Imperatore, quae scilicet suis diebus nullo habito ad Orationum numerum respectu semper sumenda erit, quando alias id licet.« *Laib. Dioecesanbl.* XI. 1892 pag. 109. — [15]) *S. R. C.* 17. Aug. 1709 ad 3.; *S. R. C.* 16. Febr. 1737 ad 8. — [16]) *Rub. gen.* miss. l. c. n. 16.

festo simplici ante Orationes, quae secundo vel tertio loco dicendae assignantur; et hae dicantur ante Orationes votivas; in quibus votivis servetur deinde dignitas Orationum, ut de Ss. Trinitate, de Spiritu Sancto, de Ss. Sacramento, de s. Cruce ante votivam de B. Maria et de Angelis, de s. Joanae Baptista et s. Joseph ante Apostolos, et similiter in aliis.«

10. Si inter plures Orationes sive Collectas sive Secretas sive Postcommuniones una Oratio eadem sit cum alia ibidem dicenda, non dicitur utraque, sed distinguendum est, utrum hae duae Orationes de vario sint objecto, an de eodem. Si sint de vario objecto i. e. de vario Mysterio vel Sancto, tunc illa Oratio, quae locum tenet Commemorationis, ergo ordine posterior, commutanda est cum alia de Communi vel Proprio, quae sit diversa.[17]) Idem valet de Secretis et Postcommunionibus. Notandum vero, illam tantum Orationem mutari, quae eadem est, non autem aliam v. g. Secretam et Postcommunionem, si sint diversae, ac vicissim.[18]) — Si autem Orationes sint de eodem objecto, licet posterior non plane iisdem verbis concepta, tunc illa, quae ordine posterior dicenda esset, omittitur, ne bis fiat de eodem. Si ergo imperata sit e. g. Oratio di Spiritu Sancto et haec ipsa dicenda sit in Missa secundo aut tertio loco, tunc imperata non est mutanda in illam ad postulandam gratiam Spiritus Sancti, quae invenitur in missali post Missam votivam de Spiritu Sancto, sed omittenda.[19])

11. In Orationibus cognomina et patria Sanctorum non sunt exprimenda.[20]) Non dicitur ergo: Petrus Nolascus, Franciscus de Borgia, Margarita Scotiae, Pius Quintus, Joannes Gualberti. Excipiuntur Orationes s. Joannis Chrysostomi, s. Petri Chryso-

---

[17]) *Rub. gen.* miss. VII. n. 8. — [18]) Quum Oratio, Secreta et Postcommunio tam in Missa *Dilexisti* quam in Missa *Vultum tuum* plane eaedem sint, itemque Secreta et Postcommunio in Missa *Cognovi*, in casu concurrentiae Commemoratio sumatur ex Missa *Loquebar* omittendo verba martyrem significantia. *S. R. C.* 12 Sept. 1840 ad 1. — [19]) *Herdt*, l. c. n. 70. ad 6. — [20]) *S. R. C.* 23. Jul. 1736 ad 2.

logi[21]) et s. Petri Coelestini[22]), in quibus cognomina non sunt expungenda.

12. Orationes Collectae et Postcommuniones semper dicuntur clara voce et primae earum nec non secundae praemittitur invitatio *Oremus*[23]), nisi dicendae sint sub una conclusione, quo in casu invitatio ante secundam Orationem omittitur et ponitur ante tertiam, si adsit, deinceps autem non amplius repetitur in sequentibus Orationibus, nisi aliter notetur e. g. ante Orationem super populum in feriis quadragesimalibus.[24]) Perlege n. 186. ad 1.

13. Secretae absolute incipiuntur absque[25]) praemisso *Oremus* et dicuntur semper voce submissa usque ad verba *Per omnia saecula saeculorum* ultimae conclusionis, quae verba dicuntur elata (clara) voce. Vide n. 186. ad 2. Ad expeditius recitandas Secretas Celebrans stans in medio altaris potest se aliquantulum convertere ad librum.[26])

14. Omnes Orationes in Missa tum Collectae tum Secretae tum Postcommuniones, etiam Oratio super populum dicuntur manibus extensis ante pectus. In Orationibus recitandis extra Missam autem manus nunquam extenduntur, nec etiam dum dicitur Oremus[27]), sed junguntur ante pectus.

**Adnotatio.** 1. Oratio *Concede,* quae saepius per annum assignatur, non est ea, quae prima inter Orationes diversas in fine missalis invenitur, sed de B. M. V. et habetur post Dominicam in Albis et in tribus ultimis Missis votivis de Beata in fine missalis.

2. Oratio *Ecclesiae,* quae etiam saepius praescribitur, non est inter Orationes diversas tertia Pro omni gradu Ecclesiae, sed decima, nempe Contra persecutores Ecclesiae.

---

[21]) *S. R. C.* 5. Mart. 1825. — [22]) *S. R. C.* 7. Dec. 1844 ad 9. — [23]) *Rub. gen.* miss. VII. n. 9. — [24]) *Rubr. miss.* fer. IV. Ciner. — [25]) *Rit. cel.* miss. VII. n. 7. — [26]) *Cavalieri,* tom. V. cap. 13. decr. 7. n. 46.; *S. Alphonsus,* Lib. de caer. miss. cap. 7. n. 16.; *Rit. cel.* miss. l. c. — [27]) *Rub. miss.* in bened. cin. Fer. IV. Ciner.; *Bauldry,* pars 3. cap. 4. n. 3.

## Caput XIII.

### *De Orationum Conclusionibus.*

**182.** In Missae sacrificio Orationes concluduntur semper conclusione longiori, quae tamen variatur secundum qualitatem Orationum. Orationes enim diriguntur vel ad Deum Patrem, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum, vel ad Filium, mediatorem generis humani, nunquam ad Spiritum Sanctum [1]), cujus tantum mentio fit in nonnullis Orationibus. Unde certae regulae quoad conclusiones faciendas sunt observandae. Agemus primo de conclusionibus singularum Orationum, deinde plurium Orationum, demum Orationum extra Missam et divinum officium. Quoad manuum junctiones in Orationum conclusionibus recole dicta n. 164.

Regula generalis: Nulla est conclusio, etsi brevis, quae Domini Nostri Jesu Christi, cujus passione redempti sumus, nomine non absolvatur; sed non aequalis semper est modus.[2])

### *§ 1. In singulis Orationibus.*

**183.** In Orationibus ad Deum Patrem:

1. Si dirigatur Oratio ad Deum Patrem et nulla fiat mentio Filii, concluditur: *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium Tuum, qui Tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum.* ℟. *Amen.* Secundum hanc regulam Oratio *Sancti Nominis tui etc.*, quae dicitur in Dominica infra octavam Corporis Christi, concluditur verbis *Per Dominum nostrum*, ut supra, quia dirigitur ad Deum Patrem.

2. Si in Oratione ad Deum Patrem mentio fiat Filii in principio aut medio Orationis sub nomine *Filii, Salvatoris, Redemptoris, Christi, Verbi, Unigeniti, Dei* cum addito *Genitricis Mariae*,[1]) aut sub quocumque alio nomine expressivo secundae Trinitatis personae, etiam

---

[1]) *Eph. lit.* 1888 pag. 71. — [2]) *Gardellini,* Decret. auth. *S. R. C.* vol. VIII. adn. 4. ad decr. n. 4566 ad 5.

[1]) E. g. in Oratione *A cunctis.*

quoad sensum tantum,[2]) semper concluditur: *Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium Tuum, qui Tecum vivit et regnat etc.*[3])

3. Si in fine Orationis ad Deum Patrem mentio fiat Filii, etiam quoad sensum tantum, sub nomine *Ejus* aut aliter, concluditur: *Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula etc.*

**184.** In Orationibus ad Filium:

Si Oratio dirigatur ad Filium, conclusio fit verbis: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum.* ℟. *Amen.* Secundum hanc regulam Oratio supra dicta *Sancti Nominis tui etc* quando dicitur post Litanias Ss. Nominis Jesu, non concluditur verbis *Per Dominum nostrum* (ut supra sub 1.), sed verbis *Qui vivis et regnas etc.*, quia hic loci non dirigitur ad Deum Patrem, sed ad Filium,[4]) in cujus honorem Litaniae recitantur.

**185.** In Orationibus de Spiritu Sancto:

Si in Oratione fiat mentio Spiritus Sancti, qua tertiae Ss. Trinitatis personae. in conclusione dicitur:... *in unitate ejusdem Spiritus Sancti etc.*[5])

Si vero vocabulum „*spiritus*" non tertiam divinam personam, sed directionem animi vel simile quid significet, in conclusione Orationis omittitur „*ejusdem*" sicut quoad Orationes *s. Juliani* (28. Januar.), *s. Fidelis a Sigmaringa* (24. Apr.), *s. Joannis Nepom.* (postcommunio 16. Maji), *s. Bernardini* Sen. (20. Maji), *Camilli de Lellis* (18. Jul.), *Hieronymi Aemil.* (20. Jul.), *Ioannae Franciscae* de Chantal (21. Aug.) et nonnullas alias Orationes S. R. C. die 12. Nov. 1831 ad 49. definivit. Ut omne dubium tollatur, S. R. C. Spiritum Sanctum, tertiam augustis-

[2]) E. g. in Oratione festi Exaltationis s. Crucis; *S. R. C.* 11. Mart. 1820 n. 5. Cf. *Eph. lit.* 1889 pag. 656. sq. — [3]) Quapropter Oratio festi pretiosiss. Sanguinis D. N. J. Chr. rectius in recentioribus breviariis concluditur verbis: *Per eundem Dominum etc.* quam in antiquioribus per verba: *Qui tecum vivit etc.* Et sic decrevit *S. R. C.* 23. Sept. 1885 ad 3.; cf. *Eph. lit.* 1890 pag. 332. — [4]) Et sic invenitur etiam in editione novissima Breviarii Pustet. Cf. *Eph. lit.* a. 1889 pag. 554. et cl. *Lehmkuhl* in *Linzer Quartalschrift* 1892 pag. 738. — [5]) *Rub. gen.* miss. IX. n. 17.

simae Trinitatis personam, in Orationibus per majusculam initialem indicare consuevit,[6]) e. g. in Oratione diei octavae *s. Laurentii* Martyris (17. Aug.), *s. Josaphat* Episcopi Martyris (14. Nov.).

## § 2. *In pluribus Orationibus.*

**186.** — 1. Quando plures Orationes in Missa sunt dicendae, tunc regulariter prima tantum et ultima concluditur et post primam conclusionem ante Orationem sequentem dicitur *Oremus,* sicut n. 181. ad 12. dictum est. Post primam conclusionem sequentes Orationes omnes, quotquot sunt, sub una clausula concluduntur, excepta Oratione super populum in feriis quadragesimalibus, quae semper ultimo loco dicitur et propriam habet conclusionem.

2. Idem dicendum est de concludendis Secretis, quarum, si plures dicendae sint, prima (vel secunda, si cum prima sub una clausula concludenda sit) submissa voce terminatur cum sua conclusione usque ad verbum *Amen* inclusive, quod verbum Celebrans sibi ipse respondet, deinde subjunguntur reliquae Secretae, quotquot sunt, sub unica conclusione usque ad verba *Per omnia saecula saeculorum,* quae verba clara voce dicuntur, sicut n. 181. ad 13. dictum est.

3. Dictam conclusionem plurium Orationum sub una clausula quod attinet, valet regula: Conclusio semper talis est, qualem Oratio, cui adnectitur, requirit, nulla habita ratione praecedentium Orationum.[1]) Ergo quando dicuntur plures Orationes sub unica conclusione et in prima vel secunda, non autem in ultima fit mentio Filii, non est concludendum verbis: *Per eundem Dominum nostrum etc.*[2]) Item non est dicendum in conclusione: *In unitate ejusdem Spiritus Sancti etc.*, quoties Spiritus Sancti mentio non fit in ultima Oratione, sed tantum in aliqua ex praecedentibus.[3])

[6]) Cf. *Eph. lit.* 1889 pag. 658. sq.

[1]) *S. R. C.* 8. Apr. 1865. — [2]) *S. R. C.* 23. Maji 1835 ad 2. — [3]) *S. R. C.* ibid. ad 1.

**187.** Nonnunquam duae Orationes dicuntur sub una et quidem prima conclusione. Quod fit praecipue in casibus sequentibus:

1. In Missis solemnibus et cantatis coram exposito ss. Sacramento i. e. ad altare expositionis in festis primae et secundae classis Commemoratio Sanctissimi sub unica conclusione adjungitur Orationi principali Missae,[4]) nisi alia Commemoratio facienda sit, cui in hoc casu sub distincta conclusione adjungitur.[5]) Quod valet etiam de Missis huiusmodi celebrandis in Dominica Palmarum, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes et in Missis votivis solemnibus. Vide caput sequens de Commemoratione Sanctissimi.

2. In Missis votivis solemnibus, quae interdum praecipiuntur diebus exceptis, videlicet in festis duplicibus primae classis, in Dominicis primae classis, feria quarta Cinerum, in hebdomada majori, in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes.[6]) Si hisce diebus Missa ejusmodi celebranda foret, illa erit de officio currenti, hujusque Orationi sub una conclusione adjungitur Oratio Missae votivae[7]); deinde dicuntur aliae Orationes a Rubricis praescriptae sub distincta conclusione.

3. Si praeciperetur Missa votiva solemnis pro re gravi occasione alicujus urgentis necessitatis, pro qua tamen nullum formulare speciale in missali notatur, sed adest tantum Collecta e. g. ad petendam pluviam, ad postulandam serenitatem, tempore famis, terraemotus etc., tunc dicenda est Missa Pro quacunque necessitate, quae est inter Missas votivas pro diversis rebus in fine missalis, ejusque Collectae sub unica conclusione adjungenda est Collecta particularis necessitatis, quae urget.[8])

4. Si Oratio imperata sit pro re gravi (quod ab Ordinario exprimi solet), dicenda est in duplici primae classis sub unica conclusione, nisi aliae Commemorationes occurrant, in duplicibus secundae classis et diebus

---

[4]) *S. R. C.* 23. Jun. 1736 ad 8. et 16. Febr. 1737 ad 8. — [5]) *S. R. C.* 18. Dec. 1779 ad 8. — [6]) *S. R. C.* 27. Mart. 1779 ad 20. — [7]) *S. R. C.* 27. Mart. 1773 ad 7. — [8]) *S. R. C.* 23. Febr. 1884 dub. 4. Cf. *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 42. ad 6.

inferioris ritus autem sub sua conclusione vel cum reliquis Commemorationibus, si sint faciendae.[9])

5. Diebus anniversariis creationis et coronationis Summi Pontificis, nec non electionis et consecrationis Episcopi in duplicibus secundae classis (in duplicibus primae classis enim omittitur) adjungitur Oratio *Deus omnium fidelium* Orationi Missae sub unica conclusione,[10]) nisi alia Oratio sub distincta conclusione recitanda sit, cui tunc adnectitur.

6. In Missa ordinationis dicenda est Oratio pro ordinandis sub una conclusione cum Oratione Missae diei,[11]) deinde sequuntur Commemorationes, si quae sint faciendae.[12]) Quod servandum est etiam in consecratione Episcopi.

7. In Missis votivis pro gratiarum actione, sive sint de Ss. Trinitate sive de Spiritu Sancto sive de B. Maria Virgine, adjungitur Orationi Missae sub una conclusione Oratio pro gratiarum actione *Deus cujus misericordiae*,[13]) quae invenitur post Missam votivam ss. Trinitatis. Quod tamen secundum communem sententiam auctorum intelligendum est tantum de Missis votivis solemnibus; in privatis enim dicenda est tertio loco.[14])

8. Si in festo s. Marci vel in tribus feriis Rogationum fiat processio ad ecclesiam, in qua festum Titularis vel Patroni occurrit, sive sit s. Marcus sive alius Sanctus, Missa processionis celebranda est de Titulari seu Patrono et in eadem facienda commemoratio Rogationum cum Oratione diei sub unica conclusione.[15])

### *§ 3. In Orationibus extra Missam et extra Horas canonicas.*

**188.** In his Orationibus adhibetur conclusio brevis,[1]) nisi aliter notetur. Conclusio brevis in Orationibus ad

[9]) *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 22. et 23.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 72. ad 4. — [10]) *S. R. C.* 12. Sept. 1840 ad 3. et 27. Apr. 1894 ad 4.; *Schober* in S. Alphonsi Lib. de caer. miss. cap. 5. not. 22. pag. 53. — [11]) Rub. in fin. missal. — [12]) *S. R. C.* 2. Jun. 1883 ad 9. — [13]) *Rub. miss.* post miss. de Ss. Trinitate. — [14]) *S. Alphonsus*, Theol. mor. lib. VI. n. 423. — [15]) *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 1. et 3.; *Herdt*, S. Lit. Prax. III. n. 75.

[1]) *S. R. C.* 20. Dec. 1864 ad 2.

Deum Patrem, si nulla fiat mentio Filii, est: *Per Christum Dominum nostrum;* si autem fiat mentio Filii: *Per eundem Christum Dominum nostrum.* In Orationibus ad Filium conclusio brevis est: *Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum* vel . . *in saecula saeculorum.*

**189.** Fieri potest, ut eadem Oratio habeat modo breviorem modo longiorem conclusionem, prout in lege dispositum est. Sic e. g. Oratio de ss. Sacramento *Deus qui nobis sub Sacramento* post administrationem ss. Communionis vel Viatici dicenda, concluditur longiori, post Litanias ante benedictionem cum Sanctissimo autem breviori conclusione [2]) et quidem per verba: *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum,* non: . . per *omnia saecula saeculorum.* [3])

## Caput XIV.

### *De Orationibus et Commemorationibus in specie.*

#### *§ 1. Commemoratio Sanctissimi.*

**190.** Pro hac Commemoratione sumitur Oratio vel ex Missa festi Corporis Christi vel ex Missa votiva de ss. Eucharistiae Sacramento in fine missalis. Fit haec Commemoratio tantum in ecclesiis, in quibus ss. Sacramentum expositum est, durante expositione.

Duplex distinguitur expositio Sanctissimi, publica et privata. Publica est ea, quae fit cum ostensorio sive detecto sive velato [1]) in throno tabernaculi patenter collocato; privata vero, quae fit cum ciborio suo velamine obtecto intra tabernaculum, ostiolo patefacto, remanente. Utraque instituta est ad bonum publicum, nullo pacto ad bonum privatum. Ita S. R. C. nuper declaravit contra doctrinam quorumdam affirmantium, Sacerdotem posse pro sua privata devotione sacrum tabernaculum aperire pro Sacramenti adoratione, preces ad libitum fundere et deinde illud claudere. [2]) Differentia inter utram-

---

[2]) *S. R. C.* 11. Jun. 1880 ad 2. — [3]) *S. R. C.* 29. Mart. 1851 ad 6.

[1]) *Gardellini,* Comment. in Instr. Clement. § 4. n. 5. et § 36. n. 3. — [2]) *Eph. lit.* 1895 pag. 709.

que sita est ergo potissimum in modo exponendi. Pro expositione publica insuper requiritur licentia Ordinarii,[3]) minime vero pro privata.

Expositio ciborii in throno tabernaculi est contra usum Romanum et contra varia Congregationis decreta.[4]) Nihilominus, si alicubi obtinuerit usus hujusmodi ab Ordinariis locorum expresse permissus vel saltem tacite toleratus, quem abolere sine scandalo et offensione difficile sit, servari potest.[5])

**191.** Commemoratio Sanctissimi fieri **debet:**

1. Extra tempus expositionis pro Oratione Quadraginta Horarum: *a)* In Missis solemnibus[6]) et cantatis[7]) coram ss. Sacramento publice exposito celebratis in altari expositionis, etiam in festis duplicibus primae et secundae classis iisque omnibus diebus, qui habent privilegium unius Orationes, quibus ergo excluduntur Commemorationes.[8]) Vide infra n. 195. ad 3. *b)* In Missis solemnibus et privatis loco solemnium, in quibus consecratur hostia mox publice in ostensorio exponenda, etiamsi nulla sequatur processio.[9])

2. Tempore expositionis pro Oratione Quadraginta Horarum: *a)* In Missis solemnibus et cantatis in altari expositionis ut supra ad *a*. *b)* In Missis solemnibus non in altari expositionis, sed in alio altari celebratis, dummodo non sit festum duplex primae vel secundae classis, sed

---

[3]) *Gardellini*, l. c. § 36. n. 3. — [4]) Quae videre fas est in *Gardellini* Comment. l. c. n. 11. Adducimus recentissimum: Ad Dubium: »Estne toleranda praxis extrahendi e tabernaculo sacram pyxidem eamque velatam sub umbella collocandi populo benedicendi gratia?« *S. R. C.* respondendum censuit: Detur Instructio edita a s. m. Benedicto Pp. XIV., hoc est: »Eucharistiae tabernaculum solum aperiatur et sacra pyxis clausa suoque velamine obtecta populi oculis objiciatur. Verum penitus interdicitur sacram pyxidem extra tabernaculum efferri ac velatam sub umbella collocari, quum nullum hujus ritus vestigium apud scriptores nullaque Sedis apostolicae consuetudo deprehendatur, quam sequi omnino debemus.« *S. R. C.* 16. Mart. 1876 ad 1. — [5]) *Gardellini*, l. c. § 6. n. 10. — [6]) *S. R. C.* 23. Jun. 1736 ad 8. — [7]) *S. R. C.* 3. Mart. 1761 ad 6. — [8]) *S. R. C.* 7. Aug. 1880. — [9]) *S. R. C.* 15. Maji 1819 ad 2.; *Eph. lit.* 1894 pag. 620. ad IV.

ritus inferioris.[10]) *c)* In Missis privatis tam ad altare expositionis quam ad alia altaria in locis, ubi Instructio Clementina [11]) est recepta et praescripta,[12]) exceptis diebus infra sub n. 193. ad 2. recensitis.[13]) Consule etiam n. 192. ad 2.

**192.** Commemoratio Sanctissimi fieri **potest:**

1. Extra tempus expositionis pro Oratione Quadraginta Horarum: *a)* In Missis privatis coram Sanctissimo publice exposito tam ad altare expositionis quam ad alia altaria,[14]) diebus tamen infra n. 193. ad 1. exceptis. *b)* In Missis solemnibus et cantatis tempore expositionis publicae celebratis non ad altare expositionis, sed ad aliud altare, diebus infra n. 193. ad 1. exceptis.

2. Tempore expositionis pro Oratione Quadraginta Horarum: In Missis privatis sive ad altare expositionis sive ad alia altaria celebratis in locis, ubi Instructio Clementina non est praescripta,[15]) quia pro his locis valet decretum S. R. C. die 2. Dec. 1684 ad 4., in quo statuitur, Commemorationem de ss. Sacramento posse fieri in Missis privatis tempore expositionis occasione Quadraginta Horarum, exceptis festis primae et secundae classis. Ubi enim Instructio Clementina praescripta est, ibi in Missis hujusmodi sumi debet haec Commemoratio, dicente Instructione § 17: »In aliis Missis privatis (praeter votivas de ss. Sacramento) currentis diei post Orationes a Rubrica praescriptas, addatur Oratio ss. Sacramenti, ita mandante Sua Sanctitate.«

**193.** Commemoratio Sanctissimi fieri **nec potest nec debet:**

1. Extra tempus expositionis pro Oratione Quadraginta Horarum: *a)* In Missis privatis tam ad altare

[10]) *Hartmann*, Rep. Rit. § 98. — [11]) Instructio Clementina dicitur Instructio a Clemente XI. *a.* 1705 edita, in qua modus et ordo servandus in Oratione XL Horarum continua cum expositione ss. Sacramenti pro Ecclesiae necessitate traditur. In hanc Instructionem cl. Gardellini preclarum edidit commentarium. Juxta rescriptum *S. R. C.* die 12. Jul. 1749 dicta Instructio extra Urbem non obligat, laudandi tamen, qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis locorum statutum sit. — [12]) *Instruct. Clement.* § 17. — [13]) *Gardellini*, Comment. § 17. n. 21. 24. — [14]) *S. R. C.* 7. Maji 1746 ad 9. 10. — [15]) *Gardellini*, l. c. n. 21.

expositionis quam ad alia altaria tempore expositionis publicae celebratis in festis (non in Dominicis) primae et secundae classis, in Dominica Palmarum, in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes.[16] *b)* Etiam in Missis solemnibus non ad altare expositionis celebratis[17] in festis et diebus ut supra ad *a*. *c)* In Missis quibuscunque celebratis tempore expositionis privatae, sive fiat expositio in pyxide sive in (velato) ostensorio.[18] *d)* In Missis tam festivis quam votivis ss. Cordis Jesu,[19] pretiosissimi Sanguinis,[20] nec non in Missis de Passione[21] et de Instrumentis Passionis Domini,[22] nempe Spineae Coronae, Lanceae et Clavorum, s. Sindonis, Quinque Vulnerum, nisi Oratio Sanctissimi sit imperata, quo in casu sumenda est etiam in his Missis, si alioquin licet; quod quidem definitum est a S. R. C. quoad Missam ss. Cordis[23] tantum, sed ob paritatem rationis dicendum est etiam quoad reliquas Missas recensitas.

2. Tempore expositionis pro Oratione Quadraginta Horarum: *a)* In Missis privatis tam ad altare expositionis quam ad alia altaria in festis (non in Dominicis) primae et secundae classis, in Dominica Palmarum, in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes.[24] *b)* Idem dicendum est de Missis solemnibus dictis diebus celebratis non ad altare expositionis.[25] *c)* In Missis de Requiem, quae in Commemoratione omnium Fidelium propter Orationem Quadraginta Horarum celebrantur in colore violaceo.[26]

---

[16] *S. R. C.* 2. Sept. 1741 ad 5. et 7. Aug. 1880; *Gardellini*, l. c. n. 23. 24. — [17] *Hartmann*, l. c. — [18] *Gardellini*, l. c. n. 33. — [19] *S. R. C.* 6. Sept. 1834. — [20] *S. R. C.* 18. Jul. 1884 ad 1. — [21] Patet hoc ex collatione decretorum *S. R. C.* 22. Maji 1841 ad 2. et 24. Nov. 1883 ad 4. Conf. etiam *S. R. C.* 30. Nov. 1895 ad 1. — [22] Ratio est, quia hae Missae versantur in eodem Mysterio (*S. R. C.* 7. Julii 1877 ad 1.) scil. Passionis Domini, cujus expressa mentio fit etiam in Oratione de Sanctissimo. Confirmatur hoc per aliud decretum *S. R. C.* die 18. Jul. 1884 ad 3., quo vetatur in Vesperis festorum horum fieri commemorationem ss. Eucharistiae Sacramenti, si de eo recitatum fuerit officium votivum feria praecedenti. — [23] *S. R. C.* 26. Mart. 1859 ad 2. — [24] *S. R. C.* 2. Dec. 1684 ad 4.; *Gardellini*, l. c. n. 24. — [25] *Hartmann*, l. c. — [26] Ibid.

**194.** Ex quibus sequitur pro praxi:

1. Commemorationem Sanctissimi nunquam fieri tempore expositionis privatae, sed tantum tempore expositionis publicae certis sub conditionibus.

2. Commemorationem Sanctissimi in Missis privatis nunquam necessario fieri debere, nisi tempore expositionis pro Oratione Quadraginta Horarum in locis, ubi Instructio Clementina est praescripta.

3. Commemorationem Sanctissimi in festis primae et secundae classis nunquam licite fieri posse, nisi in Missis solemnibus et cantatis ad altare expositionis.

**195.** Quomodo et quo loco facienda est Commemoratio Sanctissimi?

1. Commemoratio Sanctissimi semper facienda est post omnes Commemorationes de praecepto,[27] i. e. speciales et communes,[28] sed ante votivas, licet digniores, ergo tum ante imperatas, etiam de Spiritu Sancto,[29] tum ante alias votivas, quas Celebrans pro lubitu diebus simplicibus et ferialibus et in Missis votivis privatis adjungit.

2. Propter hanc Commemorationem nulla alia Oratio omittenda est, nec tertia ad libitum. Recole n. 181. ad 7. Ratio est, quia facienda est post omnes Orationes de praecepto, quibus ergo superaddenda tamquam addititia.

3. In Missis solemnibus et cantatis ad altare expositionis celebratis in festis[30] primae et secundae classis,[31] nec non diebus, qui habent privilegium unius Orationis, nempe Dominica Palmarum, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, et in Missis votivis solemnibus pro re gravi,[32] haec Commemoratio facienda est sub unica

---

[27]) *S. R. C.* 16. Febr. 1737 ad 8. — [28]) Per Commemorationes *de praecepto* intelligi Commemorationes officii illius diei, ergo speciales et communes, non autem Orationes imperatas, definivit *S. R. C.* 18. Sept. 1877 ad 4. — [29]) *S. R. C.* 18. Mart. 1874 ad 2. — [30]) Non autem in Dominicis primae et secundae classis, quae plures admittunt Orationes. *Gardellini*, l c. n. 23. — [31]) *S. R. C.* 23. Jun. 1736 ad 8. et 16. Febr. 1737 ad 8. — [32]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 73. ad 5.

conclusione cum Oratione festi vel diei, nisi alia Oratio sub distincta conclusione occurrat, cui in hoc casu adjungitur sub altera conclusione.[33])

4. In festis ritus inferioris i. e. in duplicibus majoribus et minoribus, semiduplicibus etc., haec Commemoratio tam in Missis solemnibus et cantatis, quam in Missis privatis sub distincta conclusione apponenda est, etiam tunc, quando nulla adest Commemoratio praeter Orationem Missae.

### § 2. *Oratio A cunctis.*

**196.** — 1. Ita haec Oratio nominatur, quia his verbis incipit, vel quia in ea Deus exoratur, ut a cunctis nos mentis et corporis defendat periculis (Collecta), a cunctis nos mentis et corporis hostibus tueatur (Secreta) nec non a cunctis nos reddat et perversitatibus expiatos et adversitatibus expeditos (Postcommunio); estque in fine missalis inter Orationes diversas secunda. Quando in Missa dicenda sit et quo loco ponenda, secundo vel tertio, definitur a Rub. gen. miss. tit. IX. *De Orationibus,* et semper notatur in Directorio dioecesano.

2. Literis apostolicis die 7. Julii 1871 Pius IX. mandavit, ut in Oratione *A cunctis,* quandocunque recitanda erit, adjiciatur semper post invocationem B. M. V. et ante quoscunque alios sanctos Patronos, exceptis Angelis et Joanne Baptista, commemoratio s. Joseph per haec verba *cum beato Joseph.* Quod ideo notamus, quia in missalibus antiquioribus haec commemoratio inclyti Patriarchae in textu Orationis deest. Idem valet de Postcommunione.

3. Ad literam N. nominandus est Sanctus Titularis seu Patronus ecclesiae,[1]) in qua celebratur, non autem Patronus vel Fundator ordinis, cui quis est adscriptus,[2]) neque Patronus loci, nisi hi duo simul sint Patroni ecclesiae.[3]) Unico tantum in casu Patronus loci, qui non

[33]) *S. R. C.* 18. Dec. 1779 ad 8.

[1]) *S. R. C.* 26. Jan. 1793 ad 15. et 22. Sept. 1837 ad X. — [2]) *S. R. C.* 16. Apr. 1853 ad 19. — [3]) Est differentia inter Patronum loci et Patronum seu Titularem ecclesiae; nam Patronus loci latius extenditur, quam Patronus ecclesiae, quum hic ad unam

est simul Patronus ecclesiae, nominari potest, si nimirum celebretur in ecclesia dedicata alicui Mysterio v. g. Ss. Trinitati, s. Cruci, vel in sacello aut oratorio privato, et si simul adsit consuetudo faciendi ejus commemorationem in officio; qua consuetudine deficiente, ad literam N. nullus Sanctus nominatur et omittuntur verba *atque beato* [4]) In dubio, an talis consuetudo existat, nominatio Patroni omittenda est [5]) Si Patronus ecclesiae jam nominatus fuerit, sive in hac sive in alia Oratione ejusdem Missae, omittenda est nova nominatio.[6]) Conf. infra ad 4. Si plures sint Patroni aeque principales,[7]) omnes sunt nominandi, secus tantum principalior,[8]) servato ordine debito. Vide infra ad 5.

4. Si Missa celebretur de Sancto, vel si tantum Commemoratio fiat Sancti, cujus nomen occurrit in Oratione *A cunctis,* tunc in hac Oratione, si esset dicenda, omittitur nomen illius Sancti vel dicitur Oratio *Concede*, quae est prima inter diversas.[9]) Sed in Missis votivis sancti Joseph Orationi *A cunctis* tertio loco dicendae non est substituenda Oratio *Concede*, sed recitanda Oratio *A cunctis* omisso nomine sancti Joseph [10]); et in Missis votivis ss. apostolorum Petri et Pauli loco Orationis *A cunctis* necessario sumitur Oratio *Concede* ex dispositione Rub. gen. miss. IX. n. 15. Ratio utriusque est, ne bis fiat de eodem.[11]) Si in casu ejusmodi omittenda esset nominatio B. M. V., dicitur in Oratione: *intercedente beato Joseph cum beatis Apostolis etc.*[12])

5. Ordinem in nominandis Sanctis quod attinet, idem servandus est, ac in Litaniis majoribus.[13]) Adeoque

tantum ecclesiam spectet, ille vero, ratione totius loci, ad plures. Praeterea Patronus ecclesiae ipsam ecclesiam denominat, quod de Patrono loci dici non potest, licet aliqua loca a suo Patrono nuncupentur. *Schober* in s. Alphonsi Lib. de caerem. miss. cap. 5. n. 14. not. 27. pag. 56. Cf. *Aertnys*, Comp. Lit. sacr. n. 184. — [4]) *S. R. C.* 15. Febr. 1873. — [5]) *Schober*, l. c. — [6]) *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 31. — [7]) V. g. Ss. Cosmae et Damiani, Fabiani et Sebastiani, Primi et Feliciani, Ingenuini et Albuini. — [8]) *S. R. C.* 28. Sept. 1865 ad 2. — [9]) *S. R. C.* 15. Maji 1819 ad 3. — [10]) *S. R. C.* 1. Jun. 1876 ad dub. III. — [11]) *Gavantus*, pars I. tit. IX. n. 15. ad *h*; *Gardellini* in Decret. auth. tom. 3. sub n. 4560. — [12]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 84. ad 5. — [13]) *S. R. C.* 11. Maji 1743 ad 4.

nomina ss. Angelorum et Joannis Baptistae praeponenda sunt sancto Joseph et apostolis, et Oratio recitanda est hoc modo: *Intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Angelis (cum beato Michaele, Gabriele etc.), cum beato Joanne Baptista, beato Joseph, atque beatis apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus Sanctis.* Et proinde si ss. Angelis, Joanni Baptistae aut sancto Joseph alius Sanctus tanquam Patronus aeque principalis adjungatur, illorum nominatio modo praedicto fit ante apostolos, hujus autem more solito post apostolos.[14]) Ideo si aeque principales Patroni ecclesiae sint, v. g. sanctus Michael et sancta Lucia, dicendum esset: *Intercedente beata etc. Maria cum beato Michaele Archangelo, beato Joseph, beatis apostolis tuis Petro et Paulo atque beata Lucia et omnibus Sanctis.* Si vero hi Patroni aeque principales omnes nominandi sint post apostolos, dicitur: *Beatis apostolis tuis Petro et Paulo atque beatis N. et N. et omnibus Sanctis.*

6. Notamus, non esse caput inclinandum ad nomina Sanctorum in hac Oratione occurrentium, quia haec Oratio nullam habet relationem ad officium, esse autem caput inclinandum ad nomen Mariae, quia ad nomen Deiparae semper fit inclinatio, ubicunque occurrit, licet de ea nec Missa nec specialis Commemoratio fiat.[15])

### *§ 3. Oratio ad libitum.*

**197.** Oratio ad libitum sic dicitur, non quia pro lubitu omitti potest, vel quia quamlibet juxta proprium ingenium conceptam Orationem dicere licet,[1]) sed quia pro devotione Celebrantis una vel altera ex missali eligi potest. Haec Oratio pertinet ad Orationes de praecepto (vide n. 195. nota 28.), ideoque semper dici et nunquam omitti debet, nisi Commemoratio specialis occurrat, quod semper notatur in Directorio. Dicitur tantum in festis

---

[14]) *Herdt*, l. c. ad 6. — [15]) *Gavantus*, pars II. tit. V. n. 2. ad *c*; *Merati*, tom. I. pars 2. tit. 5. n. 11.; *Bauldry*, pars 3. cap. 5. n. 2.; *Herdt*, S. Lit. Prax. n. 126.

[1]) *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 5. n. 10.

semiduplicibus occurrentibus ab octava Pentecostes usque ad Adventum et a Purificatione usque ad Quadragesimam et ponitur semper tertio loco, nunquam secundo aut quarto.[2])

Docent auctores, in Orationibus ad libitum voces *annua* et *hodie* esse omittendas, voces vero *natalitia, festivitas, solemnitas* esse mutandas in voces *commemoratio* vel *memoria*.[3]) Docent pariter, ad nomina Sanctorum, de quibus recitatur Oratio ad libitum, non esse caput inclinandum,[4]) quia haec Oratio nullam habet relationem ad Officium diei. Recole n. 172. reg. 5.

**198.** Unde sumenda est Oratio ad libitum?

Eligi potest non tantum ex Orationibus diversis, quae in fine missalis assignantur, sed etiam ex aliis Missis, quae tamquam votivae legi possunt. Non potest esse Oratio ad libitum: *a)* Oratio de aliqua Dominica, Feria, vel de aliquo Beato,[5]) quia de his nec Missa votiva legi potest; *b)* neque Oratio de Sancto, cujus in praecedentibus Orationibus expressa facta est mentio,[6]) ne bis fiat de eodem; *c)* neque Oratio imperata, quia ad hanc recitandam Celebrans jam ex mandato Superioris tenetur; *d)* neque convenienter dicitur Oratio pro seipso (scil. Celebrante) in Missis coram Praelato aut Principe,[7]) neque in Missa conventuali coram Clero congregato in choro,[8]) neque in Missa parochiali; in quibus Missis praestaret, orare pro Praelato (Episcopo) vel Principe praesente,[9]) vel pro omni gradu Ecclesiae, quae Oratio est inter diversas tertia.

## § 4. *Oratio imperata.*

**199.** Oratio imperata ea dicitur, quae non vi Rubricarum, sed ex particulari Summi Pontificis vel, ut ple-

[2]) *Rub. gen.* miss. IX. n. 2. — [3]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 83. — [4]) Ibid. n. 126. nota. — [5]) *S. R. C.* 4. Mart. 1866 ad 1. — [6]) Unde non potest dici uti Oratio ad libitum Oratio quaedam in honorem B. M. V., s. Joseph, ss. apostolorum Petri et Pauli etc., si prius dicta sit Oratio *A cunctis*, in qua mentio facta erat horum Sanctorum. — [7]) *Bauldry*, pars 3. cap. 7. tit. 9. n. 2. — [8]) *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 5. n. 11. — [9]) *Gavantus*, pars 4. tit. 17. n. 30.

rumque fieri solet, Episcopi praecepto pro publica indigentia ultra consuetas Missae Orationes per aliquod tempus recitanda est.

Regulae:

1. Ad Orationem imperatam recitandam tenentur omnes Sacerdotes tum saeculares tum regulares in dioecesi, celebrantes in ecclesiis sive saecularium sive regularium etiam in exemptis, ita ut non liceat pro lubitu cessare ab eadem recitanda, antequam Ordinarius id jusserit.[1])

2. Sacerdos celebrans in aliena dioecesi sumere debet Orationem imperatam in dioecesi, in qua celebrat, non autem Orationem imperatam in dioecesi propria.[2])

3. Si Oratio imperata eadem sit cum alia a Rubricis ordinata, tunc imperata omittitur. Hinc si imperata sit Oratio pro Papa, in die anniversaria electionis vel consecrationis Episcopi, in qua in universa dioecesi recitanda est Oratio pro Episcopo, Oratio imperata pro Papa omittitur, quia eadem est cum Oratione pro Episcopo.[3])

4. Propter Orationem imperatam nulla alia Oratio a Rubricis praescripta omitti potest. Si ergo imperata sit Oratio pro Papa vel pro Ecclesia eodem tempore, quo alterutra tamquam communis a Rubrica praescribitur per verba »Ecclesiae vel pro Papa«, tunc dicenda est utraque, una qua Commemoratio communis, qua Oratio imperata altera, ita ut non possit satisfieri Rubricae et mandato Superioris per recitationem unius tantum Orationis.[4]) Ex eadem ratione nec Oratio ad libitum propter Orationem imperatam omitti potest.[5])

**200.** Quo loco ponenda est Oratio imperata?

1. Oratio imperata semper recitanda est sub altera conclusione et post omnes Commemorationes speciales

[1]) *S. R. C.* 3 Apr. 1821 ad 1. 2. Oratio pro eligendo Episcopo continuari debet usque ad diem electionis, qui est dies consistorii secreti. *S. R. C.* 19. Dec. 1829 ad 3. — [2]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 72. ad 3. — [3]) *S. R. C.* 5. Mart. 1870 ad 1. — [4]) *S. R. C.* 23. Maji 1835 ad 1. — [5]) *S. R. C.* 17. Aug. 1709 ad 3

et etiam communes, quae secundo et tertio loco addendae praescribuntur, sed ante Orationes votivas,[6]) quas Celebrans in Missis votivis privatis et diebus simplicibus et ferialibus adjungit. Excipe casum sub n. 201. ad 3.

2. Quando plures Orationes imperantur, dicendae sunt non ordine temporis, quo praescribuntur, sed ordine dignitatis. Si sunt ejusdem vel fere ejusdem dignitatis et sumuntur ex Missis votivis vel ex »Orationibus diversis« in fine missalis, tunc convenienter servabitur ordo, juxta quem ponuntur in missali.[7])

**201.** Quando Oratio imperata omittitur, quando dicitur?

1. Oratio imperata omittitur praeter casum supra n. 199. sub 3. positum: *a)* in festis (non in Dominicis) duplicibus primae classis in omnibus Missis sine discrimine,[8]) nisi contingat casus infra sub n. 3. memoratus; *b)* diebus habentibus privilegium unius Orationis, i. e. Dominica Palmarum, Vigiliis Nativitatis Domini (etiam si occurrat Dominica IV. Adventus) et Pentecostes, in Coena Domini et Sabbato sancto,[9]) in omnibus Missis sine discrimine; *c)* in Missis votivis solemnibus, quia celebrantur sub ritu primae classis; *d)* in festis duplicibus secundae classis in Missis solemnibus, cantatis et conventualibus, etsi lectis tantum[10]); *e)* in Missis de Requiem,[11]) nisi Oratio imperata sit pro defuncto.

2. Oratio imperata dici vel omitti potest pro arbitrio Celebrantis in Missis privatis, quae celebrantur in festis duplicibus secundae classis.[12])

3. Oratio imperata dicenda est omnibus aliis diebus,[13]) imo si praecepta sit pro re gravi seu singulari ex causa, dicenda erit etiam in festis duplicibus primae classis sub unica conclusione, in duplicibus secundae classis sub sua conclusione.[14])

[6]) *S. R. C.* 2. Dec. 1684 ad 9. — [7]) *Herdt*, l. c. n. 6. — [8]) *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 22. 23. et 15. Maji 1819 ad 2. — [9]) *S. R. C.* 20. Apr. 1822 ad 2. — [10]) *S. R. C.* 15. Maji 1819 ad 2. [11]) *Rub. gen.* miss. VII. n. 6. — [12]) *S. R. C.* 15. Maji 1819 ad 2. — [13]) Cf. *S. R. C.* 22. Mart. 1879 ad 2. — [14]) *S. R. C.* 7. Sep. 1816 ad 22. 23.

## *§ 5. Oratio pro Imperatore.*

**202.** In ditione Austriaca per decretum S. R. C. de die 10. Februarii 1860 in singulis per annum Missis sive solemnibus sive parochialibus, diebus tamen, quibus per Rubricas licebit, specialis Collecta pro Imperatore cum Secreta et Postcommunione addenda praecipitur. Haec Oratio est in fine missalis inter Orationes diversas sexta. In ea loco *Rex* dicitur *Imperator*, ante verba *vitiorum monstra devitare*, omittitur *et*, ac post haec verba inseritur *hostes superare*. Ceterum dicenda est prout jacet, nec a Sacerdotibus exteris omittendum pronomen „*Noster*".[1]) In hac Collecta sumenda generatim observantur leges pro Orationibus imperatis, ideoque non dicitur in festis duplicibus primae et secundae classis, sed tantum in festis ritus inferioris, neque diebus habentibus privilegium unius Orationis, sicut de Oratione imperata dictum est n. 201.

**203.** Circa sensum verborum Missa parochialis varia dubia S. Rituum Congregationi enucleanda proposita sunt:

1. Quaesitum fuit: »Quaenam Missa per ea verba juxta mentem ipsius sacrae Congregationis intelligenda est?« S. R. C. respondit: Parochialis Missa appellanda, quam parochi diebus festis etiam abrogatis tenentur applicare pro populo, atque in ea Collectam, de qua in casu, addere debent.«[2])

Et iterum: »Quum ex decreto Leonis Papae XII. Episcopi teneantur ad Missam applicandam pro populo omnibus Dominicis et ceteris festis tum de praecepto servandis, tum iis quae de hujusmodi festorum numero sublata sunt, quae obligatio parochorum obligationi analoga est, quaeritur, num in praedictis verbis memorati decreti (scil. de 10. Febr. 1860) Missae parochialis includatur onus etiam Episcopis ecclesiarum ditionis Austriacae? S. R. C. respondit: »Negative, id est Episcopos in casu non teneri.«[3])

---

[1]) *S. R. C.* 3. Jun. 1892 dub. 1. ad 2. — [2]) *S. R. C.* 28. Nov. 1884 ad 1. — [3]) Ibid. ad 2.

Ex quibus duobus responsis liquet, parochos teneri ad faciendam Collectam pro Imperatore in Missis parochialibus, Episcopos vero ad id non teneri in Missis pro populo.

2. In una Lincien. quaeritur: »An in eodem decreto, ubi praecipitur Collecta pro augustissimo Imperatore in Missis, ea verba *diebus tamen quibus per Rubricas licebit* sic intelligi debeant, ut aliqui volunt, ut haec Collecta nequeat omitti in Missis parochialibus lectis festorum secundae classis; vel potius ita sint accipienda, ut in his Missis eadem Collecta omitti debeat, seu, ut de Collectis imperatis in Missis lectis festorum secundae classis communiter valet, sit ad libitum?« S. R. C. respondit: »Negative ad primum; Affirmative ad secundum.«[4])

Ex quo decreto infertur, hanc Collectam in Missis parochialibus, etsi lectis tantum, in festis secundae classis non esse necessario dicendam, sed ad libitum dici vel omitti posse pro arbitrio Celebrantis, sicut valet de aliis Orationibus imperatis.

**204.** Circa sensum verborum Missa solemnis haec dubia S. Rituum Tribunali dirimenda delata sunt:

In eadem Lincien. quaeritur: »Quoad Missas solemnes dubitatur, an eadem Collecta, permittentibus Rubricis, sumi debeat: *a)* Dominicis et aliis diebus, si Missa (quamvis ministri facile haberi possint) canitur sine Ministris, ad distinctionem Missae solemnis diebus majoris festivitatis? — *b)* An in Missis solemnibus seu cantatis de festo tantum, an etiam de illis Dominicis et feriis ac diebus infra Octavas privilegiatas, quae Orationes imperatas admittunt? — *c)* An in Missis votivis, quae, permittente ritu, simpliciter vel solemniter canuntur v. g. initio et fine anni scholastici, vel in Missis Neopresbyteri etc., et pariter Orationes imperatas admittunt? — *d)* An etiam in Missis conventualibus, quae in cathedralibus ecclesiis et collegiatis quotidie canuntur (vel quando canuntur) sine ministris?[5]) — *e)* An in

[4]) *S. R. C.* 3. Jun. 1892 dub. 1. ad 3. — [5]) Ceterum haec Collecta sumenda est etiam in Missis conventualibus lectis, quia

Missa solemni seu cantata de Officio occurrente in nuptiarum benedictione diebus Dominicis (sive fiat de ea, sive in ea fiat de festo duplici non classico), diebus infra Octavam Epiphaniae, Feria IV., V., VI. et Sabbato infra Octavam Ss. Corporis Christi? — *f)* An demum eadem Collecta sumi debeat in Missa solemni seu cantata, si ea die in eadem ecclesia Missa canatur praeter Missam parochialem lectam, quando in hac Collecta praedicta juxta citatum decretum addi debet?« S. R. C. respondit: »Affirmative in omnibus.«[6])

Ex quibus colligitur, Collectam pro Imperatore sumendam esse, Rubricis permittentibus, non solum in Missis solemnibus stricte talibus, sed etiam in Missis cantatis qualibuscunque.

## Caput XV.

### *De Precibus recitandis post Missam.*

**205.** Per decretum S. R. C. de die 6. Januarii 1884 Ss. D. N. Leo Papa XIII. mandavit, ut in posterum in omnibus tum Urbis tum Orbis ecclesiis in fine cujusque Missae sine cantu celebratae flexis genibus recitetur ter *Ave Maria*, semel *Salve Regina* cum versiculo et responsorio et oratione, quae oratio anno 1886 mutata est, invocatio autem s. Mihaelis adjuncta. Tria per hoc decretum observanda proponuntur: *a)* ut recitentur certae preces, *b)* ut recitentur post Missam sine cantu celebratam vel, ut decretum anno 1886 habet, post Missam privatam, *c)* ut recitentur flexis genibus.

1. Sacerdos igitur finito ultimo Evangelio manibus junctis ante pectus more solito ad medium altaris redit, factaque ibi Cruci reverentia sicut in principio Missae, descendit per gradus ibique i. e. in gradibus flexis ge-

---

hae Missae sunt late solemnes (vide n. 108. notam 2.) et quoad Collectas revera aequiparantur Missis veluti solemnibus, in quibus addi debet haec Collecta. Ad dubium: »Utrum Missae conventuales sine cantu considerari possint veluti solemnes sive quoad Collectas sive etc.?« *S. R. C.* die 7. Dec. 1888 ad 7. respondit: »Affirmative«. Conf. *Linzer Quartalschrift* 1884 pag. 632. et 1895 pag. 509. sq. — [6]) *S. R. C.* 3. Jun. 1892 dub. 1. ad 4.

nibus recitat preces praescriptas. Possunt quidem hae preces recitari pro lubitu vel in gradu infimo (primo) vel supremo (in suppedaneo), sicut S. R. C. declaravit[1]; ast propter conformitatem unusquisque sese accomodet usui, qui invaluit in regione sua. Item reverentia versus Crucem altaris, antequam Sacerdos descendat ad recitandas preces, nec praescribitur nec prohibetur[2]; verum quum simili in casu, nimirum in principio Missae, Rubrica reverentiam Cruci faciendam praescribat,[3]) per analogiam etiam hic facienda esse videtur inclinatio.[4])

2. Recitantur hae preces prout jacent; absolute incipiuntur et dicto *Amen* absolute terminantur, ergo absque signo crucis praemisso et subsequente, et absque *Gloria Patri* in fine pariterque sine *Alleluja* antiphonae, versiculis et responsorio tempore paschali addendo.[5]) Recitandae sunt genibus flexis, etiam oratio,[6]) et quidem alternatim[7]) cum populo. Quae alternatio ita intelligenda est, ut salutatio angelica alternatim cum populo vel saltem cum ministro, qui populum repraesentat, dicatur, antiphona vero tota, in quantum fieri potest, simul a Sacerdote et ministro vel fidelibus, oratio autem et invocatio a solo Sacerdote. Sic practicatur Romae.[8]) Imo alternatio quaedam jam adest, si post dictam a solo Sacerdote antiphonam, ad versiculum *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix* a circumstantibus vel ministro respondeatur *Ut digni efficiamur promissionibus Christi*, et post orationem invocationemque addatur a populo vel ministro *Amen*.[9])

3. Ex declaratione S. R. C. preces, de quibus sermo, recitandae sunt immediate expleto ultimo Evangelio,[10]) nulla scilicet interposita alia prece aut caeremonia. Quotiescunque ergo post Missam sacra Communio distribuenda est fidelibus, ministretur demum

[1]) *S. R. C.* 18. Jun. 1885 ad 12. — [2]) Ibid. — [3]) *Rit. cel. miss.* II. n. 4. — [4]) *Eph. lit.* 1889 pag. 478. — [5]) Cf. *Munster Pastoralblatt* 1886 pag. 94. *Linzer Quartalschrift* 1895 pag. 513. — — [6]) *S. R. C.* 20. Aug. 1884 ad 2. et 29. Dec. 1884 ad 12. — [7]) *S. R. C.* 20. Aug. 1884 ad 1. (*Act. S. Sedis* tom. 17. pag. 95.) — [8]) *Eph. lit.* 1890 pag. 148. — [9]) Cf. *Linzer Quartalschrift* 1891 pag. 235. — [10]) *S. R. C.* 23. Nov. 1887.

post preces absolutas; item si post Missam privatam coram exposito ss. Sacramento celebratam impertienda sit benedictio cum Sanctissimo, danda est post dictas preces. Ex eadem ratione quotiescunque functio aliqua cum Missae sacrificio ita cohaeret, ut ab ea facile disjungi nequeat, quin ordo praescriptus perturbetur v. g. absolutio post Missam exsequialem non cantatam, toties preces omittuntur, quia in tali casu immediate expleto ultimo Evangelio persolvi nequeunt.[11])

4. In die Nativitatis Domini, in qua tres Missas celebrare licet, preces praescriptae recitantur toties, quoties ab altari absoluta Missa disceditur, sive discessio fiat post primam, secundam vel tertiam Missam.[12]) Ergo si quis duas litaverit Missas, unam post alteram, preces post secundam recitabit; si tres Missas consecutive celebraverit, post tertiam[13]); si vero diverso tempore celebret, post singulas Missas preces recitare non omittat.[14])

**206.** Possunt praedictae preces dici etiam lingua vulgari,[15]) quin indulgentia ter centum dierum iis adnexa amittatur, dummodo versio sit fidelis et qua talis ab Ordinario declarata et approbata.[16])

An licet Sacerdoti propria auctoritate ex devotione sua vel aliorum praeter preces praescriptas etiam alias ad altare post Missam recitare sive lingua latina sive vernacula? Non licet, nisi accesserit consensus Ordinarii et preces sint approbatae,[17]) et tunc preces praescriptae a Sua Sanctitate praemittantur, iisque privatae illae preces adjungantur.[18])

**207.** Quia per decretum anni 1886 preces, de quibus in casu, post Missas privatas recitandae injunguntur, dubium exortum est, utrum dicendae sint tantum post Missas stricte privatas an etiam post Missas non stricte privatas seu late solemnes, quales sunt Missa ordinationis, conventualis, parochialis, Missa neopresby-

---

[11]) *Eph. lit.* 1888 pag. 90. — [12]) *S. R. C.* 30. Apr. 1889. — [13]) *S. R. C.* 10. Maji 1895 ad 7. — [14]) *Eph. lit.* 1889 pag. 156. — [15]) *Eph. lit.* 1892 pag. 230. — [16]) S. Indulg. C. 30. Sept. 1852 et 29. Dec. 1864; cf. Decr. auth. S. Ind. C. n. 361. et 415.; *Maurel*, Ablässe I. Thl. IX. — [17]) *S. R. C.* 31. Aug. 1867 ad 8. 9. — [18]) *S. R. C.* 23. Jun. 1893.

teri et jubilaris aliaeque Missae, quae cantari deberent vel de jure possent et aliquo de impedimento non cantantur. Vide n. 108. not. 2. Quoad Missam conventualem jam Roma locuta est et causa finita. Ad dubium enim: »Utrum Missae conventuales sine cantu considerari possint veluti solemnes, sive quoad Collectas, sive quoad preces in fine Missae ex mandato Ss. D. N. Leonis Papae XIII. recitandas, sive quoad numerum cereorum in altari accensorum?« S. R. C. respondit: »Affirmative«.[19]) Ergo post Missas conventuales etiam sine cantu celebratas, sicuti post Missas solemnes, non sunt dicendae illae preces. Idem affirmant, recte utique, Ephemerides liturgicae quoad Missam ordinationis, quia, ut ajunt, »dicta Missa quamquam lecta velut solemnis habenda est.« [20]) Sed non intelligitur, cur eaedem Ephemerides idem non affirment etiam respectu Missae parochialis, neopresbyteri, jubilaris etc., quum eadem ratio militet pro non recitandis precibus post has Missas ac post Missam conventualem et ordinationis. Dicunt quidem, contrariam sententiam suadere maxime relationem, quae est inter conventualem Missam et officium recitatum aut recitandum; quae relatio nulla est inter officium et Missam parochialem aliasque Missas, de quibus supra.[21]) Concedimus, sed ratio cur S. R. C. quoad Missam conventualem »affirmative« responderit, non est sita in relatione, quae intercedit inter Missam et officium, sed, ut e dubio proposito patet, in solemnitate, qua gaudet Missa conventualis, licet lecta. Atqui quamdam solemnitatis rationem prae se ferunt etiam Missae parochiales, neopresbyteri et jubilaris etc. etsi non cantentur, et Ephemerides liturgicae ipsae a. 1893 pag. 478. sub *b* has Missas simul cum conventuali adnumerant Missis late solemnibus seu non stricte privatis. Accedit, quod relate ad »Missas parochiales et Missas, quae celebrantur loco solemnis atque cantatae occasione realis atque usitatae celebritatis et solemnitatis« S. R. C. in Molinen. die 12. Sept. 1857 ad 7. et 9. et in Northan-

---

[19]) *S. R. C.* 17. Dec. 1888 ad 7. — [20]) *Eph. lit.* 1892 pag. 163.
[21]) *Eph. lit.* 1894 pag. 619. ad III.

tonien. die 6. Febr. 1858 ad 3. definierit, duos ministros inservientes adhiberi et plus quam duos cereos accendi posse in dictis Missis, sicut in Missis solemnibus. Si ergo Missae parochiales aliaeque, quae celebrantur loco solemnis atque cantatae, uti nonnunquam accidit de Missa neopresbyteri, jubilaris etc., quoad numerum ministrorum inservientium et cereorum accensorum, etsi lectae tantum, considerantur veluti solemnes, concludere licet, eas solemnes esse etiam quoad preces praescriptas, sicut S. R. C. revera relate ad Missam conventualem nuper definivit. Quapropter redarguere non audemus eos, qui post dictas Missas preces laudatas recitandas esse negant. Ceterum quum hac super quaestione S. R. C. nondum decreverit, fas est unicuique sequi hanc illamve sententiam, dummodo ejus agendi ratione non turbetur uniformitas cum ceteris aut violetur praeceptum ab Ordinario hac in causa forte datum.

## Caput XVI.

### *De Defectibus et Erroribus in Missae celebratione committi solitis.*

**208.** Tales defectus erroresque sunt:

1. Celebrare non persolutis sine rationabili causa Matutino et Laudibus et non praemissa conveniente praeparatione. Celebrare cum paramentis laceris, cum corporali et purificatorio immundis.

2. Reverentiam facere Cruci sacristiae, birreto posito super bursam calicis, vel illud tenendo dexterà pendulâ. Birretum capiti detrahere, dum in via ad altare genuflexio facienda est ante tabernaculum ss. Sacramenti vel inclinatio versus altare majus. Item tempore expositionis Sanctissimi detecto capite transire per ecclesiam ad Missam celebrandam. Recole n. 127. ad 1.

3. Calicem deferre nimium sublime ferme ad oris altitudinem, aut nimis demissum infra pectus, vel eum sustinere sinistra tantum, non imposita dextera. Item corporale deferre extra bursam.

4. Sinistra manu applicare bursam ad candelabrorum gradum versus cornu Evangelii,[1] et permittere ministro, ut missale aperiat Missamque perquirat sive in initio Missae sive post Communionem. Persistere aliquantulum in meditatione, antequam descendendum sit per gradus in planum ad incipiendam Missam.

5. Non bene se cruce signare, crucem per aërem faciendo, caput, pectus et humeros non tangendo. Non exspectare, ut minister responsiones suas ex toto compleat, se vertere ad ministrum in dicendis verbis *Vobis fratres* et *Vos fratres,* quod non licet nisi in Missis solemnibus.

6. Exsequi caeremonias ante aut post tempus assignatum v. g. dicere *Oremus* eundo ad librum, dicere *Kyrie eleison*, *Munda cor etc.* ante accessum ad altaris medium. Item dicendo conclusionem Orationum folia vertere, signacula disponere, missale claudere.

7. Manus junctas tenere ante pectus dum leguntur Graduale, Versus, Tractus ac Sequentia, quum intra horum recitationem disjunctae tenendae sint in libro, sicut in legenda Epistola. Manus junctas altari imponere ad *Munda cor etc.*, ad *Sanctus,* ad *Agnus Dei*, quum in his casibus tenendae sint junctae ante pectus.

8. In signando missali ante Evangelium sinistram non imponere libro, et in signando seipso eandem non ponere infra pectus nec digitos tenere extensos. In legendo utroque Evangelio non stare oblique versus cornu Evangelii, sed directe versus altare. Inclinationes aut genuflexiones infra Evangelium forte occurrentes facere non versus librum, sed versus Crucem.

9. Ad verba Symboli *Et incarnatus est etc.* et in aliis genuflexionibus sive ante sive post Consecrationem genu dexterum non demittere usque ad suppedaneum vel suppedaneo inhaerere genuflectendo, aut caput etiam inclinare aut illud detorquere ad librum inspiciendum. In exsequendis genuflexionibus ad sustinendum corpus solummodo digitos non totam palmam altari imponere.

[1]) Bursa calicis, extracto corporali, manu dexterâ collocatur erecta ad cornu Evangelii cum apertura ad altaris medium versâ, nisi forte imago in ea depicta alium situm postulet.

10. Versum Offertorii dicere non clara sed submissa voce. In deponendis ad Offertorium hostia et calice non ducere duas lineas in modum crucis, sed facere solummodo quatuor puncta cum hostia et calice. Dicere *Deus qui humanae substantiae* dum ampulla vini accipitur et non exspectare, usque dum illa aquae porrigatur. Dicto *Orate fratres* subsistere versus populum residua verba proferendi gratia. *Amen* aut prorsus omittere aut dicere priusquam responsio *Suscipiat* a ministro compleatur.

11. Manus non jungere, antequam crux formetur super calicem et hostiam, loco crucis facere circulos vel ducere lineas anguineas, manum sinistram sustinere suspensam, dum dexterâ formatur crux vel exsequitur aliqua actio.

12. Dicere *Te igitur*, dum manus extenduntur. Rubrica [2]) enim praescribit, ut primo manus aperiantur et aliquantulum eleventur, et postquam oculi ad Crucifixum elevati et sine mora demissi manusque junctae super altare positae fuerint, tunc demum facta profunda corporis inclinatione proferantur illa verba.

13. In proferendis verbis Consecrationis capite gesticulari, panem et vinum vehementer aspirare. In Consecratione calicis utraque manu nodum tenere, quum sinistra infra pedem tenenda sit. Verba *Haec quotiescunque feceritis etc.* tempore elevationis dicere, non statim post Consecrationis verba, dum genuflectitur. In elevatione non sequi oculis Hostiam et Calicem, aut sacras Species elevare et demittere nimis festinanter, aut nimis attollere extensis monstruose brachiis, aut tam parum attollere, ut conspici non possint, aut Calicem infra elevationem super caput inclinare.

14. Non tenere pollices et indices junctas a Consecratione usque ad ablutionem inclusive, Hostiam tangere digitis inferioribus aut digitos istos non extendere, dum apprehenditur Hostia, aut manus junctas super altare ponere omnino intra corporale, quum ita tenendae sint, ut parvi digiti frontem altaris tangant.[3]) Pectus

---

[2]) *Rit. cel.* miss. VIII. n. 1. — [3]) Recole n. 150. ad 3. cum nota 5.

percutere non digitis tribus inferioribus, sed reliquis junctis casulam tangere. Ad verba *Nobis quoque peccatoribus* paulisper ad latus se convertere versus ministrum.

15. Post *Pater noster* patenam de corporali educere eamque abstergere ante completum a ministro responsum et ante dictum a Celebrante *Amen.* Dicere *Agnus Dei* manibus junctis super altare. Se vertere ad latus dicendo *Domine non sum dignus*, aut brachium sinistrum interim imponere altari.

16. Hostiam frangere[4]) extra vel nimis alte supra calicis labium, ita ut fragmenta forte delabentia non cadant in calicem sed extra illum. Priorem fractionem ss. Hostiae non facere ad verba *Per eumdem Dominum nostrum etc.*, neque alteram dum dicitur *Qui tecum vivit etc.* Ante absolutam Orationem *Haec commixtio etc.* tergere digitos, calicem palla cooperire, genuflectere.

17. In Communionis actu crucis signum Hostia efficere extra limites patenae et frontis suae. Dicere *Quid retribuam Domino etc.* dum fragmenta colliguntur; juxta Rubricam[5]) enim haec verba dicenda sunt dum calix discooperitur, infra collectionem fragmentorum nihil dicitur, qua collectione et patenae extersione absoluta calix dexterâ apprehenditur ad nodum et dicitur *Calicem salutaris accipiam etc.* Nimia vel modica diligentia peccare in colligendis fragmentis. Sumere Calicem strependo labiis. Meditationem instituere post sumptionem ss. Sanguinis.

---

[4]) Si Hostia consecrata dilabatur in calicem, quid faciendum? R. Propterea nihil est reiterandum quoad Consecrationem; sed Celebrans Missam prosequitur, faciendo caeremonias et signa consueta cum residua parte Hostiae, quae non est madefacta, si commode potest. Si vero tota est madefacta, non est extrahenda, sed omnia, ut *Per ipsum, Pax Domini, Domine non sum dignus,* dicenda sunt omittendo signa et Celebrans pariter Corpus et Sanguinem sumere debet, se signans cum calice et dicens *Corpus et Sanguis Domini n. J. Chr. custodiant etc.* omittendo meditationem alias post sumptionem s. Hostiae praeceptam. — Si particula sacra e manibus decidat ante immissionem in calicem, alia frangenda est, ut more solito in calicem mittatur. *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 182. — [5]) *Rit. cel.* miss. X. n. 4.

18. Post ablutionem [6]) corporale complicare elato in altum calice, qui potius tunc versus cornu Evangelii extra corporale collocandus est. Calicem coopertum in medio altaris ponere revoluto supra bursam velo, ita ut ex parte anteriori discoopertus videatur.

19. Dicto *Ite Missa est* ad altare se convertere non eadem qua ad populum se converterat via, sed circulum perficiendo. Circulus perficiendus vel potius continuandus non est nisi post datam benedictionem, accedendo ad cornu Evangelii.

20. In discessu ab altari birretum manu tenere vel bursae aut capiti imponere, antequam debita genuflexio vel inclinatio facta fuerit.

21. Post Missam debitam gratiarum actionem omittere et sic imitari Judam, qui *quum accepisset buccellam, exivit continuo.* (Joan. XIII. 30.)

## Caput XVII.

### *De Ministro inserviente in Missa.*

**209.** A n l i c e t c e l e b r a r e M i s s a m s i n e m i n i s t r o ?

Non licet, quia Rubrica dicit: »Sacerdos accedit ad altare ministro praecedente.« [1]) Excipiuntur tamen communiter duo casus, in quibus illicitum non est celebrare sine ministro inserviente, si scilicet urgeat *a)* necessitas ministrandi Viaticum et *b)* obligatio audiendi Missam diebus praeceptis. Extra hos casus non licet absque ministro Sacrum facere, adhibendus est potius minister m a s c u l u s, ita ut grave peccatum sit, aut nullum ministrum habere, aut feminam ministrandi causa admittere ad a l t a r e.[2]) Urgente necessitate, ita ut Sacerdos ob defectum ministri masculi a celebratione

---

[6]) Monemus cum cl. *Martinucci* ad hanc ablutionem, quod non modo extremi pollices et indices abluendi sunt, sed totus etiam digitus, qui S. Hostiam tetigerit, itemque si quis alius digitus tetigerit illam, pari modo lavandus. *Manual.* lib. 1. cap. 18. n. 127.

[1]) *Rit. cel.* miss. II. n. 1. — [2]) *S. Alphonsus*, Theol. mor. tom. VI. n. 391. et 392. Feminam inservire Missae, a Rubrica enumeratur inter defectus Missae X. n. 1.

prorsus abstinere cogeretur, potest quidem femina, praesertim sanctimonialis, respondere e longinquo, non ad altare, sed tunc Sacerdos ipse sibi in altari omnia subministret.[3]) Ad altare ministrare feminam v. g. porrigere urceolos, nunquam permittitur, sed necessitate urgente Sacrum peragatur potius sine ministro, quam cum femina ministrante.[4]) Incepta Missa licet pergere in celebratione sine ministro, si iste abscesserit nec brevi sit reversurus.[5]) Cum ministro nesciente respondere, celebrare licet ex minori necessitate, quam sine ullo ministro.[6])

**210.** Quot ministri admittendi sunt in Missae celebratione?

Solis Episcopis private celebrantibus convenit duos habere ministros. Reliqui omnes unico contenti sint ministro, ita ut neque Vicario Generali, neque Dignitati, vel Canonico, sive sint Protonotarii, sive non, et a fortiori nec Sacerdoti simplici licitum sit in Missis privatis duos adhibere ministros. Quod variis S. R. C. decretis statutum est.[7]) Sed hoc intelligendum est tantum de Missis stricte privatis. Eadem enim Congregatio die 12. Septembris 1857 ad 7. declaravit: »Servanda esse quidem decreta (duos sc. ministros in Missa prohibentia) quoad Missas stricte privatas, sed quoad Missas parochiales vel similes diebus solemnioribus, et quoad Missas, quae celebrantur loco solemnis atque cantatae, occasione realis atque usitatae celebritatis et solemnitatis, tolerari posse duos ministros Missae inservientes.« Contra laudata decreta esse non videtur, si Missae stricte privatae duo inserviant ministri ideo, ut alteruter facilius addiscat munus ministrandi.

[3]) Ad dubium propositum: »Potestne Sacerdos, omnibus sibi prius commode dispositis, quae ad sacrificium occurrere possunt, ne mulieres inserviant altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis?« *S. R. C.* die 27. Aug. 1836 respondit: »Affirmative, urgente necessitate.« Id est: »Sacerdotes, qui ex vero defectu ministri celebrare nequirent, uti posse ministerio mulieris pro responsis tantum, quia tunc datur urgens necessitas, de qua decretum.« Ita hoc responsum interpretatae sunt *Eph. lit.* 1894 pag. 147. sq. — [4]) *S. Alphonsus,* l. c. n. 392. — [5]) Ibid. n. 391. — [6]) Ibid. — [7]) *S. R. C.* 7. Jul. 1612 et 27. Apr. 1818 ad 6.; Decr. gen. 27. Sept. 1859 ad 21.

Vetitum est ministro in Missa privata, aperire missale et Missam quaerere,[8] imo, etiamsi fuerit minister Sacerdos vel Diaconus sive Subdiaconus, in Missa hujusmodi calicem praeparare vel extergere post ablutionem.[9] Haec omnia Celebrans per seipsum peragere tenetur.

**211.** Quodsi minister male pronuntiet, an tenetur Celebrans corrigere?

Dicunt auctores, ne Sacerdos sibi scrupulum faciat, si minister male pronuntiet, sed si commode fieri possit, ipse suppleat, si non possit, abstineat ab omni correctione, ne se aliosve turbet.[10]

Satagendum utique est, ut minister sit debite versatus in responsis, quae sibi obveniunt facienda, sitque corpore nitidus et honeste vestitus. Hoc enim exigit dignitas sacrificii. Hinc turpe est audire ministros in responsis ita balbutientes, ut praecise prima et ultima verba proferant; pariter et videre nonnullos in altari ministrantes illotis facie et manibus, indiscriminata caesarie, cum calceis ligneis et denudatis cruribus. Reflectant Sacerdotes, an tales ministros in mensa profana sibi servire paterentur.[11]

# Tractatus III.

## De ss. Eucharistiae distributione et renovatione nec non de sacrorum Vasorum purificatione.

### Caput I.

***Regulae generales circa s. Communionis distributionem.***

**212.** — 1. Sacra Communio fidelibus distribui potest tum extra tum intra Missam, etiam intra Missas de Requiem et in his non solum ex particulis in eadem Missa consecratis, sed etiam ex particulis praeconsecratis.[1]

[8]) *S. R. C.* 18. Maji 1878 ad 20. — [9]) *S. R. C.* 7. Sept. 1816 n. 11. et 12. — [10]) *S. Alphonsus*, l. c.; *Lehmkuhl*, Theol. mor. II. n. 244. — [11]) *Romsée*, Prax. celebr. miss. tom. I. pars 2. art. 3. not. 1.; cf. *Eph. lit.* 1887 pag. 644.

[1]) *S. R. C.* Decret. gen. 23. Jul. 1868.

Intra Missam distribuitur semper immediate post sumptionem ss. Sanguinis ante purificationem Celebrantis [2]; extra Missam autem vel immediate ante vel immediate post Missam, vel absque ulla Missa.

2. In precibus *Misereatur* et *Indulgentiam* semper dicendum est in numero plurali [3]) *vestri*, *vestris, vos, vestrorum* et *vobis*, licet una tantum persona Communionem accipiat, quia preces istae respiciunt non solum communicantes, sed omnes praesentes et totam etiam Ecclesiam.[4]) Similiter in formula *Domine non sum dignus* semper dicendum est in genere masculino *„dignus"*, etiamsi feminae Communio ministretur.[5])

3. Ad communicandos descendendum est non via breviori, sed longiori i. e. non per gradus altaris laterales, sed anteriores, eademque via redeundum est ad altare distributa Communione.[6])

4. In distribuenda fidelibus Communione incipiendum est ab iis, qui sunt ad partem Epistolae; sed primo, si Sacerdotibus vel aliis e Clero danda sit Communio, iis ad gradus altaris genuflexis praebeatur, vel saltem si commode fieri potest intra sepimentum altaris a laicis sint distincti.[7]) Sacerdotes communicent rochetto

[2]) *Rit. cel.* miss. X. n. 6.; *Rub. spec.* missal.; *Rituale Rom.*, Ordo ministr. s. Comm. — [3]) In numero plurali dicuntur hae preces etiam quando Communio ministratur infirmis ex devotione extra mortis periculum; si autem iis ministretur per modum Viatici, dicuntur in singulari, quia status infirmi exigit, ut preces integrae pro ipso dicantur sicut in litaniis agonizantium. *Herdt.* S. Lit. Prax. III. n. 192. et n. 191. ad 5.; *Martinucci*, lib. 4. cap. 7. n. 17. not. *a.* — [4]) *Herdt*, l. c. I. n. 272 ad 9. — [5]) *Rit. Rom.* l. c. — [6]) *S. R. C.* 15. Sept. 1736 ad 8. Notamus sequens rescriptum ad Dub. 14. in una Lincien.: »An pro distribuenda ss. Communione monialibus, quae habent chorum retro post altare, debeat aut possit Sacerdos post recitatum a ministro vel ab ipsis monialibus *Confiteor* deponere ciborium ad fenestellam chori, et ibi ad moniales conversus dicere *Misereatur etc.* et *Ecce Agnus Dei etc.*, vel potius debeat haec omnia dicere ad altare versus populum de more, et dein per medium altaris descendere (quamvis fenestella sit in parte Epistolae) ad moniales sancto Christi Corpore reficiendas? Et an idem valeat etiam si chorus non sit retro post altare, sed in aliqua parte laterali presbyterii?« *S. R. C.* die 3. Jun. 1892 rescribendum censuit: »Ad 14. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam. Ad tertiam, provisum in prima.« — [7]) *Rit. Rom.* l. c.

induti [8]) et cum stola,[9]) quae sit ejusdem coloris ac Sacerdotis Eucharistiam ministrantis.[10]) Item minister Missae inserviens communicandus est ante ceteros, etiamsi moniales, non ratione praeeminentiae, sed ministerii.[11])

5. Si in eodem aut proximo altari celebretur et ss. Sacramentum elevetur, Sacerdoti ministranti Communionem propterea non est genuflectendum, sed paulisper subsistendum corpore erecto, facie versa ad altare, ad quod Communionem distribuit, cum ciborio in manibus, donec peracta sit elevatio.[12])

6. In Christi Corpore praebendo caveat Sacerdos: *a)* ne labia aut aliam partem vultus sumentium digitis aut ipsa particula tangat, quapropter porrigens s. Hostiam digitos inferiores inflectat et linguam communicantium leviter premat particula, ut illi inhaereat et statim manum reducat; *b)* ne communicantium halitus avolare faciat particulas in pyxide aut in patena contentas, quapropter eas ad os eorum nimium ne admoveat; *c)* ne sinistra manu, sicuti nonnulli faciunt, purificatorium capiat ad abstergendos digitos, quia nec Rubrica, nec Rituale hujus mentionem faciunt.[13])

7. Licet, necessitate urgente, Hostias minores dividere in partes, quae singulis communicantibus distribuantur, si inventus non fuerit sufficiens numerus

---

[8]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 23. n. 6. — [9]) *Rit. Rom.* l. c. Diaconi super cottam deferant stolam transversam. *S. R. C.* 4. Jul. 1879 ad 2. Feria quinta in Coena Domini pro accipienda sacra Communione stola suppletur per Pluviale, Planetam et Dalmaticam in iis, qui hisce paramentis induti assistunt Missae pontificali, ita ut iidem communicaturi non debeant assumere stolam, quod valet etiam de Diacono assistente Calicem de manu Episcopi accepturo in Processione ejusdem Feriae. *S. R. C.* 12. Sept. 1857 ad 26. et 10. Maji 1895 ad 4. — [10]) *S. R. C.* 4. Jul. 1879 ad 1. Quod profecto valet de Communione extra Missam et etiam intra Missam, quotiescunque Missa conformis est officio. Si autem votiva esset: aut de Requiem est aut non; si primum, Sacerdos communicans stola utatur coloris albi vel diei, nunquam nigri; si alterum, Celebranti in colore stolae se conformet. Conf. *Eph. lit.* 1894 pag. 422. sq. — [11]) *S. R. C.* 13. Jul. 1658. — [12]) *Herdt*, l. c. ad 5.; *Van der Stappen*, S. Liturg. Tract. de adm. Sacram. pag. 138. n. 6. — [13]) *Baldeschi*, Ausführl. Darst. I. pars 1. cap. 3. n. 8. nota *a*; *Eph. lit.* 1892 pag. 432.

Hostiarum.[14]) In casu ergo Sacerdos ad altare reversus facta genuflexione, super pyxide dividat Hostias, et iterata genuflexione prosequatur Communionem, non tamen denuo praemissis versiculis *Ecce Agnus Dei* et *Domine non sum dignus*, qui omittuntur etiam tunc, quando, deficientibus particulis unius ciborii, Communio prosequitur cum particulis alterius ciborii e tabernaculo extracti.

8. Si digiti sint humefacti Sacerdos eos abstergat fricando super pyxidem, praesertim si aliquod fragmentum eis adhaerere advertat, illudque extersione digitorum in pyxidem (vel patenam, si ex ea communicet) demittat, vel ad altare redeat et digitos, excussis prius sacris fragmentis in pyxidem, abluat in vase ad hoc praeparato detergatque purificatorio, deinde prosequatur Communionem.

9. Si ad altare, in quo ss. Sacramentum expositum est, urgente necessitate Communio distribuenda sit, Sacerdos attendat solummodo ad Sacramentum, quod prae manibus tenet, nulla habita ratione expositionis, quapropter infra distributionem transeundo in plano ante Sanctissimum expositum minime genuflectat. Caveat tamen, quantum fieri potest, ne tergum vertat Sanctissimo exposito, ideoque dicens *Ecce Agnus Dei etc.* se sistit versus cornu Evangelii, descendendo ab altari ad communicandos facit semicirculum et in utroque latere mensae Communionis se vertit ut ad *Lavabo* in Missa coram exposito Sanctissimo facie ad altare et tergo ad populum conversis, benedictionemque finalem impertit stans paulum ad cornu Evangelii.[15])

10. Si in ss. Eucharistiae distributione particula aliqua vel fragmentum *a)* ceciderit in terram, reverenter eam Sacerdos accipiat et locum, in quem cecidit, obsignet superimposito aliquo linteo mundo (purificatorio, palla) vel operculo vasculi pro ablutione vel ampullarum subversa patella,[16]) donec opportuno tempore abradatur, abrasio vero in sacrarium mittatur[17]); *b)* si ceciderit

[14]) *S. R. C.* 16. Mart. 1833 ad 1. — [15]) *Herdt*, l. c. II. n. 34. — [16]) *Zualdi*, Caer. miss. priv. pag. 178. — [17]) Rub. de defect. X. n. 15.

extra corporale in mappam sive altaris sive mensae Communionis, ejusmodi mappa signetur et postmodum diligenter abluatur et lotio ipsa in sacrarii piscinam effundatur [18]); *c)* si ceciderit super vestes communicantium, locus notetur et postea lavetur, ast si in ſeminae pectus dilapsa ſuerit, ipsa, non Sacerdos, particulam aut ſragmentum accipiat et vel in pyxidem mittat vel sese communicet, vestes porro aut locus vel digiti abluantur et lotio in sacrarium projiciatur.[19]) Si vero in dictis casibus fragmentum tam parvum sit, ut etiam adhibita diligentia inveniri nequeat, res tota committatur divinae providentiae.[20]) Colligant Angeli!

## Caput II.

### *De Communionis distributione intra Missam.*

**213.** Menti Ecclesiae apprime congruit, Communionem ſidelibus praebere intra Missae sacriſicium, quia Orationes Missae, quae post Communionem dicuntur, non solum ad Celebrantem, sed etiam ad alios Communione refectos spectant. Quapropter in Rituali Romano [1]) praescribitur: »Communio autem populi intra Missam fieri debet, nisi quando ex rationabili causa post Missam sit facienda.« Hac dispositione non obstante, Sacerdoti celebranti in sacello nosocomii minime licet, intra Missam pergere ad inſirmos eisque in eorum cellulis dare sacram Communionem, sive sit ex devotione sive per modum Viatici; sed sacra Communio illis administranda est post Missam.[2])

**214.** Hausto igitur ss. Sanguine Celebrans, antequam se puriſicet, calicem palla coopertum collocat in corporali versus cornu Evangelii[3]) ibique etiam deponit patenam. Deinde aperit tabernaculum, genuflectit, extrahit ciborium ponitque super corporale in loco pro calice Missae destinato et tabernaculum claudit. Ciborio detecto

---

[18]) Rub. ibid. — [19]) *Herdt,* l. c. II. n. 188. — [20]) Ibid.

[1]) Ord. adm. s. Comm. — [2]) *S. R. C.* 19. Dec. 1829 ad 1. et 24. Mart. 1860 ad 1. — [3]) *Cavalieri,* Comment. tom. 4. cap. 4. decr. 11. n. 7.

et dicto a ministro *Confiteor* genuflectit[4]) ac manibus junctis ante pectus, quin pollices ab indicibus disjungat, ad populum conversus stans paululum ad cornu Evangelii clara voce dicit *Misereatur vestri etc.* et subjiciens *Indulgentiam absolutionem etc.* sinistra infra pectus posita, dextera signum crucis producit versus communicandos. Iterum ad altare conversus genuflectit, sinistra ciborium ad nodum capit, pollice et indice dextero vero unam particulam super ciborium elevatam tenens, denuo ad populum se convertit et oculis in particulam defixis semel dicit *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit etc.* ac ter subjungit *Domine non sum dignus etc.* Deinde descendit ad communicandos (vide reg. gen. 3.) et unicuique porrigit Sacramentum faciens cum particulis singulis crucis signum super ciborium et dicens *Corpus Domini nostri † J. Chr. custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen.*

Communione finita redit ad altare nihil dicens, ciborium interim tenens more solito ante pectus, pollicem et indicem dexterae junctos autem super cuppam ciborii. Ad altare reversus, posito ciborio in loco suo, genuflectit,[5]) si superfuerit aliqua particula,[6]) statim ciborium claudit reponitque in tabernaculo, quod facta prius genuflexione occludit, dein prosequitur Missam.

**215.** Si Hostiae in eadem Missa consecratae e p a t e n a distribuendae sint fidelibus, quod fieri potest, si paucae puta decem tantum numero sint: facta genuflexione [7]) Celebrans Hostias super patenam deponit. Quo facto patenam reponit super Corporale non in loco, ubi positae fuerant Hostiae, sed juxta vel post hunc locum. Dein distribuit Communionem more solito, qua distributa ad altare reversus, si Hostia aliqua supersit, genuflectit, Hostiamque quae non est pro alio tempore asservanda sumit, secus in ciborium tabernaculi immittit, dein corporale et patenam extergit et Missam prosequitur.

---

[4]) Detecto ciborio statim genuflectit, et si exspectandum sit, donec minister absolverit Confessionem, hac absoluta, antequam se vertat ad communicandos, iterum genuflectit. Si autem non fuit exspectandum, unica sufficit genuflexio. *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 275. — [5]) *S. R. C.* 23. Dec. 1862. — [6]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 24. n. 8. — [7]) *Rit. cel.* miss. X. n. 5.

## Caput III.

### *De Communionis distributione extra Missam.*

**216.** Extra Missam Communio fidelibus administrari potest vel occasione vel non occasione Missae. Si primum, fieri potest vel immediate ante vel immediate post Missam, in utroque casu data rationabili causa.[1] Rationabilis causa juxta communem sententiam auctorum est infirmitas aut occupatio necessaria communicandorum, ob quam hi usque ad Communionem Celebrantis vel usque ad finem Missae exspectare nequeunt; vel multitudo communicantium, ita ut Missa nimis protraheretur, si Communio fiat intra Missam, ideoque fideles Corpore Christi non reficiendi diutius in ecclesia detinerentur. »Regulariter hoc loco (post sumptionem ss. Sanguinis) facienda est Communio«, ait Gavantus,[2] »sed hodie, quia plurimi exoptant finem Missae et eos taederet exspectare alios ut communicent, differri solet Communio usque ad peractam Missam.« Quumque sacrorum Rituum Congregationi relatum esset, quemdam parochum fidelibus post Missam Communionem petentibus, eam constanter negare, praxis ejus non fuit approbata.[3] Insuper nomine et auctoritate sacri Tribunalis Rituum die 28. Novembris 1895 sequens declaratio edita fuit: »Nullum extat decretum S. R. Congregationis, quod prohibeat Communionem fidelium ante vel post Missam.«[4]

Si ergo distributio Communionis fiat immediate ante vel immediate post Missam, ita ut Sacerdos in sacristiam non discedat, peragitur cum casula et omnibus aliis sacris vestibus,[5] etiam cum manipulo.[6] Ritus est idem ac in Communione non occasione Missae, hoc discrimine, quod in dictis casibus supponitur ciborio corporale Missae. Calix Celebrantis totaliter velatus interim collocatur versus cornu Evangelii extra corporale.

---

[1]) Cf. *Rit. Rom.* Ord. adm. s. Comm. et Decret. *S. R. C.* 27. Jun. 1868. — [2]) *Thesaur.* sacr. Rit. pars 2. tit. 10. n. 6. *d.* — [3]) Collect. *Gardell.* n. 4984. — [4]) Vide *Eph. lit.* 1895 pag. 710. — [5]) *Rit. Rom.* l. c.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 275. — [6]) *Eph. lit.* 1892 pag. 228.

**217.** Non occasione Missae sacra Communio distribuenda est, quotiescunque fideles rationabiliter eam petierint, dummodo sit infra tempus a Rubricis aut per Indultum Superioris pro Missis celebrandis statutum,[7]) etiamsi revera non celebrentur, ergo ab aurora usque ad meridiem, quo tempore secundum Rubricas Missas celebrare licet,[8]) imo juxta s. Alphonsum[9]) ex speciali causa e. g. occasione magni concursus, indulgentiarum, etiam post meridiem.

Sacerdos induitur vel superpelliceo vel alba[10]) cum stola in pectus transversa. In utroque casu stola ex praecepto Ritualis Romani sit coloris officio illius diei convenientis.[11]) Diebus ergo, quibus loco officii ferialis licet ex Indulto facere officium votivum per annum, adhibendus est color officii ferialis, utpote officii diei, etiam ab iis, qui officium votivum persolverunt.

Quid autem, si color officii (Horarum canonicarum) differt a colore Missae diei e. g. in Vigilia Pentecostes? Nonnulli[12]) affirmant, tunc colorem stolae in Communione extra Missam respondere debere non Horis canonicis, sed Missae diei, dicentes, Missam esse totius officii partem principalem, aequumque esse, ut accessorium sequatur naturam principalis, hoc est, color stolae in Communione idem sit ac color Missae. Ast denuo interrogata hac in causa S. R. C. die 11. Augusti 1877 rescripsit: »Servetur Ritualis Romani Rubrica, et ubi vigeat consuetudo administrandi ss. Eucharistiam cum stola albi coloris fidelibus paschale praeceptum adimplentibus toleranda.« Ex quo decreto patet, tunc tantum a praescripto Ritualis recedendum esse, quando aliquo in loco est consuetudo, Communionem paschalem administrandi cum stola alba.[13]) Usus mozzettae in administratione ss. Sacramentorum interdicitur.

---

[7]) *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 37. — [8]) *Rub. gen.* miss. XV. n. 1. — [9]) *Theol. mor.* tom. VI. n. 252. — [10]) Cf. *S. R. C.* 31. Aug. 1867 ad 5. — [11]) *S. R. C.* 12. Mart. 1836 ad 13. et *Rit. Rom.* l. c. In communicandis infirmis in cubiculis vero semper adhibetur stola alba. *Herdt*, S. Lit. Prax. III. n. 186. ad 2. — [12]) *Eph. lit.* 1890 pag. 509. n. VII. *Münster Pastoralblatt* 1895 pag. 129. — [13]) *Schober* in s. Alphonsi lib. de caer. miss. cap. 12. nota 1.

**218.** Quoad ritum administrandi ss. Eucharistiam extra Missam haec observa. Sacerdos lotis [14]) in sacristia totaliter manibus, indutus uti supra monuimus, capite cooperto et manibus ante pectus junctis accedit ad altare Sanctissimi, in quo accensi sint duo cerei. Si bursa cum corporali, quae convenienter ejusdem coloris sit ac stola Sacerdotis,[15]) nondum sit in altari, decet,[16]) ut Sacerdos ipse pectori innixam ad altare deferat, non minister, praesertim si sit laicus. Ad gradus altaris quum pervenerit, caput detegit et genuflexione simplici in plano facta ascendit ad altare, explicat totaliter corporale, bursa deposita dextera in loco consueto, dein aperit tabernaculum, statim genuflectit manibus interim positis extra [17]) corporale, extrahit ciborium et claudit tabernaculum. Ciborio in corporali collocato et aperto, iterum genuflectit, manibus positis ut supra, dein peragit omnia ut in Communione intra Missam, mutatis mutandis. Si minister idoneus non adsit, Sacerdos ipse recitet *Confiteor*,[18]) quod faciat in casu ejusmodi etiam in Communione distribuenda intra Missam.[19])

Omnibus communicatis redit ad altare, ciborium reponit in corporali, genuflectit manibus positis supra corporale, extersisque in ciborio pollice et indice, quibus tetigerat ss. Sacramentum, ciborium claudit.[20]) Deinde digitos eosdem abluit in vase praeparato et purificatorio abstergit. Quibus peractis [21]) voce intelligibili dicit anti-

---

[14]) *Rit. Rom.* l. c. Manus sunt lavandae non tantum ante et post distributionem s. Communionis extra Missam propter contactum ss. Sacramenti, sed etiam ante et post administrationem Baptismi et extremae Unctionis propter contactum s. Olei. *Herdt*, l. c. I. n. 195. — [15]) *S. R. C.* 11. Junii 1880 ad 1. — [16]) *S. R. C.* 24. Sept. 1842 ad 3. — [17]) *Herdt*, l. c. n. 275. — [18]) *S. R. C.* 31. Mart. 1879 ad 3. — [19]) *Hartmann*, Rep. Rit. § 197.; *Eph. lit.* 1889 pag. 557. — [20]) Sine alia genuflexione praevia, quia *S. R. C.* 23. Dec. 1862 unam tantum praescripsit genuflexionem post reditum ad altare, antequam cooperiat pyxidem. Vide *Acta S. Sedis* tom I. pag. 547. Sic habent etiam *Martinucci*, lib. 1. cap. 24. n. 13.; *Carpo*, l. c. n. 102. 103.; *Zualdi*, Caer. pag. 182. — [21]) Nonnulli hanc antiphonam dicunt regredientes ad altare, quod est contra Rubricam, quae habet: *Sacerdos reversus;* ergo dicenda est, non in via, sed post reditum ad altare. Non est contra Rubricam, dicere antiphonam statim post reditum, genuflexione facta, infra ablutionem et extersionem digitorum, sed ob attentio-

phonam: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur.* Tempore paschali et infra Octavam Corporis Christi [22]) additur *Alleluja.*[23]) Deinde dicitur: ℣. *Panem de coelo praestitisti eis.* ℟. *Omne delectamentum in se habentem*, quibus verbis tempore paschali et infra Octavam Corporis Christi additur *Alleluja,*[24]) nisi detur Communio in paramentis nigris, quia tunc omittitur *Alleluja* etiam tempore paschali.[25]) Subjungitur: ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad Te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Deinde dicitur Oratio: *Oremus. Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti, tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra Mysteria venerari, ut Redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus.* Concluditur clausula longiori [26]): *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum.* ℟. *Amen.* Tempore paschali loco hujus Orationis dicitur: *Spiritum nobis, Domine, tuae charitatis infunde, ut quos Sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes;* semper cum conclusione brevi: *Per Christum Dominum nostrum.* ℟ *Amen.* Quae Oratio recitanda est toto tempore paschali, non iis tantum diebus, quibus Corpus Domini praebetur fidelibus, ut adimpleant praeceptum paschale.[27]) Antiphonam *O sacrum convivium* cum versiculo *Panem de coelo* recitare, non est de praecepto, quia Rubrica Ritualis dicit: d i c e r e p o t e r i t, ergo licet eam omittere, nisi urgeat consuetudo eam recitandi. Versiculos sequentes autem et Orationem recitare, est de praecepto.[28])

Oratione dicta Sacerdos ciborium, nisi cum eo danda sit benedictio in casibus infra positis, in tabernaculum immittit, cujus ostiolum, genuflexione prae-

---

nem debitam consulitur eam dicere digitis extersis et manibus junctis. — [22]) *S. Alphonsus*, l. c. pag. 132. — [23]) *S. R. C.* 2. Jun. 1883 ad 11. — [24]) Ibid. — [25]) *S. R. C.* 26. Nov. 1878. — [26]) *S. R. C.* 11. Junii 1880 ad 2. — [27]) *Martinucci*, l. c. lib. I. cap. 24. n. 13. not. *a.* — [28]) *S. R. C.* 24. Sept. 1842 ad 3. et 30. Aug. 1892 ad 11.

missa, claudit, dein corporale complicat et in bursa condit,[29]) quam unacum clave tabernaculi pectori innixam, genuflexione in plano ante altare facta, capite cooperto, in sacristiam defert.

## Caput IV.

### *De Benedictione post Communionem.*

**219.** — 1. Benedictio non datur neque manu neque cum ciborio: *a)* quando sacra Communio distribuitur intra Missam[1]); *b)* quando distribuitur in paramentis nigris immediate ante vel immediate post Missam de Requiem.[2]) Sed in secundo casu, licet non detur benedictio, nihilominus recitandi sunt versiculi et Oratio praescripta post Communionem distributam.[3])

2. Benedictio datur manu semper praeter casus modo memoratos, praecipue: *a)* quando sacra Communio distribuitur immediate post Missam celebratam coram exposito Sanctissimo, etiamsi intra Communionem expositio non amplius locum habeat; *b)* quando Communio distribuitur durante expositione Sanctissimi, etiamsi non ad altare expositionis.

3. Benedictio dari potest cum ciborio in omnibus casibus praeter n. 1. et 2. sub *a* et *b* enu-

---

[29]) Corporale non est super altare relinquendum, nec intra tabernaculum reponendum, sed toties quoties intra bursam afferendum, super altare totaliter explicandum et post distributionem iterum in bursa ad sacristiam reportandum. *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 1. 2. 3.

[1]) *Ritual. Rom.* ordo ministr. s. Comm. — [2]) *S. R. C.* 23. Jul. 1868. Contendit quidem cl. *Cavalieri*, quem secutus est *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 275., benedictionem nec esse impertiendam in aliis Missis, in quibus Communio distribuitur immediate ante Missam, si constet omnes sacra Communione refectos usque ad finem Missae esse mansuros in ecclesia, quia accepturi sunt benedictionem Missae. Ast post decisionem *S. R. C.* 30. Aug. 1892 ad 11.: »Benedictio autem (utique citra Missam) semper danda est, unico excepto casu, quando datur immediate ante vel post Missam defunctorum«, non videtur deneganda benedictio in casu supra laudato. Conf. *Eph. lit.* 1896 pag. 57. sq. — [3]) *S. R. C.* 26. Nov. 1878.

meratos, et quidem *a)* in iis locis, in quibus[4] ob speciales concurrentes circumstantias ad evitanda scandala haec exceptio a regula generali per speciale rescriptum S. R. Congregationis concessa est[5]); *b)* in iis dioecesibus, quae utuntur proprio Rituali a S. R. Congregatione approbato, in quo continetur etiam Rubrica de impertienda post Communionem benedictione cum pyxide, quia generali approbatione Ritualis videtur approbata vel saltem tolerata etiam haec specialis Rubrica.

**220.** Modum dandi benedictionem quod attinet, benedictio cum ciborio datur eodem ac cum ostensorio modo, nihil scilicet dicendo. Manu autem impertitur sequenti modo. Recondito in tabernaculo Sanctissimo, Sacerdos manibus junctis ante pectus vertit se ad populum, mox sinistra posita infra pectus, dexteram elevat linea recta dicens clara voce: *Benedictio Dei omnipotentis* et prosequens: *Patris et Filii † et Spiritus Sancti* signum crucis format, dein manus iterum jungit ante pectus dicens: *descendat super vos et maneat semper.* Quibus dictis ad altare se vertit eadem via, qua se ad populum converterat. Responso a ministro *Amen* corporale complicat et peragit omnia, quae dicta sunt supra de Communione extra Missam.

Hic modus sine dubio rectus est, etiamsi quidam alium commendent modum conformem modo dandi benedictionem in Missa, cum elevatione scilicet manuum absque tamen osculo altaris, provocantes ad S. R. C. responsum die 12. Aug. 1854. Ast decretum hoc non occurrit in collectione authentica Gardelliniana nec modus iste reperitur in Rituali Romano, quod potius nostrum praescribit modum, quem tradunt etiam auctores recentiores graviores.[6]) Accedit auctoritas S. R. Congregationis, quae mandavit, ut servetur dispositio Ritualis Romani nihil (nec manuum elevationem nec osculum altaris) praescribentis.[7])

---

[4]) E. g. in archidioecesi Salisburgensi (*S. R. C.* 15. Febr. 1873), item in archidioecesi Bambergensi (*S. R. C.* 28. Apr. 1873). — [5]) *S. R. C.* 1. Julii 1873. — [6]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 24. n. 13. 14.; *Herdt*, l. c.; *Hartmann*, Rep. Rit. § 197.; *Zualdi*, Caer. pag. 183. — [7]) *S. R. C.* 16. Mart. 1833 ad 6.

## Caput V.

### *Regulae generales circa sacrarum Specierum renovationem.*

**221.** — 1. Renovatio sacrarum Specierum non est differenda ultra octo dies, sed fieri debet singulis hebdomadis[1]; pro qua renovatione sumendae sunt hostiae recenter confectae.[2])

2. Convenit, ut hostiae consecrandae ab initio Missae apponantur in altari; oportet, ut saltem pro Offertorio in altari in promptu sint; gravis causa requiritur, ut possint admitti post Offertorium ante Canonem e. g. magna multitudo parata ad communicandum, necessitas communicandi infirmum aut consecrandi hostiam in solemnitate exponendam[3]; causa gravissima urgere debet, ut incepto Canone possint admitti e. g. si tot sint infirmi communicandi, ut pro omnibus pars Hostiae sacrificii reservari non possit.[4] Quacunque autem de causa post Offertorium admittuntur, semper saltem mentaliter sunt offerendae, antequam sacrificium continuetur.[5] Quae mentalis oblatio fit, orationem *Suscipe sancte Pater etc.* mente concipiendo hostiasque super corporale deponendo, absque illarum elevatione cum patena et absque signo crucis faciendo super altare.[6]

3. Si tot sint hostiae minores, ut super patenam dari non possint, consecrandae sunt, nisi apponantur super corporale ante calicem, in aliquo vase benedicto,[7] puta in calice consecrato distincto a calice sacrificii, vel in pyxide benedicta, nunquam vero in vase non benedicto e. g. in capsula destinata pro asservandis in sacristia aut in cubiculo particulis consecrandis.[8]

---

[1]) *Caer. Ep.* lib. I. cap. 6. n. 2.; *S. R. C.* 3. Sept. 1672 ad 3. et 12. Sept. 1884 ad 2. — [2]) *Rit. Rom.* De S. Euch. Sacr.; *S. R. C.* 16. Dec. 1826 ad 1. — [3]) *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 139. — [4]) *Cavalieri.* Comment. tom. 5. cap. 13. n. 32. — [5]) Cf. Rub. de defect. panis III. n. 4. — [6]) *Gavantus*, pars 3. tit. 3. rub. 4.; *Herdt*, l. c. II. n. 138. ad 1. Talis oblatio mentalis facienda est semper, quando ob defectum sive panis sive vini *post Offertorium* deprehensum, novae species consecrandae apponi debent. Cf. Rub. de defect. pan. et vin. III. et IV. — [7]) *Rit. cel.* miss. II. n. 3. — [8]) Quae vasa sacra cum particulis praeparatis non sunt deferenda

4. Celebrans intentionem suam tam in Oblatione quam in Consecratione dirigat ad omnes hostias offerendas consecrandasque et verba Consecrationis proferat super omnes hostias consecrandas. Si tamen ex humana fragilitate aliquando intra Consecrationem de hostiis minime cogitaverit, nequaquam propterea scrupulis agitetur, quia valida absque dubio est Consecratio hostiarum propter intentionem antea elicitam et non retractatam.[9])

5. In renovanda Hostia ostensorii non licet Hostiam sacrificii imponere ostensorio, veterem autem ex ostensorio deductam sumere pro Communione sacrificii, quia Celebrans de suo sacrificio participare tenetur. In hoc casu Celebrans duas hostias majores consecret, unam pro sacrificio, pro ostensorio alteram. Hostia ex ostensorio desumpta non est fidelibus distribuenda, sed a Celebrante ipso post sumptionem Sanguinis reverenter sumenda.[10])

6. Hostiae noviter consecratae non sunt cum veteribus miscendae, neque veteres neoconsecratis superimponendae, ut prius distribuantur; sed neoconsecratae vel in alia pyxide conservandae, vel, deficiente altera pyxide, veteres communicantibus primo distribuendae vel a Celebrante in Missa sumendae.[11]) Si ob nimiam quantitatem omnes sumere non possit, sumantur successive in pluribus sacrificiis vel ab eodem Celebrante vel ab aliis Sacerdotibus.[12]) Sumuntur autem inclinato capite (vel humeris) nihil dicendo nec signo crucis sese signando.[13])

ad altare simul cum calice Missae, sed antea in altari deponenda vel a Celebrante ipso vel a Sacrista. *Herdt*, l. c. I. n. 203. nota. — [9]) Cf. *Benedictus XIV.* De ss. miss. sacrif. lib. 3. cap. 18. n. 2. Si Celebrans quidem habuerit ordinariam intentionem illas consecrandi, sed ipso inscio positae sint extra corporale et portatile, ubi tempore Consecrationis remanserunt, ipso non advertente; hae hostiae tanquam dubie consecratae habendae sunt. Unde reverenter quidem sunt tractandae, sed non adorandae, neque populo distribuendae, sed sumendae post sumptionem s. Sanguinis vel in alia Missa consecrandae sub conditione tacita: *si non sint consecratae. Herdt*, l. c. II. n. 154. ad 3. — [10]) *S. R. C.* 3. Sept. 1672 ad 3. — [11]) *Rit. Rom.* De ss. Euch. Sacr.; *S. R. C.* l. c. — [12]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 281. not. — [13]) *Zualdi*, Caer. pag. 175.

7. Antequam Hostiae minores, super corporali consecratae, immittantur in pyxidem, vel antequam Hostia major imponatur lunulae aut ingeratur ostensorio, semper genuflectendum est juxta Rubricas.[14]

8. Si occasione renovationis sacrarum Specierum, sive pyxidis sive ostensorii, Communio sit distribuenda aut veteres Hostiae consumendae (ob purificationem pyxidis vel lunulae), tunc pyxis vel ostensorium cum Hostiis neoconsecratis in tabernaculum immittuntur post sumptionem Sanguinis, quia tum distributio Communionis[15] tum consumptio Specierum residuarum[16] fieri debet sumpto Sanguine. Extra hos casus ingeri possunt in tabernaculum immediate ante sumptionem pretiosissimi Sanguinis.

## Caput VI.

### *De Hostiis minoribus consecrandis.*

**222.** Hostiae minores si paucae sint, ante Missam ponuntur super patenam subtus hostiam sacrificii; si autem sint admodum numerosae, ponuntur vel in pyxide aut alio calice, vel his deficientibus super corporale ante calicem Missae juxta hostiam sacrificii. Pyxis cooperta suo operculo et calix tectus palla, ambo continentes particulas consecrandas, collocantur post calicem sacrificii vel potius ob angustiam loci (lapidis sacrati) juxta calicem Missae versus cornu Evangelii; omni in casu autem super corporale et lapidem sacratum.[1]

Ad Offertorium, si particulae sint in patena, elevat et offert eas Celebrans simul cum hostia sacrificii et facto de more signo crucis cum patena, deponit illas super corporale ante calicem juxta hostiam majorem. Si vero sint super corporale, nequaquam sunt elevandae, sed relinquendae in loco, ubi jacent. Quod dicendum est etiam, si sint in pyxide aut in calice; relicto scilicet sacro vase in loco suo, Celebrans ante

---

[14]) *Rit. cel.* miss. X. n. 5. — [15]) Rub. Canonis. — [16]) *Herdt*, l. c. I. n. 278. et n. 282. ad 5.; *S. R. C.* 3. Sept. 1672 ad 3.

[1]) Cf. *Rit. cel.* miss. II. n. 3.

oblationem dextera inde aufert operculum vel pallam ponitque ad cornu Epistolae prope velum calicis, sinistra interim nodum aut pedem tenente. Oblatione facta vas iterum cooperitur. Intentio offerendi autem semper ad omnes particulas consecrandas est dirigenda.

Ad Consecrationem hostias in corporali dispositas relinquit in loco suo, dummodo sint, sicut ad Offertorium, super lapidem sacratum; pyxidem vel calicem autem discooperit ut supra, antequam incipiat *Qui pridie etc.*[2]) Signum crucis ad vocem *benedixit* non efformat super hostias consecrandas in pyxide vel calice, sed tantum super hostiam sacrificii; intentionem consecrandi vero dirigat ad omnes hostias. Elevatur tantum Hostia sacrificii. Qua elevatione peracta et Hostia sacrificii in corporali reposita, vas Hostiarum cooperit.

Ad Communionem Hostiae minores consecratae si non sint statim distribuendae, sed pro alio tempore conservandae, neque pyxis purificanda neque ulla ex Hostiis veteribus consumenda, in tabernaculum ingeruntur peracta post sumptionem s. Hostiae meditatione ante sumptionem pretiosissimi Sanguinis. Reg. gen. 8. Si positae erant in corporali, facta prius genuflexione (reg. gen. 7.), in pyxidem immittuntur, quae subinde dextera clauditur, velo suo obtegitur, in tabernaculum ingeritur ibique praemissa genuflexione occluditur. Deinde colliguntur fragmenta et continuatur Missa.

Si autem in pyxide consecrabantur, peracta ut supra meditatione, Celebrans ostiolum tabernaculi aperit et genuflectit, si in eo aliud vas cum ss. Sacramento adsit, secus genuflexionem omittit; deposita in tabernaculo pyxide, iterum genuflectit et ostiolum claudit. Hostias in calice consecratas, antequam eas ponat in tabernaculo, ingerit in pyxidem purificatam; deinde calicem vacuum purificat simul cum calice Missae.

Si pyxis pro susceptione Hostiarum neoconsecratarum destinata praevie purificanda sit, particulae in tabernaculum immittuntur peracta purificatione pyxidis

---

[2]) Si forte ex oblivione pyxidem intra Consecrationem non detexerit, particulae nihilominus consecratae sunt. *S. Alphonsus*, Theol. mor. tom. VI. n. 212. et 216.

i. e. post sumptionem ss. Sanguinis. Quod obtinet etiam in casu, si Communio fidelibus danda sit ex Hostiis sive noviter consecratis sive ex praeconsecratis.

**223.** Si tabernaculum non habeatur in altari, tunc positis post sumptionem Hostiae sacrificii particulis debita cum genuflexione in pyxide, Celebrans pyxidem velo suo coopertam relinquit in loco suo. Sanguine Christi sumpto et purificatione peracta ante ablutionem digitorum eam in medio corporali collocat et deinceps se geret sicut in Missis coram exposito Sanctissimo, sed ad ultimum Evangelium altare non signat sed tabellam, si commode possit, vel librum et seipsum.[3]) Calicem Missae extersum velo tantum non bursa cooperit eumque collocat non in medio altaris, sed juxta corporale versus cornu Evangelii. Finita Missa accipit velum humerale et comitante lumine portat pyxidem ad tabernaculum. Deposita in eo pyxide genuflectit, tabernaculum claudit et velum deponit. Redux ad altare, corporale complicat, in bursam immittit et calicem defert in sacristiam more solito.[4])

## Caput VII.

### *De Hostia majore consecranda pro Ostensorio.*

**224.** Ante Missam Celebrans hostiam majorem pro ostensorio destinatam ponit vel in patena simul cum hostia sacrificii vel in lunula, maxime si postea in ea difficile adaptari queat. Lunulam cum hostia locat super corporale juxta calicem a parte Evangelii, ibique eam relinquit usque ad Communionem inclusive, quo tempore immitti debet in ostensorium sicut dicetur. Ad Offertorium offert eam simul cum hostia sacrificii, non tamen elevat eam, nisi posita sit in patena, intentionem tamen in utroque casu dirigit ad eam. Oblatione facta deponit eam de patena in corporali calicem inter et hostiam sacrificii aut juxta hanc a parte Evangelii. Verba

---

[3]) *Rit. cel.* miss. X. n. 7.; *Gavantus*, Thesaur. pars 2. tit. 10. n. 7. — [4]) Sacra Liturg. Edit. Mechlin., Tract. de celebr. ss. miss. sacrif. pag. 227.; *Herdt*, l. c. n. 278. ad II.

Consecrationis profert cum intentione consecrandi etiam hostiam pro ostensorio, quin eam elevet.

**225.** Circa depositionem ostensorii cum Hostia noviter consecrata in tabernaculo distinguendus est duplex casus. Hostia immittitur vel *a)* in ostensorium jam vacuum vel *b)* in ostensorium continens adhuc Hostiam renovandam. Si primum, ostensorium cum nova Hostia reconditur in tabernaculo ante sumptionem ss. Sanguinis[1]; si secundum, post ejusdem sumptionem. In primo casu Celebrans peracta post sumptionem Hostiae debita meditatione accipit ostensorium, lunulam inde extrahit et, genuflexione facta (reg. gen. 7.), Hostiam alteram in ea adaptat et in ostensorium immittit. Si Hostia in lunula jam sit praeparata (in ea consecrata), praemissa genuflexione (reg. gen. 7.) statim lunulam cum Hostia ingerit in ostensorium, hoc ipsum autem facta prius genuflexione in tabernaculo recondit. Deinde prosequitur Missam de more.

In altero casu Celebrans post sumptionem ss. Sanguinis tabernaculum aperit, genuflectit, ostensorium extrahit et tabernaculum claudit. Deinde extractam ex ostensorio lunulam, desumpta ex ea Hostia renovanda, purificat, de qua purificatione sermo erit in sequentibus. De cetero se gerit ut in primo casu. Recondito in tabernaculo debitis cum reverentiis ostensorio Hostiam veterem reverenter sumit, corporale et patenam extergit, se purificat et Missam prosequitur.

Si tabernaculum non habeatur in altari, observanda sunt dicta n. 223., mutatis mutandis.

## Caput VIII.

### *Regulae generales circa Vasorum sacrorum purificationem.*

**226.** — 1. Pyxis (ciborium) purificanda est toties, quoties sacrae Species renovantur, ergo regulariter

[1]) Si statim Communio sit distribuenda, praestat ostensorium cum Hostia neoconsecrata in tabernaculum ingerere post sumptionem ss. Sanguinis, quum extrahitur pyxis pro Communione distribuenda.

singulis hebdomadis.[1]) Quod valet etiam de lunula purificanda. Ratio est, ne fragmenta longius in pyxide vel lunula remanentes corrumpantur.

2. Purificatio fieri debet semper infra Missam, idque post sumptionem pretiosissimi Sanguinis, sive in pyxide purificanda adsint Hostiae minores integrae sive non. Si nullae adsint particulae integrae, sed tantum fragmenta, haec in calicem mitti possunt ante sumptionem Sanguinis, ut cum eodem sumantur; si autem supersint Hostiae (particulae) integrae, sumuntur ante purificationem immediate post sumptionem Sanguinis.[2])

3. Hostiae residuae in pyxide purificanda non imponuntur Hostiis neoconsecratis, sed ante purificationem pyxidis vel distribuuntur fidelibus vel, si nulli adsint communicandi, sumuntur ab ipso Celebrante post sumptum Sanguinem.[3])

4. Antequam in pyxidem purificandam vinum infundatur, fragmenta in ea dispersa indice manus dexterae colligenda et in calicem sacrificii immittenda sunt, quo facto demum vinum infunditur purificandi causa.

5. Si in pyxidem purificandam statim Hostiae neoconsecratae ingerendae sint, sufficit unica purificatio cum vino; si autem particulae consecratae statim ingerendae non sint, praestat ad majorem cautelam etiam digitorum ablutionem facere supra pyxidem.[4])

6. Purificatio et ablutio non sunt sumendae ex pyxide, sed in calicem sacrificii infundendae et ex eo hauriendae.

7. Pyxis purificata ponitur extra corporale, non purificata super corporale, nec ante hanc genuflectendum est non obstantibus sacris fragmentis, quae in illa continentur.[5]) Si autem in ea sint particulae (Hostiae)

---

[1]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 282. — [2]) *Quarti*, pars 2. tit. 10. sect. 2. dub. 8.; *Herdt*, l. c. sub 2. ad 5. — [3]) *S. R. C.* 3. Sept. 1672 ad 3. — [4]) *Herdt*, l. c.; Sacr. Liturg. Edit. *Mechlin.* Tract. de celebr. ss. miss. sacrif. pag. 229. nota 1. — [5]) Si talem pyxidem cum sacris fragmentis transferri contingat vel in tabernaculo alioquin vacuo recondi, non transfertur cum stipatione luminum nec lumen accenditur ante tabernaculum hujusmodi. *Cavalieri*, Comment. tom. 4. cap. 4. decr. 13. n. 7.

integrae, etsi una tantum, reverentia debita eis est exhibenda per genuflexionem.

8. Purificatorium post purificationem pyxidis modo inverso est plicandum nec amplius adhibendum, donec fuerit lotum.[6])

## Caput IX.

### *De Modo purificandi.*

**227.** Si duae adsint pyxides, altera continens particulas modo consecratas, altera autem purificanda, Celebrans sumpto pretiosissimo Sanguine calicem Missae palla coopertum ponit versus cornu Evangelii super corporale, aperit tabernaculum, genuflectit et extrahit pyxidem purificandam ponitque in corporali, pyxidem alteram cum particulis noviter consecratis vero mittit in tabernaculum, quod genuflexione praemissa iterum claudit. Quo facto pyxidem purificandam discooperit et genuflectit, si integrae particulae in ea reperiantur (reg. gen. 7.), quas vel ipse sumit vel communicandis, si qui sint, distribuit (reg. gen. 3.). Exinde pyxidem sinistra tenens ad nodum indice dextero colligit fragmenta in ea dispersa (reg. gen. 4.), eaque in calicem immittit et digitos super calicem diligenter abstergit. Pyxidem dextera praesentat ministro ad infundendum vinum dicens more solito: *Quod ore sumpsimus etc.*, vinum in pyxide super corporale semel iterumque circumactum e pyxide infundit in calicem (reg. gen. 6.). Deposita pyxide, dextera accipit calicem, sinistra patenam [1]) et sumit purificationem cum fragmentis. Reposito calice in loco suo, iterum accipit pyxidem et super eam more solito abluit digitos vino et aqua dicens: *Corpus tuum Domine etc.* et tergente indice pyxidem interius totaliter abluit. Abstersis digitis reversus in medium altaris ablutionem e pyxide effundit in calicem et sumit (reg. gen. 6.). Qua sumpta purificatorio extergit prius calicem

[6]) *Herdt,* l. c.; *Falise,* Lit. pract. comp. pag. 67. edit. 1876, qui dicit, id *decere* saltem.

[1]) Juxta alios potest dicere *Quod ore sumpsimus etc.* immediate ante sumptionem purificationis.

Missae, dein pyxidem, quam operculo suo clausam extra corporale collocat (reg. gen. 7.) versus cornu Evangelii et Missam prosequitur.

**228.** Si una tantum sit pyxis, ideoque Hostiae neoconsecratae statim in illam sint mittendae, sufficit unica purificatio cum vino tantum (reg. gen. 5.). Infuso igitur a ministro vino, dicente interim Celebrante: *Quod ore sumpsimus etc.*, Celebrans illud in pyxide supra corporale circumagit et indice tergente totam pyxidis partem interiorem abluit. Quo facto indicem purificatorio abstergit, vinum e pyxide in calicem fundit et ante ejus sumptionem pyxidem purificatorio diligenter exsiccat. Dein genuflexione praemissa [2]) novas Species in eam immittit, pyxidem claudit, in tabernaculo reponit, cujus ostiolum praevia genuflexione obserat prosecuturus exinde Missam de more. [3])

**229.** Praeter pyxidem purificanda est etiam lunula ostensorii toties, quoties Hostia in ea renovatur. Etiam haec purificatio fit post sumptionem ss. Sanguinis. Desumpta igitur ex ostensorio Hostia vetere, Celebrans ante omnia bene inspiciat interiorem ostensorii partem, si fragmenta quaedam forte illi adhaereant, quae si invenerit, digito diligenter extrahat et sumat, ne deperdantur aut corrumpantur. Postea lunulam, si possit, adaperiat eamque, demissa inde Hostia vetere vel in corporale vel in patenam, indice dextero super patenam extergit a fragmentis; si autem aperiri nequeat, eam saltem decenter excutiat supra patenam meliori quo potest modo. Dein si Hostia nova ingerenda sit, praemissa genuflexione [4]) eam imponat et ostensorium clausum more solito debitis cum reverentiis in tabernaculum immittat; alioquin ostensorium vacuum extra corporale versus cornu Evangelii collocet. Quo facto Hostiam ex ostensorio extractam supra patenam in duas partes aequales dividit et sumit eo modo, quo sumpserat Hostiam sacrificii, nihil tamen dicendo nec cum eadem sese signando. Postremo colligit fragmenta eaque in calicem immissa sumit Missamque prosequitur more solito.

---

[2]) *Rit. cel.* miss. X. n. 5. — [3]) *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 278. et n. 282. — [4]) *Rit. cel.* miss. X. n. 5.

## Caput X.

### *De sacris Vasibus Vestibusque attingendis et lavandis.*

**230.** Opportunum nobis videtur, hic loci pauca adnotare circa quaestionem, cuinam liceat tangere sacra vasa vestesque sacras easque lavare?

Distinguendum, utrum sint vasa vacua necne. Si non sint vacua, quia actualiter continent ss. Sacramentum, extra casum necessitatis aut periculum profanationis absque peccato mortali ea nulli tangere licet, nec mediante velo, praeterquam Sacerdoti et Diacono. Si autem sunt vacua i. e. destinata quidem ad recipiendum Ss. Sacramentum, quod tamen actualiter non continent, iterum distinguendum, utrum tangenda sint ante vel post eorum usum sacrum.

Post eorum usum, quia immediate Sanctissimum attigerunt, vasa vacua, uti calicem, patenam, ciborium, lunulam, nuda manu tangere licet Sacerdoti, Diacono, Subdiacono et post decretum S. R. C. in una Bajonen. de die 25. Sept. 1875 ad 1. etiam Clericis, etsi tonsuratis [1]) tantum, in ipso altaris ministerio, a fortiori ergo extra ministerium hujusmodi, accedente aliqua causa v. g. praeparandi ea ad sacrificium. Hoc ultimum ex privilegio Sixti IV. conceditur etiam sacristis regularibus laicis, nec non sacristis monialibus. Ceteris laicis vero id non licet, nisi in casu necessitatis et licentiae obtentae ab Episcopo, et etiam tunc nonnisi mediante velo, sed sub veniali tantum. Quoad aedituos, qui in habitu clericali ecclesiis inserviunt, docet s. Alphonsus,[2]) eos saltem ex consuetudine introducta sine culpa vasa sacra tangere posse, quia, dum officium sacristae exercent, semper adest aliqualis necessitas sacra vasa tangendi.

Ante usum a laicis tangi possunt: ciborium, ostensorium, lunula, licet modo benedicta, imo ostensorium post usum, quia sacras Species immediate non attingit. In casu reparationis quaecunque vasa sacra a laicis licite tangi possunt, quia adest causa rationabilis.[3])

---

[1]) *Eph. lit.* 1894 pag. 426. Decretum ipsum habes sub n. 67. hujus libri. — [2]) Theol. mor. tom. VI. n. 382. — [3]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 175.; *Müller*, Theol. mor. vol. II. § 78.

**231.** Ex quibus sequentes emanant regulae:

1. Sacerdotibus et Diaconibus quaecumque sacra vasa, etiam ss. Sacramentum actualiter continentia, tum intra tum extra altaris ministerium semper et ubique tangere licet. Subdiaconibus id licet tantum, si sint vasa vacua.

2. Clericis, etsi tonsuratis tantum, vasa sacra post eorum usum tangere licet tum intra tum extra altaris ministerium, si vasa sint vacua. Si autem non sint vacua, id eis non licet, excepto casu necessitatis.

3. Laicis, qui non sunt aeditui neque sacristae regulares, extra casum necessitatis aut licentiae obtentae, vasa sacra solummodo ante eorum usum tangere licet praeter ostensorium, quod etiam post usum licite a laicis tangi potest.

4. Aedituis laicis illicitum non est, tangere vasa sacra vacua etiam post eorum usum, si in munere suo exercendo ex necessitate hoc faciant. Videant tamen Sacerdotes, ne ob propriam commoditatem vel negligentiam talem necessitatem in aedituis provocent. Quapropter vix excusantur Sacerdotes permittentes, ut ab aedituis regulariter et quasi ex officio calix ad celebrandum praeparetur, quum ex dispositione Rubricae id sit officium ipsius Celebrantis.[4])

**232.** Vestes sacras sacraque lintea cuique tangere licet, exceptis corporali, palla et purificatorio, quae quum in celebratione adhibita fuerint, extra necessitatem aut obtentam licentiam, sub veniali licite tangi non possunt, nisi a quibus vasa sacra vacua tangi permittuntur, ergo a Sacerdote, Diacono, Subdiacono et Clericis, et ex privilegio etiam a laicis sacristis regularibus nec non ab aedituis laicis ex consuetudine introducta. Ante usum tamen et post lotionem a laicis quibusvis tangi, ulterius lavari et refici possunt.

**233.** Prima lotio corporalium, pallarum et purificatoriorum, exclusis laicis et monialibus[5]), omnino fieri

---

[4]) *Rit. cel.* miss. I. n. 1., ubi dicitur de Celebrante: »Deinde *praeparat* calicem«. — [5]) *S. R. C.* 15. Sept. 1857 ad 30.

debet a Sacerdote, Diacono vel saltem Subdiacono[6]), idque in vase huic tantum usui destinato et aqua lotionis in sacrarium fundenda. Nunquam licet, nec post primam aut secundam lotionem, lintea sacra lavare cum linteis usui domestico inservientibus.[7])

---

# Tractatus IV.

## De Missa solemni et cantata.

### Caput I.

#### *Observationes generales circa Missam solemnem.*

**234.** — 1. Ante Missam solemnem in sacristia thus imponere in thuribulum non praescribitur a Rubricis [1]), utpote quae injectionem thuris fieri volunt solummodo ante Missam pontificalem in casu, quo Pontifex paramenta sumit, non ad altare celebrationis, sed in sacristia vel in capella.[2]) Si nihilominus quacunquae de causa e. g. ob vigentem consuetudinem ante Missam solemnem thus imponendum sit, fiat, quum hoc directe non sit prohibitum.[3]) Intra Missam autem necessario adhibetur thus, ita ut nunquam liceat absque thurificatione celebrare Missam solemnem, etsi sit de Requiem.[4])

2. Non licet nec Celebranti nec Ministris sacris in accessu ad altare deferre crucem sic dictam pacificalem, etiamsi in ea inclusa inveniatur Reliquia s. Crucis.[5]) Improbandus autem non videtur usus immemorabilis aliquibus in ecclesiis vigens, ut scilicet in accessu ad altare post Thuriferarium sequatur Clericus crucem ha-

---

[6]) *Eph. lit.* 1890 pag. 129., ubi etiam probatur, hanc lotionem intra sanctuarium i. e. in sacristia fieri debere. — [7]) Cf. *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 171.

[1]) *Martinucci*, lib. 2. cap. 4. n. 15. *a*; *Carpo*, pars 2. n. 133. [2]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 23. 25. — [3]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 306. not. 1.; *Hartmann*, § 171 ad II.; *Eph. lit.* 1894 pag. 428., quae hanc praxim dicunt esse non contra sed praeter Rubricas eamque vigere in pluribus ecclesiis tam intra quam extra Urbem. Vide etiam *Falise*, Liturg. pract. Comp. pag. 140. nota 2. — [4]) *S. R. C.* 29. Nov. 1856 ad 6. — [5]) *S. R. C.* 27. Jan. 1883 ad 2.

stilem deferens inter duos Ceroferarios, postremo Ministri sacri et Celebrans.[6])

3. Cantantur a Celebrante in Missa solemni: *a)* intonationes *Gloria in excelsis Deo* et *Credo in unum Deum; b)* salutationes *Dominus vobiscum,* ea excepta, quae dicitur in principio Missae post Confessionem; *c)* invitationes *Oremus* praeter eam, quae dicitur in exordio Missae post Confessionem; *d)* Orationes tum Collectae tum Postcommuniones cum suis conclusionibus; *e)* Praefatio; *f)* conclusiones *Per omnia saecula saeculorum* etiam ante *Pater noster* et ante *Pax Domini*; *g)* tota Oratio Dominica cum immediate praecedentibus; *h) Pax Domini sit semper vobiscum.*

Praeter modo dicta alia omnia, quae in Missa privata dicenda sunt clara voce, in Missa solemni a Celebrante dicuntur voce submissa,[7]) id est Ministris intelligibili.[8]) Secreta autem voce utitur Celebrans in recitandis iis omnibus, quae secreto dicuntur in Missa privata.

4. Juxta Rubricas Celebrans cum Ministris in Missa solemni potest sed non debet sedere, dum cantatur *Kyrie, Gloria* et *Credo*, juxta S. R. C. 16. Mart. 1591 ad 6. sedere potest etiam, dum cantatur a Subdiacono *Epistola* et a cantoribus *Graduale, Tractus* ac *Sequentia.*

Acceditur ad sedem via breviori seu per gradus laterales et tunc a Celebrante post dictum *Kyrie* ante discessum nulla fit reverentia versus Crucem aut ss. Sacramentum inclusum ex cornu Epistolae, post dictum Hymnum angelicum et Symbolum vero inclinatio capitis Cruci vel genuflexio simplex Sanctissimo incluso ante medium altaris in suppedaneo. Si vero ex aliqua causa v. g. propter situm sedis [9]) per viam longiorem seu per gradus anteriores accedendum sit ad sedem, tunc Celebrans facta in suppedaneo capitis inclinatione, sive adsit

[6]) *Eph. lit.* 1888 pag. 90. ad III., hunc usum probant et laudant. In Urbe ipsa in Basilicis majoribus: ad s. Petrum in Vaticano, ad s. Joannem in Laterano, ad s. Mariam majorem haec consuetudo viget. — [7]) *Rub. gen.* miss. XVI. n. 3. — [8]) Ita *S. R. C.* declaravit die 7. Sept. 1816 ad 14. — [9]) Si sedes non in cornu Epistolae, sed in anteriori parte presbyterii locatae essent, per gradus anteriores descenderent (Celebrans et Ministri) et nonnisi super infimum gradum genuflecterent. *Piller*, Man. Lit. Rom. pars 2. sect. 2. art. 5. pag. 264.

Sanctissimum in tabernaculo sive non, descendit in planum ibique facit corporis inclinationem Cruci vel genuflexionem simplicem in infimo [10] gradu Sanctissimo incluso, dein procedit ad sedem.

Receditur a sede ad altare semper via longiori, facta a Celebrante in gradu infimo genuflexione vel tantum inclinatione ut supra. Ad sedendum nudo capite pergendum est et inde regrediendum. Infra sessionem caput tegitur birreto, nisi expositum sit Sanctissimum vel facienda inclinatio aut genuflexio, quibus in casibus detegitur [11] et birretum dexterâ prope genu dexterum tenetur. Manus infra sessionem tenentur extensae super genua.

5. Si in accessu ad altare vel in recessu ab eodem salutandi sint magistratus aliique saeculares in propriis locis congregati, praestetur eis in transitu debita salutatio tum a Celebrante tum a Ministris paramentis indutis, et quidem per infimam capitis cooperti inclinationem.[12]

## Caput II.

### *De Aspersione aquae benedictae in Dominicis.*

**235.** Stricte loquendo haec Aspersio praescripta est tantum ante Missam conventualem, quando haec in Dominicis celebratur cum cantu et Ministris, sicut S. R. C. ipsa declaravit.[1] Sed plerumque ex mandato Ordinarii vel ex consuetudine vigente fieri solet etiam in ecclesiis non collegiatis ante Missam principalem, sive lectam sive cantatam. Facienda est tantum in Dominicis,[2] licet in eis festum aliquod celebretur, minime vero in festis quantumvis solemnibus extra Dominicam occurrentibus. Omittenda est in Dominicis ante Missas, quas Episcopus solemniter celebrat [3]), quia Episcopus in adventu suo ad portam ecclesiae populum aspergit, quod sufficit. In Dominica Palmarum et in festo Purificationis B. M. V. occurrente in Dominica, aspersio fit ante pal-

---

[10]) *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 51. — [11]) *S. R. C.* 21. Mart. 1676 ad 1.; 12. Nov. 1831 ad 13.; 27. Jul. 1878 ad 3. — [12]) *S. R. C.* 27. Aug. 1836 ad 4.

[1]) *S. R. C.* 9. Dec. 1878. — [2]) *S. R. C.* 31. Jul. 1665 ad 3. — [3]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 31. n. 4.

marum et candelarum benedictionem.[4]) Peragenda est a Celebrante ipso[5]), non ab alio, et quidem juxta dispositionem Rubricae missalis cum aqua praevie in ipsa Dominica ab ipso Celebrante vel ab alio Sacerdote benedicta in ecclesia vel in sacristia.[6]) Exposito ss. Sacramento in altari, in quo celebratur, aspersio aquae fieri debet ut alias, omissa tamen aspersione altaris.[7])

**236.** Aspersio facienda a Celebrante solo.

Celebrans indutus alba et stola coloris Missae in modum crucis ante pectus aptata, ac etiam, si habeatur, pluviali ejusdem coloris, sine manipulo, capite cooperto more solito procedit ad altare, ubi capite detecto reverentia debita facta, in infimo gradu utroque genu flexus accipit aspergillum madefactum et intonat *Asperges me* vel tempore paschali *Vidi aquam.* Interim i. e. dum intonat[8]), aspergit altare[9]) *a)* in medio, *b)* versus cornu Evangelii et *c)* versus cornu Epistolae, deinde seipsum, aspergilli summitatem fronti suae applicando. Postea surgit, aspergit ministrum genuflexum et facta altari reverentia, sinistrâ pectori admota, dexterâ aspergillum tenens, ac prosequens submissa voce antiphonam et psalmum *Miserere* vel tempore paschali psalmum *Confitemini,* quoadusque durat aspersio[10]), accedit ad cancellos presbyterii prope aditum, vel, si expositum sit Sanctissimum, aliquantulum versus cornu Evangelii, et aspergit populum tribus ictibus, scilicet *a)* in medio, *b)* ad sui sinistram et *c)* ad sui dexteram, facta unica inclinatione ante et post.[11]) Finita aspersione abrumpit recitationem psalmi, dicto *Gloria Patri etc.* repetit[12]) submissa voce antiphonam et aspergillum reddit ministro. Reversus ad altare et facta ibi debita reverentia stans

---

[4]) *Cavalieri,* tom. 4. cap. 23. decr. 2. n. 2. — [5]) *Caer. Ep.* l. c. n. 3. — [6]) Ritual. Ord. ad. fac. aqu. ben. — [7]) *S. R. C.* 18. Jul. 1885 ad 2. — [8]) Cf. *Schober,* Caer. art. 7. not. 19. — [9]) I. e. scabellum altaris, non mensam. *Herdt,* S. Lit. Prax. III. n. 134. ad 2. — [10]) Cf. *Schober,* l. c. not. 35. — [11]) Si talis adsit consuetudo, aspersio populi fieri potest etiam procedendo per principalem navim ecclesiae, incipiendo a cornu Epistolae et per cornu Evangelii redeundo. *S. R. C.* 22. Mart. 1862 ad 2. — [12]) *S. R. C.* 7. Jul. 1876 ad 5.

ante infimum gradum post repetitam a Choro [13] antiphonam, in tono feriali cantat versus et orationem. Deposito deinde pluviali assumit manipulum et casulam. Vide infra numerum sequentem versus finem.

In ecclesiis minoribus, in quibus Missa parochialis cantari non solet, aspersio aquae benedictae fieri potest legendo ea, quae in aliis ecclesiis cantantur.[14]

**237.** Aspersio facienda a Celebrante cum Ministris sacris:

Celebrans indutus, ut supra n. 236. dictum est, more solito cum Ministris accedit ad altare. Si Celebrans ob defectum pluvialis alba tantum et stola sit indutus, Ministri sacri in aspersione assistunt sine dalmatica et tunicella.[15] Ad altare, detecto capite reverentia facta, Celebrans cum Ministris utroque genu flectit in infimo gradu. Accepto a Diacono aspergillo, antiphonam intonat et altare aspergit, observans omnia, quae dicta sunt supra. Post aspersionem sui ipsius surgit et erectus aspergit [16] prius Diaconum et deinde Subdiaconum adhuc genuflexos. Facta altari debita reverentia, medius inter Ministros sacros, fimbrias pluvialis sublevantes, procedit a latere Epistolae [17] ad chorum, ubi omnes de choro salutat ad utramque partem, et accepto a Diacono aspergillo aspergit primo in eo latere chori, in quo dignior est, singulos [18] Canonicos unico ictu cuique ante et post aspersionem caput inclinans [19]; tum accedit ad latus oppositum chori ibique eodem prorsus modo Canonicos aspergit. Deinde in eodem chori latere aspergit singulos de Clero, si sint in parvo numero, eodem ac Canonicos modo; si vero in magno numero sint, omnes unico ictu (quasi in gyrum [20]) aspergit, quod facit etiam in altera chori parte. Aspersione chori peracta et Choralibus ab utraque parte debita inclinatione facta, reversus ad altare

[13]) Ibid. ad 6. — [14]) *Herdt,* l. c. n. 133. — [15]) *Herdt,* l. c. — [16]) Ministris sacris aliisque omnibus aqua benedicta danda est per aspersionem, non per contactum. *S. R. C.* 27. Sept. 1698 ad 2. — [17]) *Martinucci,* lib. 2. cap. 8. n. 24. Supponitur chorus post altare. Si sit ante altare, transeundo ab uno latere chori ad alterum, in medio ante illud debitam facit reverentiam. — [18]) *S. R. C.* 27. Sept. 1698 ad 4. — [19]) *Herdt,* l. c. n. 134. ad 3. — [20]) *S. R. C.* ibid.

a latere Evangelii[21]) aspergit Clericos stantes ad credentium, omnes unico ictu, et facta reverentia altari progreditur ad cancellos presbyterii[22]) ad aspergendum populum ut supra. Infra aspersionem Cleri et populi Celebrans alternatim cum Ministris[23]) recitat submissa voce antiphonam et psalmum juxta diversitatem temporis, ut jam dictum est in numero praecedenti. Aspersione absoluta Celebrans ad altare cum Ministris revertitur, ibique facta debita reverentia, choro silente, in tono feriali cantat versiculos et orationem praescriptam. Postremo deponit pluviale et accipit manipulum et casulam in sacristia[24]) vel ad scamnum[25]) vel in cornu Epistolae[26]) vel ante gradus in medio altaris,[27]) dummodo casulam non accipiat de altari, nec ss. Sacramentum sit expositum. Recole n. 124. ad 7. Deinde incipit Missam.

De Aspersione aquae benedictae praesente Episcopo, vide suo loco.

## Caput III.

### *De Celebrante in Missa solemni.*

**238.** — 1. Celebrans indutus sacris paramentis stans detecto capite versus crucem sacristiae, ministrante Diacono naviculam et Thuriferario a dexteris Diaconi thuribulum, manu sinistra pectori admota, dextera ter thus mittit in thuribulum, dicens ad primam injectionem: *Ab illo benedicaris*, ad secundam: *in cujus honore*[1]), ad tertiam: *cremaberis. Amen.* Quo facto et restituto cochleari, jungit manus ante pectus et statim sinistrâ infra pectus posita, dexterâ signum crucis format super thus in thuribulo nihil[2]) dicens. Recole dicta n. 234. ad 1.

Incenso imposito, detecto capite, cruci sacristiae caput profunde inclinat et Ministros salutantes inclinatione modica resalutat[3]), deinde capite cooperto cum Ministris progreditur ad altare.

---

[21]) Vide notam 17. — [22]) *S. R. C.* 12. Sept. 1884 ad 4. — [23]) *Rub. miss.* spec. — [24]) *Herdt*, l. c. n. 133. — [25]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 14. n. 153. — [26]) *S. R. C.* 17. Dec. 1888 ad 8. — [27]) *S. R. C.* 4. Apr. 1699 ad 3. et 22. Mart. 1862 ad 4. 5.

[1]) Honore, non — honorem. Cf. *Eph. lit.* 1890 pag. 331. — [2]) *Rit. cel.* miss. IV. n. 4.; *S. R. C.* 18. Dec. 1779 ad 23. — [3]) *Martinucci*, lib. I. cap. 14. n. 101.

2. Quum ante infimum gradum pervenerit, stans inter Diaconum et Subdiaconum caput detegit, birretum Diacono tradit, ac facta Cruci altaris profunda corporis inclinatione, vel, si in tabernaculo clauso adsit ss. Sacramentum, facta in plano[4]) simplici genuflexione, peragit Aspersionem aquae benedictae, si facienda sit, secus immediate Sacrum exorditur. Ad Confessionem profunde inclinatus proferens verba *Vobis fratres* et *Vos fratres,* aliquantulum se convertit primo ad Diaconum, deinde, quin se erigat aut pedes moveat, ad Subdiaconum, quod similiter facit, sed cum parva tantum capitis inclinatione, dum postea dicit *Misereatur vestri.*[5])

3. Dicto *Oremus* ascendit ad altare, quo osculato stans in medio, facie versa ad cornu Epistolae, incensum imponit modo supra explicato. Quo facto thuribulum accipit e manibus Diaconi et ad altare conversus Cruci altaris profunde caput inclinat, vel, si ss. Sacramentum in tabernaculo asservetur, genuflectit[6]) et Crucem adolet tribus ductibus simplicibus i. e. linea recta neque ad dexteram neque ad sinistram faciendis, morula interposita inter singulos ductus. Mox iterata inclinatione vel, propter inclusum ss. Sacramentum, genuflexione, incensat altare et quidem primo in latere Epistolae: *a)* ter super posteriorem partem mensae in aequali distantia versus candelabra, procedendo a medio altaris usque ad cornu Epistolae; *b)* bis cornu Epistolae ad partem lateralem inferiorem et superiorem; *c)* ter anteriorem partem mensae in superficie, progrediendo a cornu Epistolae ad medium altaris. Incensat deinde in latere Evangelii: *a)* ter super posteriorem partem mensae in aequali distantia versus candelabra, procedendo a medio altaris usque ad cornu Evangelii; *b)* bis cornu Evangelii ad partem lateralem inferiorem et superiorem; *c)* ter anteriorem partem mensae in superficie sicut in cornu Epistolae, sed non progrediendo plane usque ad medium altaris; *d)* frontem altaris in latere Evangelii, progrediendo usque ad medium altaris. Transeundo demum

[4]) *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 51. — [5]) Cf. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 31. — [6]) *Rit. cel.* miss. IV. n. 6. Idem faciendum est coram Reliquia s. Crucis. *S. R. C.* 23. Maji 1835.

versus partem Epistolae frontem altaris a medio usque ad cornu Epistolae etiam ter thurificat. Absoluta altaris incensatione thuribulum Diacono reddit nihil dicens et stans junctis manibus in suppedaneo ad cornu Epistolae, latus sinistrum habens versus altare, tribus ductibus incensatur a Diacono, cui post incensationem modica inclinatione respondet.[7])

Advertat autem Celebrans in hac altaris incensatione: *a)* ut eam peragendo nihil omnino dicat; *b)* ut manum sinistram, summitatem thuribuli tenentem, ex parte palmae pectori applicet, eamque sub tota incensatione immobilem teneat, dextera vero sola thuribulum sustineat et dirigat[8]); *c)* ut, dum incensando procedit, semper pedem altari proximum prius moveat quam alterum, nec plures faciat passus, quam det thuribuli ductus[9]); *d)* ut in thurificanda mensa altaris thuribulum non projiciat in altum, sed prope altaris superficiem in aequali distantia linea recta, non autem in modum semicirculi ducat[10]); *e)* ut, quotiescunque e medio altaris discedit vel in medio altaris transit, faciat vel simplicem genuflexionem vel profundam capitis inclinationem, prout tabernaculum cum Sanctissimo adest vel non[11]); *f)* ut in peragendis his genuflexionibus ad sustinendum corpus manum sinistram summitatem thuribuli tenentem ponat super altare, cavens ne thuribulum, cujus catenulas dextera tenet, antipendium tangat.

Si adsint Reliquiae aut Imagines Sanctorum cum vel sine Reliquiis inclusis[12]), Celebrans incensata Cruce altaris factaque illi profunda capitis inclinatione vel Sanctissimo incluso simplici genuflexione, quin e medio discedat, incensat absque praevia reverentia aut subsequente primum eas, quae sunt a parte Evangelii duobus ductibus, etiamsi fuerit major numerus Reliquiarum vel Imaginum, dein, facta iterum inclinatione vel genuflexione ut supra, Reliquias vel Imagines a parte

---

[7]) *Martinucci,* l. c. lib. 1. cap. 14. n. 108. — [8]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 8. — [9]) *Caer. Ep.* l. c.; *Carpo,* l. c. pars 2. n. 135. — [10]) *Martinucci* l. c. lib. 1. cap. 5. not. 5. nota *a.* — [11]) *Rit. cel.* miss. IV. n. 4. 6. — [12]) *S. R. C.* 21. Mart. 1744 ad 4.; cf. *Eph. lit.* 1893 pag. 364.

Epistolae collocatas item duobus ductibus. Tum nulla prorsus adjecta alia reverentia progreditur ad incensationem altaris in parte Epistolae ut supra.

4. Immediate post incensationem altaris et sui ipsius Celebrans conversus ad missale legit Introitum, sicut in Missa privata, quo recitato permanens in cornu Epistolae alternatim cum Diacono et Subdiacono dicit *Kyrie eleison* more solito. Postea vadit ad medium altaris exspectans ibi finem cantus et organi, manibus interim junctis[13]) ante pectus. Finito cantu organoque silente, hymnum angelicum intonat.

Si propter longiorem cantus *Kyrie* protractionem voluerit sedere, observet ea, quae dicta sunt de sessione n. 234. ad 4. Sub finem *Kyrie* cantati birreto deposito se confert ad altare, quod de more osculatur,[14]) ibique stans in medio clara voce intonat: *Gloria in excelsis Deo*,[15]) quem hymnum cum Ministris submissa voce prosequitur. Si infra hymni cantum fiat sessio, observat omnia, quae observanda sunt, ut dictum est, advertens, ut cum Ministris caput detectum inclinet, dum a choro cantantur ea, ad quae caput inclinandum. Quae inclinationes etiam faciendae sunt ad altare, quando sessio non fit.

5. Si ante Orationes a Diacono dicendum sit *Flectamus genua*, Celebrans genu non flectit, sed cantato de more *Oremus* stat junctis ante pectus manibus.[16]) Deinde cantat Orationem more solito.

6. Epistola, quam Celebrans cum Graduali et Tractu etc. submissa voce legit, a Subdiacono decantata, Celebrans permanens in eodem loco, ad Subdiaconum ante se genuflexum se convertit et sinistra pectori admota, ipsi dexteram in libro Epistolarum positam oscu-

---

[13]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 314.; cf. *Eph. lit.* 1890 pag. 146. sq. — [14]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 19. n. 6. — [15]) Hymnus angelicus intonatur in tono de B. M. V. in festis Deiparae et quotiescunque Praefatio de Nativitate Domini praescribitur, etiam in omnibus festis infra octavam Nativitatis et Corporis Christi incidentibus. *S. R. C.* 25. Maji 1877 Dub. 1. 2. 3. — [16]) *Rit. cel.* miss. V. n. 5. et *Rub. gen.* miss. XVII. n. 3.

landam praebet, dein manus jungit et Subdiacono benedictionem largitur nihil dicens.[17])

7. Lecto ut in Missa privata Evangelio, Celebrans missale non osculatur nec dicit: *Per evangelica dicta etc.*,[18]) sed statim cum Ministris accedit ad medium[19]) altaris, ubi dicto a Diacono: *Benedicite, Pater reverende* incensum imponit cum benedictione consueta: *Ab illo benedicaris etc.* ut supra ad 1. Quo facto ad altare se convertit junctis manibus exspectans Diaconum benedicendum. Qui postquam genuflexus benedictionem petierit, Celebrans ad eum se convertit illique benedictionem impertit alta voce proferens: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et competenter annunties Evangelium suum. In nomine Patris et Filii † et Spiritus Sancti. Amen.*[20]) Mox dexteram super librum positam Diacono osculandam praebet, sinistram interim adhuc ex benedictione tenens ad pectus. Quo peracto manus jungit et sine ulla reverentia statim[21]) ad cornu Epistolae se recipit, ubi junctis ante pectus manibus exspectat facie ad altare versa, donec Diaconus incipiat *Dominus vobiscum;* tunc vertit se ad illum, sic consistens manibus ante pectus junctis et oculis demissis, donec cantus Evangelii finitus et ipse incensatus fuerit. Ad *Sequentia etc.* signat se more solito, ad ss. Nomen Jesu caput profunde inclinat convertendo se ad Crucem altaris,[22]) ad nomen Mariae aut Sancti, cujus fit Missa aut specialis commemoratio, caput inclinat versus librum[23]) Diaconi. Si sit genuflectendum, versus altare simplicem facit

[17]) Si infra Epistolam genuflexio praescribatur, v. g. ad: *In nomine Jesu omne genu flectatur*, Celebrans aut genuflectit cum Diacono, quando ista verba ipse pronuntiat, aut ita lente Epistolam recitat, ut cum Subdiacono ad illa verba genuflectere possit; si vero ℣. *Adjuva nos*, vel ℣. *Veni S. Spiritus* dicendus sit, qui etiam a choro cantatur, non genuflectit in legendo dicto versiculo, sed genuflectit cum ministris in ora suppedanei, quum a cantoribus cantatur; quod etiam Clerus in choro omnesque inservientes faciunt. *Schober*, Caer. art. 1. cap. 8. n. 1. — [18]) *Herdt*, l. c. l. n. 318. — [19]) Ibid.; *Martinucci*, lib. 1. cap. 14. n. 121.; *Wapelhorst*, cap. 8. art. 1. — [20]) *Amen* dicitur a Celebrante ipso, non a Diacono. Cf. *Rub. spec.* in ord. miss.; *Bauldry*, Manual. pars 3. cap. 11. art. 5. n. 18. — [21]) *Rit. cel.* miss. VI. n. 5. — [22]) Ibid. — [23]) Aut versus Imaginem, si in altaris loco principali esset posita.

genuflexionem, manibus super mensam positis. Finito Evangelio librum a Subdiacono allatum circa inferiorem partem utraque manu apprehendens, initium sacri textus osculatur dicens: *Per evangelica dicta etc.*, et stans in eodem loco tribus ductibus duplicibus a Diacono incensatur. Deinde convertens se ad dexteram procedit ad medium altaris et intonat, si dicendum sit, Symbolum.

8. Credo in Missa solemni dici debet post concionem non ante, juxta Rubricas missalis et consuetudinem Ecclesiae Romanae.[24]) Verba: *Credo in unum Deum* cantantur, residuum Symboli, adstantibus Ministris, recitatur ut in Missa privata. Quo recitato, si non sit sedendum, Celebrans persistit ad altare manibus junctis[25]) ante pectus, inclinans caput ad verba chori: *Jesum Christum* et *simul adoratur*. Ad verba *descendit de coelis* a choro cantanda ante *Et incarnatus est*, Celebrans, dextrorsum se vertens, cum Ministris sacris descendit ad supremum altaris gradum ibique in ora suppedanei utrumque genu flectit, ita genuflexus permanens cum profunda capitis inclinatione[26]) toto tempore cantus verborum: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est.* Quibus decantatis, et non prius, surgit et accedit iterum ad altare sine reverentia.

Si autem sessio fiat, ad verba *Et incarnatus est etc.* permanens in sede caput detectum profunde inclinat, exceptis tribus Missis Nativitatis Domini et Missa festi Annuntiationis B. M. V. vel, si festum transferretur, in die translationis. S. R. C. 16. Jun. 1663. In hisce enim Missis, etiamsi sessio fiat, accedit ad altare ibique in infimo gradu utrumque genu flectit[27]) cum profunda capitis inclinatione ut supra. Decantatis illis verbis, praemissa ad altare profunda corporis inclinatione vel ob inclusum Sacramentum genuflexione in primo gradu, cum Ministris redit ad sedes. Quoad sessionem observentur omnia dicta n. 234. ad 4.

9. Cantato *Oremus* versus Offertorii legitur submissa voce. Post hostiae oblationem, posita patena ad

[24]) *Rit. cel.* miss. VI. n. 6.; *S. R. C.* 16. Mart. 1591 ad 8. — [25]) *Herdt*, l. c. I. n. 314.; cf. *Eph. lit.* 1890 pag. 146. sq. — [26]) *S. R. C.* 23. Maji 1846 ad 8. — [27]) *Rub. gen.* miss. XVII. n. 3.

dexteram sub corporali, stans in medio altaris jungit manus, et dicto a Subdiacono *Benedicite, Pater reverende,* sinistra posita super altare benedicit aquam dicens more solito: *Deus, qui humanae substantiae etc.*, quam Orationem absolvit manibus ante pectus junctis. Calice oblato et in corporali collocato, Celebrans extremitatem manuum super pedem calicis ponit[28]) dum hic a Diacono palla obtegitur,[29]) quod quidem a Rubricis non praecipitur, sed communiter observatur, quotiescunque calix vel cooperiendus est vel detegendus.

10. Ante lotionem manuum fit incensatio Oblatorum, Crucis, Altaris, Celebrantis et Assistentium. Celebrans verbis consuetis invitatus a Diacono ter thus imponit dicens: *Per intercessionem beati Michaelis Archangeli* (imponit primo) *stantis a dexteris altaris incensi* (imponit secundo) *et omnium electorum suorum* (imponit tertio, deinde reddito cochleari manus jungit et suo tempore thus injectum benedicit) *incensum istud dignetur Dominus bene† dicere* (iterum manus jungit) *et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Tunc accepto a Diacono thuribulo, quod sustinet modo superius exposito, nulla facta ad Crucem reverentia, incensat Oblata tres cruces thuribulo efficiens super calicem et hostiam simul linea recta et transversa eodem prorsus modo, quo manu effici solent in iis benedicendis. Ad primam crucem dicit: *Incensum † istud*, ad secundam: *a te † benedictum*, ad tertiam: *ascendat † ad te Domine.* Vide tabulam I. appositam, in qua tamen tres cruces inter se distantes apparent, quia in eâdem lineâ verba proferenda sculpi nequibant. Sacerdos vero dictas cruces faciat in eadem linea et in eodem loco. Quod valet etiam de circulis in secunda tabula.

Post tres cruces facit tres circulos in modum coronae circum hostiam et calicem, incipiens inter hostiam et semetipsum, circumducens thuribulum in primis duobus circulis a dextera ad sinistram, in tertio autem a sinistra ad dexteram prope mensam altaris, quin tamen

---

[28]) *Herdt*, l. c. I. n. 322. — [29]) Calicem nec cooperit nec detergit Celebrans ipse; officium enim istud Diaconi est. *Martinucci*, l. c. lib. 1. cap. 14. n. 129.

## TABULA I.

*In qua delineatur Ordo incensandi Oblata per modum Crucis.*




## TABULA II.

*In qua continuatur Ordo incensandi Oblata per modum circuli.*



corporale tangat. Ad primum circulum pronuntiat: *Et descendat super nos*, ad alterum: *misericordia*, ad tertium: *tua*. Vide tabulam II.

Post haec facta Cruci profunda capitis inclinatione, vel Sanctissimo incluso simplici genuflexione, quod deinceps semper observatur, quotiescunque infra thurificationem transit ante medium altaris,[30]) uno circiter passu recedit ab altari et ter incensat Crucem altaris, sicut ad Introitum, dicens[31]) ad singulos ductus:

1. *Dirigatur, Domine, oratio mea,*
2. *sicut incensum,*
3. *in conspectu tuo.*

Facta deinde Cruci profunda inclinatione vel incluso ss. Sacramento simplici genuflexione, immediate procedit ad incensandum altare eodem ac ad Introitum modo, verba ad singulos ductus ita distribuens:

In cornu Epistolae:

| | |
|---|---|
| 4. *Elevatio*<br>5. *manuum*<br>6. *mearum* | A media mensa usque ad candelabra, linea recta tres ductus. |
| 7. *sacrificium* | In cornu Epistolae inferiori. |
| 8. *vespertinum.* | In cornu Epistolae superiori. |
| 9. *Pone Domine*<br>10. *custodiam*<br>11. *ori meo* | Ab ora mensae usque ad medium ejusdem, linea recta tres ductus. |

In cornu Evangelii:

| | |
|---|---|
| 12. *Et*<br>13. *ostium*<br>14. *circumstantiae* | A media mensa usque ad candelabra, linea recta tres ductus. |
| 15. *labiis* | In cornu Evangelii inferiori. |
| 16. *meis* | In cornu Evangelii superiori. |
| 17. *Ut non*<br>18. *declinet*<br>19. *cor meum* | Ab ora mensae usque ad medium ejusdem, linea recta tres ductus. |
| 20. *in*<br>21. *verba*<br>22. *malitiae* | In fronte altaris linea recta tres ductus. |

[30]) *Rit. cel.* miss. IV. n. 6. — [31]) Verba incensationis incipienda sunt simul cum incensatione Crucis. *S. R. C.* 5. Mart. 1870 ad 2.

In cornu Epistolae:

| | |
|---|---|
| 23. *Ad excusandas* | In fronte altaris linea recta tres ductus. |
| 24. *excusationes* | |
| 25. *in peccatis.* | |

Si super altari existant Reliquiae vel Imagines Sanctorum, tunc Celebrans post incensatam Crucem, facta ipsi profunda capitis inclinatione, vel Sanctissimo in tabernaculo recondito simplici genuflexione, incensat Reliquias vel Imagines, quin e medio altaris discedat aut aliquam reverentiam eis exhibeat, modo ad Introitum exposito, nihil dicens. Rubricis inspectis tam missalis quam Caeremonialis Episcoporum, communiori auctorum interpretatione, quae authentica dicenda est, verba satis laudabilius ita distribuenda sunt in thurificando altari, ut in thure adolendo Reliquias nihil dicatur.[32]) Reliquiis incensatis, nulla alia facta reverentia, prosequitur incensationem altaris ut supra.

Incensatione peracta thuribulum reddit Diacono dicens: *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam aeternae charitatis. Amen.* Deinde incensatur a Diacono eodem modo et in eodem loco, sicut ad Introitum, et lavat manus.

11. Praefatio, Oratio Dominica cum immediate praecedentibus, *Pax Domini* cum conclusione immediate praecedente, cantantur, in ceteris Sacrum peragitur more solito.

12. Post primam Orationem ante Communionem, depositis manibus extensis supra corporale, osculatur in medio altare et ad Diaconum conversus ei dat Pacem dicens: *Pax tecum,* sine praevia genuflexione aut capitis inclinatione ac sine sequente[33]) et caveat, ne pollicibus et indicibus humeros Diaconi tangat. Data Pace, ad altare conversus, Orationes prosequitur ut in Missa privata.

13. Ad ablutionem digitorum faciendam e medio altaris non discedit, sed manet in eodem loco paululum ad Subdiaconum conversus.[34]) Sumpta ablutione calicem

[32]) Ita *Eph. lit.* 1895 pag. 678. — [33]) *Herdt,* l. c. n. 328. — [34]) Cf. *S. R. C.* 22. Jul. 1848.; *Schober* in s. Alphonsi Lib. de caer. miss. cap. X. nota 32. et Caer. art 1. cap. 15. n. 2.; *Schneider,* Manual. Sacerd. de miss. priv. n. 10. in nota.

non[35] abstergit, sed purificatorio super os calicis posito Subdiacono operam remittit extergendi ac componendi calicem. Ipse vero sese statim ad cornu Epistolae confert lecturus antiphonam, quae dicitur Communio.

In Missis solemnibus ferialibus Quadragesimae dicto *Oremus*, Celebrans non cantat *Humiliate capita vestra Deo,* sed Diaconus, dein Celebrans ipse cantat more solito Orationem super populum.[36]

14. Cantato post Orationes *Dominus vobiscum* Celebrans ipse nec cantat nec secreto dicit[37] *Ite Missa est*, sed conversus ad populum oculis demissis et manibus ante pectus junctis auscultat Diaconum verba ista canentem, nec prius se convertit ad altare, quam Diaconus cantum absolverit.[38] Dicit autem, quando dicendum est, voce submissa et conversus ad altare *Benedicamus Domino* et *Requiescant in pace*, quia haec verba sunt preces ad Deum.[39]

15. Dicto subinde *Placeat* benedictionem populo impertit eadem voce eodemque modo ac in Missa privata,[40] et ultimum Evangelium legit ut alias, deinde reversus ad medium altaris ante infimum gradum descendit, ubi facta profunda capitis inclinatione aut simplici genuflexione in plano ut in initio Missae, caput cooperit et in sacristiam revertitur. Ibi nudato capite profundam capitis inclinationem facit cruci, salutationi Ministrorum inclinatione modica respondet et in loco usitato paramenta deponit.

**239.** Si adsit chorus, Celebrans cum assistentibus in accessu ad altare et in recessu ab eodem salutat Clerum in choro.

In a c c e s s u, simulac in presbyterium pervenerit, paulum consistens detegit caput et salutat inclinatione minima chorum, primo in latere Evangelii deinde Epistolae. Qua salutatione peracta, adhuc capite detecto via recta procedit ad altare, ante cujus gradus facit debitas reverentias.

---

[35]) Cf. *Rit. cel.* miss. XI. n. 3. — [36]) *Rub. miss.* spec. fer. IV. linea. — [37]) *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 36. — [38]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8 n. 78.; *Herdt,* l. c. n. 332. — [39]) *S. R. C.* ibid. — [40]) *Rit. cel.* miss. XII. n. 7.

In recessu ab altari, facta de more ante gradus debita reverentia et reassumpto birreto non tamen capiti imposito, minima inclinatione reveretur chorum, primo a latere Evangelii dein Epistolae, et capite adhuc nudato e presbyterio excedit, in cujus aditu cooperit caput et ad sacristiam proficiscitur.[41]) Sed hae reverentiae faciendae sunt Clero solummodo in casu, si chorus sit in anterioribus lateribus presbyterii, ita ut Celebrans ante Clerum in choro congregatum transire teneatur, non autem si chorus habeatur retro post altare, quia tunc nulla Choralibus in accessu et recessu debetur reverentia.

Coram exposito Sanctissimo [42]) et praesente Episcopo omittuntur dictae salutationes. Recole n. 106. ad 3.

## Caput IV.

### *Observationes generales circa Missam cantatam.*

**240.**—1. Sicut non licet Missam solemnem celebrare sine incensatione,[1]) ita non licet sine speciali Indulto apostolico [2]) celebrare Missam cantatam cum incensatione, nec in casu, quando Missa cantatur coram exposito ss. Sacramento, quia tunc Sanctissimum incensatur tantum post expositionem et ante repositionem.[3])

2. Celebrans in hac Missa cantat omnia, quae in Missa solemni cantantur sive a Celebrante sive a Ministris sacris, excepta Epistola, quam cantat Lector, si adsit.[4]) Cuncta vero, quae in Missa privata dicuntur alta voce et in Missa solemni non cantantur, submissa i. e. ministris intelligibili [5]) voce proferuntur, excepta benedictione in fine Missae, quae clara voce dicitur, sicut in Missa privata et solemni.

3. Juxta Rubricas in Missa cantata Lector cantat Epistolam in loco consueto. Perinde est, sive hic sit Sacerdos, sive Diaconus aut Subdiaconus, sive Acolythus,

---

[41]) *Martinucci*, l. c. lib. 1. cap. 14. n. 104. 106. et lib. 2. cap. 4. n. 22. 226. — [42]) *S. R. C.* 31. Aug. 1793.

[1]) *S. R. C.* 29. Nov. 1856 ad 6. — [2]) *S. R. C.* 9. Jun. 1884 ad 6. — [3]) *S. R. C.* 18. Mart. 1874 ad 1. — [4]) *Rit. cel.* miss. VI. n. 8. Cf. *Schober*, Caer. art. 5. cap. 1. n. 2. 3. — [5]) *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 14.

modo sit vere Lector i. e. in ordine Lectoratus constitutus; et si nec hic haberi possit, quilibet Clericus sufficienter instructus adhiberi potest;[6] si autem nec Clericus adsit, Celebrans ipse eam cantat vel legit sine cantu.[7]

4. Si Missa cantata celebratur cum Clerico, sive sit Acolythus, sive tonsuratus tantum, hic potest folia vertere, calicem discooperire, ipsumque mundare, vinum et aquam infundere, eundem calicem infra actionem palla cooperire et discooperire, et ipsum tergere post Communionem suisque ornamentis instruere.[8]

5. Clericus regulariter genuflexus assistit Missae sicut alias minister in Missa privata, et quidem ad preces in exordio Missae in plano, in reliquis Missae partibus autem in primo gradu.[9] Quum vero S. R. C. ei permittat peragere ea, quae sub n. 4. proxime praecedenti enumeravimus, sequitur, ipsum infra Missam non in primo gradu genuflexum manere, sed Celebranti ad altare assistere.[10]

## Caput V.

### *De Celebrante in Missa cantata.*

**241.** — 1. Accessus ad altare et recessus ab eodem fit sicut in Missis privatis, scilicet praeeuntem Clericum (ministrum) cum missali sequitur Celebrans cum calice. Potest vero Clericus ante Missam calicem ad altare deferre, super corporale explicatum collocare et missale apertum super altare ponere et tunc Celebrans manibus junctis ante pectus ad altare accedit.[1]

2. Infra Confessionem Celebrans ad verba *Vobis fratres, Vos fratres, Misereatur vestri* se non convertit ad ministrum, sed se gerit sicut in Missis privatis.

3. *Kyrie eleison* dicitur in cornu Epistolae, si Clericus sub Introitu assistat ad latus Celebrantis, alioquin

---

[6]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 300. Cf. *S. R. C.* 22. Jul. 1848 ad 5. — [7]) *S. R. C.* 23. Apr. 1875. — [8]) *S. R. C.* 25. Sept. 1875 ad 1. Cf. *Eph. lit.* 1894 pag. 426. sq. — [9]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 16. n. 6.; *Bauldry*, pars 3. cap. 12. n. 4. — [10]) *Herdt*, l. c. ad III.

[1]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 300. *Eph. lit.* 1893 pag. 308.

dicitur in medio altaris, sicut in Missis privatis.[2]) Si cantus *Kyrie* protrahatur, potest sedere.

4. Juxta supra n. 240. ad 2. dicta Celebrans cantat: *Gloria in excelsis Deo; Dominus vobiscum*, praeterquam post Confessionem; *Oremus*, quotiescunque occurrit, excepto initio Missae; Collectas cum conclusionibus; Epistolam (vide n. 240. ad 3.) et Evangelium; *Credo in unum Deum*; Praefationem; Orationem Dominicam; *Per omnia saecula saeculorum* cum *Pax Domini etc.*; Postcommuniones cum conclusionibus; *Ite Missa est; Benedicamus Domino; Requiescant in pace.*

5. Infra cantum hymni Gloria Celebrans potest sedere. Si non sedeat, toto tempore junctis ante pectus manibus remanet ad altare, caput inclinans ad verba cantata inclinationem exigentia. Si, recitato hymno, voluerit sedere, facta in suppedaneo profunda inclinatione Cruci, vel simplici genuflexione ss. Sacramento in tabernaculo incluso, via breviori i. e. per latus Epistolae ad paratum scamnum progreditur; si vero scamnus paratus sit in anteriori parte presbyterii versus latus Epistolae, via longiori pergit ad sedem i. e. per anteriores altaris gradus, facta prius in suppedaneo profunda capitis inclinatione, in infimo gradu autem simplici genuflexione vel capitis inclinatione, prout in altare adest tabernaculum cum Sanctissimo incluso vel non. Infra sessionem ad verba inclinationem exposcentia caput detegit et inclinat.

6. Quoad Orationes meminerit Celebrans, in festis duplicibus secundae classis praetermittendas esse Orationes imperatas [3]) et Commemorationem Simplicis, non autem festi ad modum Simplicis redacti.[4])

7. Pro cantanda Epistola monet Rubrica: »Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum Celebrantis«.[5]) Lector igitur circa finem ultimae Orationis accipit librum Epistolarum de credentia et facta genuflexione in medio ante altare, de more cantat Epistolam

---

[2]) *Herdt*, l. c.; *Wapelhorst*, pars 1. cap. 9. art. 1. n. 3. — [3]) Recole n. 201. ad 1. *d.* — [4]) *Rub. gen.* miss. VII. n. 1. — [5]) *Rit. cel.* miss. VI. n. 8.

in loco consueto, sicut Subdiaconus in Missa solemni; qua cantata non osculatur manum Celebrantis neque ab eo benedicitur, sed facta genuflexione in medio infimo gradu, librum defert ad credentiam, missale Celebrantis autem ad cornu Evangelii, in transitu genuflexione simplici in medio infimo gradu facta. Celebrans post Epistolam sibi ipsi respondet *Deo gratias.*

8. Ad Credo se gerit sicut ad Gloria. Si non sedeat, ad cantum verborum *descendit de coelis* dextrorsum se vertens descendit ad supremum anteriorem gradum ibique in ora suppedanei utrumque genu flectit in medio altaris et caput profunde inclinat, sicut in Missa solemni, ad cantum verborum: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est.* Quibus verbis cantatis se erigit, ad altare ascendit ibique stat ut antea.

Si autem sedeat, ad cantum verborum horum caput detegit et profunde inclinat. In die Nativitatis Domini et in festo Annuntiationis B. M. V. vel in die translationis ejusdem, ad praedicta verba, relicto in sede birreto, accedit ad altare ibique in primo gradu ita et tamdiu genuflectit ac modo diximus de genuflexione in ora suppedanei. Cantato *Et homo factus est* surgit et reverentia ad altare facta ad sedem redit.

9. Incensationes omnino prohibentur tum ante Introitum, tum ad Evangelium, Offertorium et Elevationem, sicut dictum est n. 240. ad 1. Pax non datur nisi cum instrumento, quod tamen non est ubique in usu.

# Tractatus V.

## De Missis et Functionibus coram exposito ss. Sacramento.

### Caput I.

***Regulae generales pro Celebrante in Missis coram exposito ss. Sacramento.***

**242.** — 1. Exposito ss. Sacramento in altari, in quo ss. Missae sacrificium celebrandum est, Celebrans bis genuflectit utroque genu in plano cum profunda capitis

inclinatione, nimirum in primo accessu ad altare expositionis ante Missam et in recessu ab eodem post Missam. Reliquae genuflexiones intra Missam fiunt unico genu.[1])

2. Unum genu flectit Celebrans in medio altaris propter expositum Sanctissimum: *a)* quotiescunque ad medium altaris accedit, sive per gradus e. g. in principio Missae facta in plano Confessione, sive ab alterutro cornu altaris e. g. post Orationes; *b)* quotiescunque e medio altaris recedit, sive per gradus in planum sive ad alterutrum cornu; *c)* quotiescunque ante medium altaris transit, etiamsi modo sit inclinatus aut mox sese inclinaturus e. g. ad *Munda cor meum.*[2])

3. Si inter accessum ad medium altaris et recessum ab eodem habeatur mora, dummodo non sit brevissima, bis genuflectitur, nempe statim post accessum et immediate ante recessum, idque in sequentibus casibus: *a)* in principio Missae ante et post positionem et aptationem calicis super corporale, antequam Celebrans accedat ad aperiendum missale in cornu Epistolae; *b)* ante et post orationem *Oramus te Domine* etc.; *c)* ante et post *Munda cor meum* etc. Si autem mora sit brevissima, semel tantum genuflectitur e. g. in accessu ad medium altaris ad dicendum *Dominus vobiscum* ante osculum altaris, non autem post osculum, quia intercedit brevissima tantum mora, dandi scilicet osculi; item in fine Missae peractis precibus in gradibus semel tantum genuflectit, nimirum antequam accipiat calicem, non autem postquam eum accepit, licet intercesserit calicis aptatio.[3])

4. Quotiescunque Celebrans vertere se debet ad populum, genuflectit antequam se ad eum vertat et postquam iterum ad altare se convertit, et tunc si jam est in medio altaris, prius osculatur altare et dein genuflectit e. g. post recitatum *Gloria* et *Credo,* quando autem modo accedit ad medium altaris, prius genuflectit et postea osculatur altare.[4])

5. Quando in accessu ad medium altaris elevandi sunt oculi, uti ante *Munda cor meum* vel *Suscipe s. Tri-*

[1]) *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 51. et 53. — [2]) *Herdt,* S. Lit. Prax. II. n. 33. ad 3. — [3]) Ibid. ad 4. — [4]) *Martinucci,* lib. 1. cap. 21. n. 4.

*nitas,* Celebrans prius [5] oculos elevat ad ss. Sacramentum statimque demittit, postea genuflectit et dicit orationem convenientem.

6. Caveat Celebrans, ne unquam tergum vertat Sanctissimo, ideoque se vertens ad populum vel descendens per gradus, aliquantulum se retrahat e medio altaris versus cornu Evangelii facie versa ad cornu Epistolae, in descensu per gradus insuper faciendo semicirculum versus cornu Evangelii.

7. Omnes capitis inclinationes ob cultum latriae fieri solitae, ad Nomen scilicet Jesu et ss. Trinitatis, ad *Gloria Patri* et *Oremus,* dirigendae sunt ad ss. Sacramentum, etiam infra Evangelium.[6] Idem dicendum est de oculorum elevationibus.[7] Omnes pariter genuflexiones tam intra [8] quam extra Evangelium faciendae sunt versus Sanctissimum expositum, si excipias genuflexionem ad *Flectamus genua* in Missis ferialibus, quae facienda est versus librum.[9]

8. Quoad Orationem pro commemoratione ss. Sacramenti vide sect. 4. tract. 2. cap. 14. n. 191. sq.

9. Eaedem regulae observandae sunt etiam, dum ss. Sacramentum velatum vel in pyxide ad adorationem exponitur.[10]

## Caput II.

### *Ritus Missae privatae coram exposito ss. Sacramento.*

**243.** Ritus hujus Missae idem est ac in aliis Missis privatis ordinariis. Quae ob venerabile Sacramentum peculiares ejus sint caeremoniae, facile eruitur partim e regulis generalibus praemissis, partim ex adnotationibus sequentibus.

1. Si ss. Sacramentum in altari, in quo celebrandum est, jam sit expositum, Sacerdos veniens in conspectum

---

[5] *Gardellini,* Comment. in Instr. Clement. § 30. n. 27. — [6] *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 122.; *Carpo,* pars 2. n. 64.; *S. R. C.* 30. Nov. 1895 ad 4. — [7] *Herdt,* l. c. n. 129.; *Carpo,* ibid. — [8] *S. R. C.* 30. Nov. 1895. ad 4.; *Zualdi,* Caer. pag. 19. — [9] *S. R. C.* 18. Febr. 1843.; *Martinucci,* lib. 1. cap. 21. n. 11. — [10] *S. R. C.* 22. Dec. 1753 ad 13.

Sanctissimi, caput detegit [1]) et birretum vel ministro tradit vel, quod melius, manu dextera bursae calicis innixa tenet cum apertura versus pectus, dein progreditur ad altare. Quo quum pervenerit, se gerit prout dictum est in regula generali 1.

2. Si Sanctissimum nondum sit expositum, sed nunc exponendum, Celebrans more solito accedit ad altare. Birreto deposito et genuflexione simplici in plano facta, ascendit per gradus, calicem circumcirca velo suo coopertum collocat versus cornu Evangelii, explicat corporale, aperit tabernaculum, genuflectit, extrahit ostensorium cum Sanctissimo ponitque in corporali, tabernaculum claudit et Sanctissimum sine nova genuflexione [2]) exponit super corporale in throno tabernaculi. Quo facto genuflectit, descendit (cf. reg. gen. 6.) in planum et super infimum gradum in genua procumbit cum profunda capitis inclinatione. Sine mora surgens [3]) imponit incensum absque benedictione et nihil dicens. Deinde genuflexus in infimo gradu Sanctissimum tribus ductibus duplicibus incensat cum profunda capitis inclinatione ante et post incensationem [4]) et morula interposita inter singulos ductus. Tunc assurgit, ascendit, genuflectit ad altare, calicem in corporali more solito collocat, iterum genuflectit, accedit ad missale in cornu Epistolae, Missam diei perquirit, redux in medio altari denuo genuflectit, descendit in planum et incipit Missam.

Si benedictio cum ss. Sacramento danda sit ante Missam, detur post incensationem ante expositionem. Qua data Sanctissimum exponitur et iterum incensatur.

Si expositio et Missa alio in altari facienda sit, Celebrans manibus junctis ante pectus egreditur e sacristia ad altare ss. Sacramenti sine calice, quem vel ipse vel alius Sacerdos antea ad altare attulit. Facta de more ante altare ss. Sacramenti reverentia, Celebrans more solito Sanctissimum e tabernaculo extractum in altari super corporale deponit, deinde descendit, thus

---

[1]) *Gardellini*, Comment. in Instr. Clement. XXX. n. 25.; *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 15. n. 1.; *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 33. ad 1. — [2]) *Herdt*, l. c. n. 26. pag. 55. — [3]) *S. R. C.* 26. Mart. 1859 ad 3. — [4]) Ibid.

imponit, incensat ut supra. Post incensationem accipit a ministro velum super humeros, ascendit ad altare, genuflectit, ostensorium accipit manibus sub velo humerali positis, se vertit ad populum et Sanctissimum tenens ante faciem transfert ad altare expositionis, ubi illud statim deponit in loco parato eminentiori. Deinde genuflectit, descendit in planum, deposito velo humerali Sanctissimum incensat, in omnibus se gerens uti supra.

3. In exordio Missae, postquam descendit in planum ad faciendam Confessionem, genuflectit unico genu in primo gradu.[5] Vide n. 242. ad 1.

4. Facta Confessione, antequam ascendat ad altare, non genuflectit, sed postquam pervenerit ad medium altaris ante orationem *Oramus te Domine etc.* Facta genuflexione osculatur altare de more et post orationem iterum genuflectit, antequam discedat ad cornu Epistolae ad legendum Introitum. Reg. gen. 3.

5. Ante *Lavabo* in cornu Epistolae descendit in planum, ubi per suam sinistram ad populum conversus lavat digitos, eosque de more abstergit et ascendit in suppedaneum ad absolvendum psalmum in loco solito.

6. Ad *Orate fratres* se paululum retrahit ad cornu Evangelii (reg. gen. 6.), non tamen perficit circulum. sed per eandem viam revertitur ad medium altaris, ubi genuflectit. In ulteriori decursu usque ad Communionem Missam prosequitur de more.

7. Postquam purificationem hauserit, posito calice super corporale, genuflectit; dein calice more solito apprehenso, adit cornu Epistolae,[6] et facta ibi digitorum ablutione, digitisque extersis, ad medium altaris reversus, iterum genuflectit.

8. Ad benedictionem populi, dicto *Placeat* osculatur altare, deinde pronuntiatis verbis *Benedicat vos omni-*

---

[5]) Auctores communiter. Cf. *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 51. 53. — [6]) *Carpo,* pars 2. n. 69.; *S. Alphonsus,* cap. 15. n. 7.; *Meratus*, pars 2. tit. 14. n. 19. ad 22.; *Cavalieri*, tom. 4. cap. 8. n. 30. ad 14.; *Gardellini*, Comment. in Instruct. Clement. § 30. n. 29.; *Bauldry,* pars 3. cap. 17. n. 19. 20. et pars 4. cap. 9. art. 2. n. 12.; *Herdt.* S. Lit. Prax. II. n. 33. ad 9.; *Bouvry*, Expos. Rubr. tom. 2. pag. 376.; *Schober*, In S. Alph. lib. de caer. miss. cap. 10. not. 32. et cap. 15. not. 8.

*potens* ad vocem *Deus* caput non inclinat, sed genuflectit; mox conversus ad populum in cornu Evangelii, ut supra ad *Orate fratres,* benedictionem impertit ritu consueto. Qua data circulum non perficiens eadem via i. e. per suam dexteram revertitur, non quidem ad medium altaris neque iterum genuflectens, sed immediate transit ad legendum ultimum Evangelium.

9. Ante ultimum Evangelium, sive Sanctissimum expositum sit in mensa altaris, uti feria quinta in Coena Domini, sive in throno tabernaculi, uti communiter fieri solet, non signat altare, sed tabellam aut librum et seipsum; si neque tabella neque liber adsit, vel sola tabella longius distans, seipsum solum signat.[7]) Ratio hujusce signi omissionis est, quia praesente exposito Sacramento, quod est realitas, consultius est, haud signare altare, quod est symbolum Christumque repraesentat.

10. Finita Missa, si Sanctissimum maneat expositum, Celebrans, antequam discedat ab altari, utrumque genu flectit in plano cum profunda capitis inclinatione (reg. gen. 1.) et revertitur in sacristiam, caput cooperiens extra conspectum ss. Sacramenti.

**244.** Si autem Sanctissimum statim sit reponendum, Celebrans finito ultimo Evangelio et genuflexione in medio altaris facta, calicem velo suo undequaque coopertum removet versus cornu Evangelii, corporale explicat, genuflectit et descendit per gradus ad recitandas preces post Missas privatas praescriptas. Quibus absolutis caput profunde inclinat, surgit,[8]) incensum imponit absque benedictione et genuflexus ter incensat Sanctissimum, profunda capitis inclinatione ante et post incensationem facta. Velo humerali assumpto ascendit ad altare, genuflectit, ostensorium de throno tabernaculi ponit in medio corporali, iterum genuflectit et manibus

[7]) *Rub. miss.* in Coena Domini; *Carpo,* Caer. pars 2. n. 70.; *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 33. ad 11. Praxis contraria a cl. *Martinucci*, lib. 1. cap. 21. n. 10. in nota propagata, signandi scilicet altare, quando Sanctissimum expositum est extra altare i. e. in throno tabernaculi, relinquenda videtur, et decretum *S. R. C.* 30. Dec. 1881 ad 14. eidem fortasse favens, inter revocanda aut mutanda, nisi mutata vel revocata, computari potest, juxta *Eph. lit.* 1896 pag. 30. sq. — [8]) *S. R. C.* 26. Mart. 1859 ad 3.

velo coopertis accipit ostensorium et conversus ad populum dat benedictionem cum Sanctissimo. Qua impertita se iterum convertit ad altare, ostensorio super corporale posito et genuflexione facta descendit in planum, velum humerale dimittit, in infimo gradu genuflexus incensat Sanctissimum ut supra, surgit, ascendit ad altare, genuflectit, tabernaculum aperit, Sanctissimum in eo reponit, genuflectit, ostiolum tabernaculi claudit, corporale complicat, in bursam immittit, accepto calice descendit et more solito in sacristiam revertitur.

Si Sanctissimum in alio altari recondendum sit, Celebrans benedictione impertita, quin se iterum ad altare convertat, eodem prorsus modo ostensorium ante pectus tenens, statim per gradus descendit et ad altare tabernaculi procedit. Ibi ostensorio in altari super corporale collocato et genuflexione facta descendit in planum et in infimo gradu genuflexus ss. Sacramentum incensat, de cetero se gerens ut supra.

**245.** Benedictio cum ss. Sacramento danda est hoc modo: Sacerdos accipit ostensorium dextera ad nodum, sinistra ad pedem, manibus coopertis veli humeralis extremitatibus. Dein vertit se ad populum per suam dexteram et ostensorium ante faciem tenens illud summâ cum reverentia elevat ex parte Hostiae non supra caput et eodem modo illud demittit infra pectus; mox iterum recta linea illud attollit fere usque ad faciem, deinde linea recta ad sinistrum humerum ducit et linea recta reducit ad dexterum. Tunc vel statim per cornu Evangelii ad altare se vertit[9]) perficiens circulum sicut ad *Orate fratres* in Missis privatis ordinariis et ostensorium in corporali deponit; vel, si ei placeat, ss. Sacramentum rursus ante pectus reducit ibique aliquantulum sistit,[10]) quasi peracta ad omnes mundi partes cruce, et ss. Sacramentum etiam venerandum omnibus praebet, tunc gyrum perficiens vertendo se versus cornu Evangelii, quin locum mutet, ostensorium in corporali super altare collocat.[11]) Infra benedictionem cum ss. Sa-

[9]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 33. n. 27. — [10]) *Bauldry*, pars 4. cap. 16. art. 3. n. 34. Uterque modus admittitur a *S. R. C.* 21. Mart. 1676 ad 2. — [11]) *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 31.

cramento Celebrans nihil dicere, cantores nihil quoque canere interim debent ad praescriptum Ritualis Romani et Caeremonialis Episcoporum non obstante quacunque contraria consuetudine,[12]) et oculi continuo in ss. Sacramentum ſigendi sunt. Item haec benedictio danda est, non quando pervenitur ad versiculum hymni *sit et benedictio,* sed in ſine hymni,[13]) id est expleto totaliter hymno, ne haec verba, quae referuntur ad *Genitori Genitoque,* ad populum referri videantur.[14])

De benedictione cum pyxide consule n. 249.

## Caput III.

### *Ritus Missae solemnis coram exposito ss. Sacramento.*

**246.** Generaliter loquendo, in Missa solemni coram exposito Sanctissimo a Celebrante et a Ministris sacris observandae sunt regulae traditae pro celebratione Missae tum solemnis ordinariae tum privatae coram exposito ss. Sacramento.

1. Utrumque genu flectunt Celebrans et Ministri sacri in accessu ad altare, in quo jam expositum est Sanctissimum et in recessu ab eodem, si in eo remaneat expositum ss. Sacramentum; in utroque casu ante gradus altaris in plano.[1]) Accedendo ad altare hujusmodi caput detegunt statim ac pervenerint in conspectum Sanctissimi, recedendo ab eodem autem caput cooperiunt, postquam ab ejusdem conspectu se subtraxerint.[2]) Facta post accessum genuflexione duplici in plano, statim assurgunt et sine ulla alia reverentia Missam incipiunt.

2. Intra Missam genuflexiones exsequuntur unico genu,[3]) etiam eae, quae faciendae sunt accedendo ad altare vel recedendo ab eodem, et eae, quae fiunt specialiter ratione ss. Sacramenti expositi, excepta genu-

[12]) *S. R. C.* 9. Febr. 1762. — [13]) *S. R. C.* 5. Febr. 1639. — [14]) *Herdt,* l. c. ad 4.

[1]) *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 51. — [2]) *Cavalieri,* tom. 4. cap. 8 § 30 et cap. 10. decr. 2. n. 4.; *Gardellini,* Comment. in Instr. Clem. § 30. n. 7.: *Herdt,* S. Lit. Prax. II. n. 36. ad 2.; *Carpo,* pars 2. n. 233. et 237. — [3]) *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 53.; *Cavalieri,* tom. 4. cap. 10. decr. 2. n. 2.

flexione intra incensationem Sanctissimi in supremo gradu altaris, quae fit utroque genu; quod valet tam pro Celebrante, quam pro Ministris sacris.[4] Dixi: etiam genuflexiones, quae fiunt specialiter ratione ss. Sacramenti expositi; nam genuflexio Subdiaconi ad accipiendam post cantatam Epistolam benedictionem et Diaconi ad petendam ante Evangelium cantandum benedictionem Celebrantis, nec non genuflexiones utriusque tam intra Consecrationem et Elevationem quam ad ultimam benedictionem, quae omnes utroque exsequuntur genu, non cadunt sub hac regula, quia non sunt faciendae propter Sanctissimum expositum, sed propter ritum Missae solemnis.

3. Diaconus et Subdiaconus genuflectunt: *a)* quotiescunque Celebrans genuflectit, excepto Subdiacono tenente librum ad Evangelium [4]) vel patenam ante gradus altaris; [5]) *b)* quotiescunque per gradus ad medium [6]) altaris ascendunt, vel ab eo descendunt, genuflectunt semper in loco, a quo, excepto primo ascensu ad altare post Confessionem in exordio Missae factam; tunc enim genuflexio fit non in loco, a quo i. e. in primo gradu, sed in loco, ad quem i. e. ad altare in suppedaneo; *c)* quotiescunque ab alterutro cornu ad medium altaris accedunt vel ab eo ad cornu recedunt, genuflectunt in medio ante Sanctissimum; *d)* quotiescunque ab uno cornu altaris ad alterum transeunt e. g. in translatione libri, genuflectunt in medio ante Sanctissimum; [7]) *e)* quando autem transeunt de uno latere Celebrantis ad alterum, genuflectunt prope Celebrantem utrimque i. e. in loco, a quo, et in loco, ad quem.[8])

4. Ob reverentiam tanti Sacramenti eo exposito cessant omnes reverentiae, quae aliis exhiberi solent

---

[4]) *Rub. gen.* miss. XVII. n. 4. — [5]) *S. R. C.* 11. Febr. 1764 ad 1. — [6]) Quid per medium altaris intelligendum sit, vide pag. 68. not. 5. — [7]) »Auctores in hoc casu non faciunt exceptionem a Missa solemni sine expositione Sanctissimi«, ait *Schober*, Caer. art. 4. cap. 2. not. 13. Cf. *Martinucci,* lib. 2. cap. 7. n. 24. et 42.; *Baldeschi*, Ausführl. Darstell. Anh. 1. art. 6. n. 42. ubi dicitur, Subdiaconum Epistola cantata et benedictione accepta librum transferre »in cornu Evangelii *more solito*«; *Hartmann,* Rep. Rit. § 174. n. 4. ad *c.* — [8]) *Baldeschi,* l. c. II. pars 1. cap. 6. not. pag. 232. et Anh. 6. art. 2. n. 11.; *Bauldry,* pars 4. cap. 16. art. 3. n. 2.

*Ad pag. 286.*

*Impresso jam libro novae prorsus a S. R. C. circa numerum et ordinem Orationum in Missis de Requiem statutae sunt regulae, quibuscum non conveniunt normae pag. 286. sq., nn. 255. et 256. propositae, juri veteri liturgico accommodatae. Quapropter in commodum Lectorum hic adiungimus ipsum*

# Decretum generale

## de Orationibus et Sequentia in Missis Defunctorum.

Ut omne tollatur dubium super Orationibus et Sequentia dicendis in Missis Defunctorum, Sacra Rituum Congregatio declarat:

I. Unam tantum esse dicendam Orationem in Missis omnibus, quae celebrantur in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis permittente ritu diebus III, VII, XXX, et die anniversaria, nec non quandocumque pro defunctis Missa *solemniter* celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat, uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu et in Anniversariis late sumptis.

II. In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis sive cum cantu, plures esse dicendas Orationes, quarum prima sit pro defuncto vel defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis quae inscribuntur in Missali, secunda ad libitum, ultima pro omnibus defunctis.

III. Si vero pro defunctis in genere Missa celebretur, Orationes esse dicendas, quae pro Missis quotidianis in Missali prostant; eodemque ordine quo sunt inscriptae.

IV. Quod si in iisdem quotidianis Missis plures addere Orationes Celebranti placuerit, uti Rubricae potestatem faciunt, id fieri posse tantum in Missis lectis, impari cum aliis praescriptis servato numero, et Orationi pro omnibus defunctis postremo loco assignato.

V. Quod denique ad Sequentiam attinet, semper illam esse dicendam in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis quae diebus ut supra privilegiatis fiunt: in reliquis, vel recitari posse vel omitti ad libitum Celebrantis iuxta Rubricas. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 30. Iunii 1896.

**CAI. Card. ALOISI-MASELLA** S. R. C. Praef.
**ALOISIUS TRIPEPI**, S. R. C. Secretarius.

honoris, non ritus ratione, secundum regulam: Exposito ss. Sacramento reverentia nemini[9]) debetur, nec Episcopo praesenti.[10]) Omittendae ergo sunt omnes salutationes chori, et etiam inclinationes ac genuflexiones ante Episcopum in accessu, recessu vel transitu. Non autem omittuntur inclinationes ante et post incensationem, quia in hoc casu veluti invitatio ad thurificationem existimandae sunt,[11]) neque post datam Pacem aut ad aliquid ministrandum, quia potius ritus quam honoris ratione fiunt.[12])

5. Quoad oscula in Missa solemni coram exposito Sanctissimo valet regula: Omittenda sunt oscula mere reverentialia i. e. quae stricte non pertinent ad ritum Missae solemnis, sed fiunt ob specialem Celebrantis reverentiam; qualia sunt oscula praestanda in traditione et receptione cochlearis, thuribuli, aspergilli, birreti. Praestanda autem sunt oscula ritualia seu ad ritum Missae solemnis pertinentia; qualia sunt: *a)* ex parte Celebrantis osculum libri Evangelii a Subdiacono ipsi delati; *b)* ex parte Diaconi osculum manus Celebrantis ante Evangelium cantandum et oscula patenae, calicis et manus Celebrantis ad Offertorium et iterum patenae et manus Celebrantis in fine Orationis Dominicae; *c)* ex parte Subdiaconi osculum manus Celebrantis post Epistolam cantatam.[13])

6. Si facienda sit Aspersio aquae lustralis, fit, antequam exponatur Sanctissimum; si autem fiat exposito jam ss. Sacramento, omnia peraguntur de more, omittitur aspersio altaris tantum.[14])

7. Prima altaris incensatio peragitur sicut in Missa solemni sine expositione. Quae incensationi in Missa solemni cum expositione peculiaria sunt, hic sequuntur: *a)* Celebrans incensum imponit stans non in medio altaris, sed paulisper versus cornu Evangelii facie veluti

9) *S. R. C.* 31. Aug. 1793. — 10) *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 6. — 11) *Martinucci*, lib. 2. cap. 7. n. 6. — 12) *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 155. et S. Lit. Prax. II. n. 36. ad 5. — 13) *Gardellini*, Comment. in Instr. Clement. § 30. n. 14.; *Bauldry*, pars 3. cap. 17. n. 8. — 14) *S. R. C.* 18. Jul. 1885 ad 2.

conversa ad cornu Epistolae,[15]) nullam faciens genuflexionem, quia non totaliter recedit e medio altaris, sed tantillum se retrahit.[16]) *b)* Thus benedicitur de more, non obstante Expositione, quia non solum Sanctissimum, sed et altare et Celebrans incensantur, secundum regulam: Si solum Sanctissimum sit thurificandum, nunquam debet thus benedici, sed simpliciter imponitur, si autem praeter ss. Sacramentum incensanda sint etiam alia e. g. Altare, Oblata, Celebrans, fit benedictio thuris.[17]) *c)* Crux altaris, si apponatur, quod est ad libitum,[18]) non incensatur,[19]) sed solum ss. Sacramentum. Celebrans igitur thure imposito et facta cum Diacono et Subdiacono ss. Sacramento simplici genuflexione,[20]) descendit ad supremum altaris gradum, ibique cum Ministris sacris in ora suppedanei[21]) utroque genu flexus, Sanctissimum tribus ductibus duplicibus incensat, morula interposita inter singulos ductus factaque ante et post incensationem profunda capitis inclinatione simul cum Ministris sacris toto incensationis tempore posteriorem planetae partem aliquantulum elevantibus, ceteris omnibus interim ad altare genuflectentibus. Absoluta Sanctissimi incensatione Celebrans cum Ministris sacris surgit et facta ad altare simplici genuflexione statim procedit ad incensationem altaris. Transeuntes ante medium altaris omnes simul genuflectunt simpliciter. De cetero incensatio fit more solito. *d)* Reliquiae et statuae Sanctorum tempore expositionis non sunt collocandae super altare,[22]) si autem non facile amoveantur, in thurificatione penitus ignorantur. *e)* Incensatione peracta et thuribulo reddito Celebrans in cornu Epistolae descendit in planum,[23]) ubi per suam sinistram conversus ad populum tribus ductibus duplicibus incensatur a Diacono ex adverso in plano stante, tergo ad populum converso, Subdiacono interim stante a sinistris Diaconi.

[15]) *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 36. ad 6.; *Carpo*, pars 2. n. 234. — [16]) *Gardellini*, l. c. § 30. n. 11. — [17]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 18. 19. — [18]) *S. R. C.* 2. Sept. 1741 ad 5. — [19]) *S. R. C.* 29. Nov. 1738 ad 5. — [20]) Cf. *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 36. ad 6. — [21]) Cf. *Schober*, Caer. art. 4. cap. 2. not. 6. — [22]) *S. R. C.* 2. Sept. 1741 ad 5. — [23]) *Merati*, tom. 1. pars 2. tit. 14. n. 8.; *Gardellini*, l. c. § 30. n. 12.; *Aertnys*, Caer. pag. 17.; *Bauldry*, pars 3. cap. 17. n. 6.

8. Infra Missam coram exposito ss. Sacramento convenienter non sedetur, sed si fiat sessio, quod ceterum licet, sedendum est capite detecto.[24]

9. Dum Diaconus absoluta Epistola librum Evangeliorum transfert ad medium altaris, non genuflectit in cornu Epistolae antequam discedat, sed tantum in medio infimo gradu et in suppedaneo ad altare, statim ac conscenderit et antequam librum super altare imponat.[25]

10. Lecto Evangelio Celebrans non movetur loco suo, sed stans in eodem loco conversus ad medium altaris imponit thus more solito. Quo imposito cum Ministris sacris accedit ad medium altaris et simul cum eis genuflectit. Diaconus in loco consueto genuflexus dicit *Munda cor meum*. Subdiaconus descendit in planum. Celebrans in medio altaris junctis ante pectus manibus exspectat Diaconum cantaturum Evangelium, cui antequam benedictionem impertiat, paululum se retrahit versus cornu Evangelii absque praevia genuflexione,[26] benedictionem daturus Diacono. Qua data ad medium altaris se convertit ibique simul cum Diacono genuflectit, quia transiturus est ad cornu Epistolae,[27] ubi stabit facie ad altare conversa, donec Diaconus inceperit cantum Evangelii, quo incepto se convertit ad Diaconum.

11. Ad incensationem libri Evangeliorum Diaconus se gerit sicut in aliis Missis solemnibus sine Expositione. Nulla ergo facienda est genuflexio versus Sanctissimum expositum ante et post dictam incensationem, quia nulla adest ratio eam faciendi; sed sufficit capitis inclinatio versus librum, ut alias ante et post incensationem.

Infra Evangelium cantandum Celebrans, Diaconus et Subdiaconus observant omnia, ut in aliis Missis solemnibus.[28] Celebrans scilicet, si genuflectendum sit, genuflectit versus Sanctissimum, si inclinatio facienda sit, ad ea, quae exigunt cultum latriae v. g. ad ss. Nomen Jesu vel ss. Trinitatis, caput inclinat versus Sanctissimum,

---

[24]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 33. n. 33.; *Gardellini,* l. c. § 25. n. 4. sq. — [25]) *Baldeschi,* l. c. Anh. 1. art. 6. n. 43.; *Martinucci,* lib. 2. cap. 7. n. 26. — [26]) Ratio est, quia non totaliter recedit e medio. — [27]) *Martinucci,* l. c. n. 27. 28. — [28]) *Schober,* Caer. art. 4. cap. 2. n. 7.

secus versus librum Diaconi; Diaconus omnes inclinationes et genuflexiones facit versus librum Evangeliorum; Subdiaconus stat immobilis, nullam faciens reverentiam.

Post Evangelium cantatum Subdiaconus Celebranti deferens librum apertum deosculandum, nullam facit reverentiam Sanctissimo, ante quod transit; post osculum libri autem et libro ipso clauso factaque Celebranti inclinatione flectit genu coram Sanctissimo vel in gradibus,[29]) antequam descendat, vel in plano,[30]) postquam descendit.

12. Ad Offertorium incensatio fit de more. Attamen *a)* Subdiaconus tenens patenam non genuflectit, dum Celebrans genuflexus cum Diacono in ora suppedanei thurificat Sanctissimum, sed omnino stat immobilis.[31]) *b)* Subdiaconus incensatur a Diacono stans ante medium altaris paulo regressus a loco suo versus cornu Evangelii, facta genuflexione in primo gradu ante et post incensationem,[32]) latere sinistro interim ad altare converso, Diacono autem stante in cornu Epistolae ad angulum graduum in plano, ubi incensaverat Celebrantem. *c)* Diaconus ipse incensatur a Thuriferario stans non in plano, sed in loco suo i. e. in secundo gradu[33]) paulo regressus a medio factaque genuflexione ante et post. *d)* Celebrans immediate post acceptam in plano sicut ad Introitum thurificationem, quin se a loco moveat, manus lavat et abstergit, facie ad populum versa.

13. Post primam orationem ante Communionem Celebrans non genuflectit ante dandam Pacem nec post datam, quia e medio altaris non recedit. — Post sumptionem ss. Sanguinis non movetur de medio altaris, sed stans in eodem loco accipit purificationem et ablutionem paulum conversus ad Subdiaconum.[34])

14. Diaconus dicturus *Ite Missa est* in loco suo genuflectit et vertit se ad populum dextrorsum i. e. facie

---

[29]) *Herdt*, l. c. ad 8. — [30]) *Martinucci*, l. c. n. 29. — [31]) *S. R. C.* 11. Febr. 1764 ad 1. — [32]) *Merati*, quem secutus est *Baldeschi*, l. c. n. 49. — [33]) *Martinucci*, l. c. n. 36.; *Carpo*, Caer. pars 2. n. 237.; *Schober*, Caer. art. 4. cap. 2. n. 11.; *Aertnys*, Caer. pag. 22. — [34]) *Martinucci* l. c. n. 41.; *Schober* in s. Alph. Lib. de Caer. miss. cap. 15. not. 8.

versa ad cornu Epistolae, aliquantulum se retrahendo versus cornu Evangelii. Post cantum conversus ad altare cum Subdiacono a sinistris suis in genua procumbit in ora suppedanei benedictionem accepturus.

15. Si post Missam solemnem benedictio cum ostensorio danda sit, Celebrans omnino assumere debet pluviale. Sic nuper S. R. C. declaravit.[35] Celebrans igitur simul cum Ministris sacris ad scamnum se conferat, et postquam ipse deposita casula et manipulo pluviale induerit, ac isti manipulos deposuerint, redeat cum Ministris ad medium altaris et benedictionem impertiat ritu praescripto. Vide n. 245.

## Caput IV.

### *De Expositione et Repositione ss. Sacramenti.*

### *§ 1. Regulae generales.*

**247.** Pro expositione publica hostia major praevie in Missa consecranda est, quo in casu duae hostiae majores consecrari debent, una pro sacrificio, pro expositione altera. Recole n. 224. Si Celebrans hostiam in ostensorio locandam consecrare omiserit, cujus omissionis recordetur post inceptum Canonem vel post Consecrationem demum, tunc, si expositio differri valeat, differatur, quum juxta communem sententiam auctorum incepto Canone hostiae pro Consecratione amplius apponi non possint sine causa gravissima. Vide n. 221. ad 2.

Si autem expositio differri nequeat, duplex casus distinguendus: *a)* Si aliae hostiae minores in eodem sacrificio sint consecratae, Celebrans unam ex illis sumat pro Communione, majorem scilicet post Consecrationem elevando, minorem deinde frangendo et sumendo. Ratio

---

[35]) Quaesitum fuit: »An quando immediate post Missam solemnem exponitur Ss. Sacramentum . . . liceat Celebranti benedictionem quoque cum eodem ss. Sacramento in fine daturo, retinere casulam cum manipulo, vel debeat potius assumere pluviale?« *S. R. C.* die 3. Jun. 1892 ad 8. respondit: Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam. Cf. etiam *Eph. lit.* 1892 pag. 104. sq. Idem dicendum est de benedictione ante Missam solemnem saltem per analogiam. Cf. *S. R. C.* 17. Dec. 1888 ad 8.

est, quia in casu vere participat de suo sacrificio. *b)* Si aliae hostiae in eodem sacrificio non sint consecratae, ciborium exponere potest, si autem ciborium non habeatur, vel processio instituenda sit cum Sanctissimo, Celebrans sumat pro Communione partem Hostiae majoris, residuam autem ponat in ostensorio, meliori quo potest modo, ut a populo videatur. Nunquam autem exponere licet Hostiam majorem non consecratam, huic affigendo minorem consecratam, tum ob periculum idololatriae saltem materialis, tum ob scandalum, si cognoscatur.[1]) Neque potest Celebrans hostiam minorem ex praeconsecratis frangere ac sumere et suam majorem reservare pro expositione, quia in casu non participaret de suo sacrificio; licet enim sub Hostiis praeconsecratis idem sit Christus, non tamen ut victima hujus sacrificii.[2])

**248.** Hisce praenotatis, nonnullas regulas adjicere juvat observandas in expositione et repositione Sanctissimi.

1. In altari expositionis accendantur saltem duodecim candelae albae pro expositione publica, decem[3]) vel ad minimum sex[4]) pro expositione privata.

2. Sanctissimo Sacramento, ubicunque deponitur, sive intra tabernaculum sive in throno tabernaculi sive in mensa altaris, semper substerni debet corporale mundum totaliter explicatum, vel propter angustiam loci saltem complicatum aut palla.

3. Pro incensatione ss. Sacramenti solius thus imponitur sine benedictione. Coram Sanctissimo exposito omittuntur oscula in traditione cochlearis et thuribuli.

4. Color hujus Sacramenti est albus. Quapropter in functionibus coram Sanctissimo exposito paramenta Officiatoris et Ministrorum sacrorum albi coloris sint oportet. Si autem expositio, repositio, benedictio, processio cum ss. Sacramento ita cohaereat alicui officio liturgico e. g. Missae aut Vesperis, ut Officiator paratus ab altari non recedat, paramenta correspondeant colori officii diei,[5]) excepto nigro.[6]) Quatenus vero recedat et

---

[1]) *Cavalieri*, tom. 4. decr. 153. n. 11. — [2]) *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 175. — [3]) *Gardellini*, Comment. in Instr. Clem. § 6. n. 8. 10. — [4]) *Wapelhorst*, n. 226. ad 2.; *Schober*, Caer. art. 8. cap. 2. n. 1. — [5]) *S. R. C.* 20. Sept. 1806 ad 1. — [6]) *S. R. C.* 7. Jun. 1681.

repositio etc. habeatur tamquam functio omnino separata et distincta ab officio, utendum est paramentis coloris albi.[7]) Velum humerale omni in casu sit coloris albi.[8])

5. Si in expositione vel repositione danda sit benedictio cum Sanctissimo, semper adhibendum est velum humerale,[9]) cujus extremitatibus pyxis in danda benedictione totaliter tegitur.[10]) Pro benedictione impertienda cum Ostensorio praeter velum humerale praescribitur etiam pluviale.[11])

6. Durante expositione Officiator ad *Dominus vobiscum, Oremus* et orationes nec non ad cantica exultationis v. g. ad *Te Deum*[12]) stat in plano ante gradus altaris; ad alias precationes autem v. g. ad integram primam stropham hymni *Veni Creator,*[13]) ad Litanias et ad adorationes v. g. *Tantum ergo etc.* utroque genu flectit in primo gradu simul cum Ministris assistentibus.

7. Si coram exposito ss. Sacramento concionandum sit, Sanctissimum velo tegitur. Concionator ipse sermonem faciat capite detecto[14]) nec cerei praecepti extinguendi sunt.

### § 2. *De Expositione et Repositione privata.*

**249.** Quid sit expositio privata, jam explicavimus n. 190. Pro hac expositione sufficit, ut Sacerdos cotta (superpelliceo) et stola alba sit indutus; pluviale non praescribitur, etiamsi in fine benedictio cum pyxide danda sit.[1]) Recole reg. gen. 5.

Sacerdos superpelliceo et stola albi coloris indutus, capite cooperto, praecedentibus duobus Ceroferariis more solito accedit ad altare, in quo saltem sex accensi sint cerei. Facta ibi debita reverentia ascendit, corporale super mensam explicat, tabernaculum aperit, pyxidem

[7]) *S. R. C.* 27. Jun. 1868 ad 4. — [8]) *S. R. C.* 20. Sept. 1806 ad 1. — [9]) *S. R. C.* 13. Jul. 1883 ad 1. — [10]) *S. R. C.* 23. Febr. 1839 ad 5. et 21. Febr. 1896 ad 3. — [11]) *S. R. C.* 17. Dec. 1888 ad 12.; *Eph. lit.* 1892 pag. 104. — [12]) *S. R. C.* 27. Mart. 1779 ad 17. Ad hymnum Ambrosianum stant etiam ministri ad altare totusque Clerus in choro. — [13]) *S. R. C.* 14. Nov. 1676 ad 7. — [14]) *S. R. C.* 22. Sept. 1837 ad 4.

[1]) Cf. *S. R. C.* 17. Dec. 1888 ad 12.; *Eph. lit.* 1892 pag. 104.

ad anteriorem ejus partem attrahit, quin eam extrahat, et ostiolum apertum relinquit. Facta genuflexione descendit, in infimo gradu utrumque flectit genu et facta profunda capitis inclinatione incensum sine benedictione imponere et Sanctissimum incensare potest, sed non debet, quia omissio hujus incensationis conformior est Ecclesiae praxi.[2]) Postea preces publicas vulgari sermone conscriptas et ab Ordinario approbatas[3]) recitare potest.

Si in fine expositionis benedictio impertienda sit, quod sine dubio licet,[4]) Sacerdos genuflexus in infimo gradu recitat strophas *Tantum ergo* et *Genitori Genitoque* cum ℣. *Panem de coelo etc.* in prima stropha profunde sese inclinans usque ad verbum *cernui* inclusive.[5]) Deinde surgit et dicto *Oremus* recitat orationem de ss. Sacramento, post quam iterum genuflectit. Accepto velo humerali ascendit ad altare, genuflectit, pyxidem ex tabernaculo extractam et super corporale positam totaliter veli extremitatibus cooperit (reg. gen. 5.) et populo benedictionem impertit ritu usitato. Recole n. 245. Qua data, pyxidem in corporali deponit, humerale dimittit, genuflectit, pyxidem in tabernaculum immittit, genuflectit et tabernaculum claudit, descendit et debita reverentia ante altare facta in sacristiam abit.

### *§ 3. De Expositione et Repositione publica.*

**250.** Expositio publica, de qua n. 190. pauca adnotavimus, fieri potest ritu solemni vel minus solemni. Expositio solemnis est ea, quae peragitur a Sacerdote cum Diacono et Subdiacono aliisque ministris assistentibus; minus solemnis autem ea, quae fit a solo Sacerdote sine Ministris sacris. De minus solemni jam egimus n. 243. ad 2., ubi sermo erat de Missa privata coram ss. Sacramento. Si expositio hujusmodi sola i. e. sine

---

[2]) *S. R. C.* 11. Sept. 1847. — [3]) *S. R. C.* 31. Aug. 1867 ad 9. — [4]) Ad quaesitum enim: »An post expositionem privatam ss. Sacramenti, scilicet aperto ostiolo tabernaculi, dari possit benedictio cum eodem venerabili Sacramento in pyxide recondito?« *S. R. C.* rescripsit: »Affirmative« die 30. Nov. 1895 ad 3. — [5]) *Gardellini*, Comment. in Instr. Clem. § 24. n. 10.

benedictione et seclusa Missa facienda sit, sufficit, ut Sacerdos cotta (superpelliceo) et stola alba sit indutus, nunquam cum alba, cingulo et stola transversa tantum.[1]) Pluviale non praescribitur pro expositione vel repositione minus solemni, nisi danda sit benedictio vel instituenda processio cum Sanctissimo in ostensorio.[2])

**251.** Pro Expositione solemni Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola ante pectus in modum crucis transversa et pluviali albi coloris, Diaconus et Subdiaconus vero parati sicut in Missa solemni,[3]) sine manipulis, more solito procedunt ad altare capite cooperto, Sacerdos in medio Ministrorum sacrorum hinc inde a lateribus ejus pluvialis fimbrias sublevantium, nisi ob angustiam loci cogatur unus post alterum procedere, primo Subdiaconus, dein Diaconus, postremo Celebrans. Ad altare quum pervenerint, depositis birretis, genuflectunt semper in plano, assurgunt et Celebrans ac Subdiaconus in genua provoluti super infimum gradum aliquantulum orant. Diaconus interim ascendit ad altare, explicat corporale, aperit tabernaculum, se retrahit paulisper versus cornu Epistolae, ne Celebranti tergum vertat, genuflectit unico genu, extrahit ostensorium et super corporale deponit cum parte anteriore ad populum versa et claudit ostiolum tabernaculi absque genuflexione. Facta iterum genuflexione, sinistrorsum se vertens descendit et in genua procumbit a dexteris Celebrantis. Praemissa profunda capitis inclinatione omnes tres assurgunt et Celebrans stans[4]) ingerit thus in thuribulum more solito sine benedictione et nihil dicens. Denuo in infimo gradu in genua provoluti profundam capitis inclinationem faciunt et Celebrans tribus ductibus Sanctissimum thurificat, Ministris sacris interim fimbrias pluvialis sublevantibus. Incensatione absoluta omnes iterum caput profunde inclinant, et, si in expositione danda sit benedictio cum Sanctissimo, ut in aliquibus ecclesiis ex longaeva consuetudine fieri solet, Celebrans accepto velo humerali simul cum Diacono et Subdiacono[5]) sine praevia

---

[1]) *S. R. C.* 17. Dec. 1888. ad 12. — [2]) Ibid. — [3]) *S. R. C.* 17. Sept. 1785 ad 1. — [4]) *S. R. C.* 26. Mart. 1859 ad 3. — [5]) *Martinucci*, lib. 2. cap. 11. n. 89.; *Carpo*, pars 3. n. 192.

inclinatione[6]) ascendit in suppedaneum, ubi cum Diacono simpliciter genuflectit. Subdiaconus in ora suppedanei adgeniculatus consistit. Diaconus vero Celebrantem adjuvat[7]) in prehendendo ostensorio, quod hicce devotissime accipit ambabus manibus sub velo humerali latentibus, dextera ad nodum, sinistra ad pedem. Curet Diaconus, ut pes ostensorii extremitatibus veli decenter tegatur; dein genuflectit a dexteris Subdiaconi in ora suppedanei, Celebrans vero per suam dexteram ad populum conversus more solito (vide n. 245.) impertit benedictionem. Qua impertita per suam dexteram gyrum perficiens vertit se iterum ad altare, Ministri sacri eodem tempore assurgunt a genuflexione et Diaconus stans e manibus Sacerdotis ostensorium recipit deponitque super corporale. Deinde omnes simpliciter genuflectunt, Sacerdos et Subdiaconus descendunt et genua submittunt in infimo gradu; Diaconus vero remanens in suppedaneo ascendit scabellum a ministro appositum et ostensorium dextera tenens in throno tabernaculi super corporale collocat. Exposito Sanctissimo descendit de scabello, quo remoto simpliciter genuflectit, descendit per gradus, vertens se sinistrorsum et a dexteris Sacerdotis in genua procumbit. Subinde Sanctissimum incensatur de more.

2. Quodsi in expositione danda non sit benedictio, quod utique magis congruit menti Ecclesiae, quae vult, ut benedictio impertiatur tantum in repositione, tunc Sanctissimum non incensatur in mensa altaris, sed in throno tabernaculi immediate post expositionem.[8]) Quamobrem Diaconus ostensorium extractum e tabernaculo illico, absque praevia genuflexione, exponit in throno. Reliqua peraguntur ut supra innuimus.

3. Si Sanctissimum alio in altari exponendum sit, Sacerdos, eodem incensato et velo humerali accepto, ostensorium sine mora, quin impertiat benedictionem, transfert ad altare expositionis, ambabus manibus velo humerali tectis ante faciem illud tenens, concomitantibus eum Ministris sacris et fimbrias pluvialis ejus suble-

---

[6]) Cf. *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 26. ad 4. — [7]) *Martinucci*, l. c. — [8]) *S. R. C.* 18. Mart. 1874 ad 1.

vantibus.[9]) Quum ad altare pervenerint, si danda sit benedictio, Sacerdos statim se vertit ad populum eique dat benedictionem, qua data exponitur et incensatur Sanctissimum, ut supra. Si autem non sit danda benedictio, Sacerdos deposito in altari ostensorio et genuſlexione ſacta descendit, Diaconus vero illud exponit. Reliqua ſiunt, ut supra docuimus.

**252.** — 1. In Repositione solemni juxta hodiernam praxim Romanam Sacerdos et Ministri ejus ita se gerere possunt: Omnibus in inſimo gradu geniculatis, a choro continenter cantantur strophae *Tantum ergo* et *Genitori*. Ad duos primos versus usque ad verba *veneremur cernui* inclusive omnes proſunde sese inclinant,[10]) incepta stropha *Genitori*[11]) assurgunt et imponitur thus, denuo genuſlectunt et Sanctissimum expositum incensatur[12]) more solito. Cantato versiculo *Panem de coelo etc.*, cui tempore paschali et infra octavam Corporis Christi additur *Alleluja*, solus Sacerdos absque inclinatione assurgit[13]) et praemissa invitatione *Oremus* sine *Dominus vobiscum*[14]) cantat orationem *Deus qui nobis* cum conclusione breviori.[15]) Imposito velo humerali Sacerdoti genuſlexo, Diaconus sine praevia inclinatione[16]) ascendit in suppedaneum, genuſlectit et ostensorium e throno deponit in mensa super corporale sine genuſlexione, quam facit demum cum Celebrante et Subdiacono, qui interim ascenderunt. Subdiaconus consistit adgeniculatus in ora suppedanei. Diaconus Celebrantem adjuvat in accipiendo ostensorio, uti supra in expositione indicavimus, et genua submittit in suppedaneo a dexteris Subdiaconi. Fit benedictio cum Sanctissimo ritu consueto, qua data Ministri sacri assurgunt et accedunt propius ad altare. Deposito ostensorio in

---

[9]) *Herdt*, l. c.; *S. R. C.* 15. Sept. 1742. — [10]) *Gardellini*, Comment. in Instr. Clem. § 24. n. 10. — [11]) Instr. Clem. § 24. *Baldeschi*, Anh. II. *B.* — [12]) *S. R. C.* 18. Mart. 1874 ad 1. — [13]) *Schober*, Caer. art. 8. cap. 3. n. 2.; *Martinucci*, l. c. n. 53.; cf. *S. R. C.* 2. Aug. et 6. Sept. 1698. — [14]) *S. R. C.* 3. Mart. 1761 ad 7. — [15]) *S. R. C.* 11. Jun. 1880 ad 2. Extra Octavam ss. Corporis Christi aliae Orationes sub unica et quidem brevi conclusione addi possunt *S. R. C.* 22. Sept. 1837 ad 6.; *Cavalieri*, tom. 4. cap. 9. — [16]) *Schober*, l. c. sub II. n. 4.; *Martinucci*, l. c. n. 87.

altari, omnes simpliciter genuflectunt, descendunt, in gradu infimo in genua procumbunt. Celebrans dimisso velo humerali adolet Sanctissimum tribus ductibus duplicibus. Diaconus sine praevia inclinatione ascendit ad altare, ibi simpliciter genuflectit, tabernaculum aperit, ss. Sacramentum reponit, iterum genuflectit simpliciter, ostiolum claudit, corporale plicat et descendit.

2. Si in alio altari recondendum sit Sanctissimum, Sacerdos impertita benedictione ad altare expositionis, illico transfert Venerabile ad altare tabernaculi, concomitantibus Ministris et fimbrias pluvialis ejus elevantibus, uti supra innuimus circa expositionem. Collocato super altare Sanctissimo omnes simpliciter genuflectunt in suppedaneo, descendunt et peraguntur reliqua de more.

**253.** Dum Episcopus interest benedictioni cum ss. Sacramento, genuflectit vel in primo stallo chori vel super genuflexorio sibi praeparato ante medium altaris, vel potius, ne terga ei vertantur, e regione in cornu Epistolae vel Evangelii.[17]) Celebrans et Ministri in accessu ad altare et in reccessu ab eodem debitam Episcopo faciunt reverentiam, videlicet Celebrans profundam corporis inclinationem, Ministri simplicem genuflexionem, modo Sanctissimum non sit expositum. Quamdiu expositum manet, genuflectunt in medio ante altare, etiamsi terga vertant Episcopo.[18]) Si Episcopus in habitu camerali[19]) vel in rochetto et mozzetta[20]) assistat, sive in primo stallo sive in genuflexorio, non imponit incensum, nec ss. Sacramentum incensat, sed Celebrans seu Officiator hoc peragit. Si vero Episcopus cappa[21]) sit indutus, ipsemet incensum sine benedictione imponere et Sanctissimum thurificare debet. Ad quam impositionem primus assistens (vel dignior Canonicus, si adsit), facta ad altare genuflexione simplici, ad Episcopum sine reverentia accedit eique offert cochlear cum navicula absque osculis, ministrante Thuriferario (Caeremoniario) thuribulum. Incenso imposito Episcopus accedit ad altare genuflectit in infimo gradu, accipit thuribulum et Sanctissimum

[17]) Conf. *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 30. n. 1. — [18]) *S. R. C.* 26. Aug. 1702 ad 5. — [19]) *S. R. C.* 22. Mart. 1862 ad 22. — [20]) *Herdt*, Prax. Pont, III. n. 239. S. Lit. Prax. II. n. 47. — [21]) Ibid.

incensat tribus ductibus duplicibus. Celebrans et Ministri interim Episcopo cedunt locum, retrahentes se Celebrans et Subdiaconus versus cornu Evangelii, Diaconus autem versus cornu Epistolae, ita ut Episcopus (cum digniore Canonico) in medio infimo gradu genua submittere possit. Post incensationem Episcopus revertitur ad locum suum. Celebrans cantat orationem de Sanctissimo et cum eodem dat benedictionem omnibus, tum Episcopo tum populo.

# Tractatus VI.

## De Missis et Functionibus pro defunctis.

### Caput I.

#### *Praenotationes generales.*

**254.** — 1. Missae defunctorum seu de Requiem celebrandae sunt omnino in paramentis nigris, adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu, quo die 2. Novembris ss. Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi sit expositum pro solemni Oratione Quadraginta Horarum, prout cautum est in decreto S. R. Congregationis diei 16. Septembris 1801.[1])

2. Tempore expositionis publicae Sanctissimi Missae de Requiem prohibentur tam in altari expositionis,[2]) quam in aliis altaribus[3]) ejusdem ecclesiae. Tempore expositionis privatae autem prohibentur Missae de Requiem in altari expositionis tantum, minime vero in aliis altaribus et capellis.[4])

3. Licet Sacerdotibus uti paramentis nigris et celebrare Missam de Requiem, diebus scilicet a Rubricis permissis, ut satisfaciant obligationi, quam susceperunt secundum intentionem dantis eleemosynam, quando prorsus ignorant, quaenam sit illius intentio, pro defunctis necne. Imo licet celebrare Missam de Requiem, ut satisfaciant obligationi, quam susceperunt pro vivis,

[1]) Ita decret. gener. *S. R. C.* 23. Jul. 1868. — [2]) *S. R. C.* 14. Jun. 1873 ad 2. — [3]) *Eph. lit.* 1896 pag. 280. — [4]) *S. R. C.* 7. Maji 1746 ad 9.

dummodo non diverse praescripserit, qui dedit eleemosynam.[5])

4. In Missis defunctorum nulla fit Commemoratio pro vivis, etiamsi Oratio esset communis pro vivis et defunctis,[6]) quia »aequum est«, ait Gavantus, »in Missis defunctorum solis defunctis operam dare, exclusis vivis in Collectis, quibus in primo Memento secrete satis superque est provisum etiam in Missis de defunctis.«[7])

5. Sequentia *Dies irae* recitanda est, quum una tantum Oratio in Missa dicitur; si plures recitantur, illam dicere aut omittere penes Celebrantem est.[8])

6. Si in Canone Missae de Requiem occurrat nomen Sancti, cujus illa die fit officium vel commemoratio, non est facienda capitis inclinatio, quia talis Missa nihil habet commune cum officio diei.[9])

7. In Missis pro defunctis, sive privatis sive solemnibus, interdicitur usus pallae cum panno adnexo nigri coloris. Ad quaesitum: »An non obstantibus decretis a S. R. C. editis uti liceat palla a parte superiori panno serico cooperta?« S. R. C. respondit: »Permitti posse, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat ac pannus superior non sit nigri coloris aut referat aliqua mortis signa.«[10]) Communiter adhibetur palla cum panno superposito albi coloris.

## Caput II.

### *De Orationibus in Missis de Requiem.*

**255.** Plures Orationes dicuntur:

1. In Missis quotidianis de Requiem sine cantu dicuntur tres Orationes in missali assignatae (formulare quartum). Possunt, sed non debent dici etiam plures

---

[5]) *S. R. C.* 29. Nov. 1856; cf. *Linzer Quartalschrift* 1882 pag. 684. Notamus hic sequens decretum. Ad dubium: »An Sacerdos in exequiis persolvendis Missam celebrans, non recepto stipendio, debeat pro ipso defuncto, vel potius pro aliis petentibus et eleemosynam offerentibus sacrificium applicare queat?« *S. C. Concilii* rescripsit: »Negative ad primum; Affirmative ad secundum.« Decretum ipsum cum adnotationibus vide in *Eph. lit.* 1896 pag. 292. — [6]) *Rub. gen.* miss. VII. n. 6. — [7]) *Bouvry*, pars 3. sect. 2. tit. 7. rub. 6. pag. 112. — [8]) *Rub. gen.* miss. V. n. 4. — [9]) *S. R. C.* 12. Apr. 1823 ad 13. — [10]) *S. R. C.* 10. Jan. 1852.

usque ad septem; sed tunc curandum: *a)* ut sint numero impares;[1] *b)* ut Oratio *Deus qui inter apostolicos Sacerdotes* ponatur semper primo[2] et Oratio *Fidelium Deus* ultimo[3] loco. Orationes, quae pro lubitu Sacerdotis adduntur, sumendae sunt ex iis, quae in missali sub titulo »Orationes diversae pro defunctis« assignantur, et convenit, ut servetur ordo missalis. Pro secunda Oratione *Deus veniae largitor* aliquando impune subrogari potest alia e. g. pro patre, pro matre[4] scil. Celebrantis, vel alia pro animabus, quibus Missa applicatur.[5]

2. In Missa conventuali cantata, non solemni sensu strictissimo, quae in ecclesiis cathedralibus et collegiatis prima die mensis et feria secunda non impedita celebratur pro defunctis, dicuntur tres Orationes. Quod valet etiam, si sit Missa privata. In Missa hujusmodi solemni, dicuntur una vel tres Orationes pro lubitu.[6]

**556.** Unica Oratio dicitur:

1. In die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum et in die depositionis et anniversario defuncti, et similiter in die tertia, septima, trigesima,[7] idque in Missis tam cantatis, quam privatis. Attamen in privatis tantum: *a)* quando dies obitus seu depositionis,[8] anniversaria, tertia, septima et trigesima ea die cadit, qua Missas privatas de Requiem Rubricae permittunt; *b)* quando Missa de Requiem non in alium diem transfertur; *c)* quando primum vel secundum vel tertium formulare Missarum de Requiem cum Oratione convenienti sumitur.

2. Quandocunque pro defunctis solemniter celebratur,[9] ergo etiam in Missis quotidianis, sive sint stricte

---

[1]) *S. R. C.* 4. Sept. 1741 ad 4. — [2]) *S. R. C.* 16. Sept. 1865. — [3]) *S. R. C.* 4. Sept. 1741 ad 4. — [4]) Ibid. et *S. R. C.* 12. Aug. 1854 ad 10. — [5]) *Carpo*, Caer. pars 2. n. 60. — [6]) *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 3.; *Schober* in S. Alph. lib. de caer. miss. cap. 14. not. 7. sub 2. — [7]) *Rub. gen.* miss. V. n. 3. — [8]) Per diem obitus seu depositionis intelligitur totum spatium ab instante mortis usque ad sepulturam, quod in favorem recens defuncti reputatur pro uno eodemque die, licet unus aut plures dies intercedant. *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 55. — [9]) *Rub. gen.* miss. l. c.

solemnes i. e. cum Diacono et Subdiacono, licet sine pompa et concursu [10]) celebratae, sive tantum cantatae, utpote quae in hoc casu privilegiis Missae solemnis gaudent.[11]) Quoad Missam conventualem pro defunctis solemniter celebratam vide n. 255. ad 2.

3. In officiis et suffragiis, quae passim celebrantur apud confraternitates laicorum intra annum pro uno vel pluribus defuntis cum Missa cantata et exequiis atque peculiari Missarum privatarum numero; in quibus Missis privatis etiam a Sacerdotibus confluentibus unica Oratio recitari potest [12]) diebus a Rubricis permissis.

## Caput III.

### *De Missa privata de Requiem.*[1])

**257.** Notamus hic ea tantum, in quibus est differentia inter Missam privatam ordinariam et Missam privatam de Requiem.

1. Post antiphonam *Introibo ad altare Dei*, praetermisso psalmo *Judica* cum *Gloria Patri etc.*, Celebrans illico subjingit *Adjutorium nostrum* et Confessionem cum reliquis.

2. Ad Introitum non se signat nec dicit *Gloria Patri etc.*, sed sinistra posita, non in missali, sed in mensa,[2]) dextera extensa signum crucis facit super missale per aërem.

3. Omittitur Hymnus angelicus et Symbolum.

4. Ante Evangelium dicitur tantum *Munda cor meum etc.*, minime vero *Jube Domine benedicere* nec *Dominus sit etc.* Lecto Evangelio Celebrans nec librum osculatur nec dicit *Per Evangelica dicta.*[3]) Dicitur tamen a ministro *Laus tibi Christe.*

5. Aqua ad Offertorium non benedicitur, oratio tamen conveniens recitatur. In fine psalmi *Lavabo* nec *Gloria Patri etc.* dicitur nec *Requiem aeternam etc.*

6. Praefatio semper dicitur communis item *Communicantes*, licet Missa celebretur infra Octavam habentem haec propria.[4])

---

[10]) *S. R. C.* 16. Apr. 1859 ad 22. — [11]) *Herdt*, l. c. 65. ad 2. — [12]) *S. R. C.* 22. Sept. 1837. dub. XI. ad 2.

[1]) *Rit. cel.* miss. XIII. n. 1. — [2]) *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 42. — [3]) *S. R. C.* 11. Sept. 1847 ad 12. — [4]) *S. R. C.* 4. Jun. 1644.

7. Ad *Agnus Dei* pectus non percutitur, sed manus junctae ante pectus tenentur, non autem altari imponuntur. Loco *Miserere nobis* dicitur *Dona eis requiem*, tertia autem vice loco *Dona nobis pacem* dicitur *Dona eis requiem sempiternam.*

8. Prima oratio ante Communionem *Domine Jesu Christe, qui dixisti etc.* omittitur.

9. Sub finem Missae Celebrans non pronuntiat *Ite Missa est* nec *Benedicamus Domino*, sed *Requiescant in pace* semper in numero plurali,[5]) etiamsi pro uno tantum Missam celebret, stans erectus, facie ad altare conversa et manibus junctis ante pectus.

10. Dicto *Placeat* non impertitur benedictio, sed altari osculato dicitur de more ultimum Evangelium s. Joannis.

## Caput IV.

### *De Missa solemni de Requiem.*

#### *§ 1. Regulae generales.*

**258.** — 1. Omittuntur omnia oscula tam reverentialia quam ritualia manuum, missalis et instrumentorum tum in Missis [1]) tum in ceteris functionibus pro defunctis.

2. Omittitur benedictio Ministrorum sacrorum, nempe Subdiaconi post Epistolam et Diaconi ante Evangelium; item benedictio aquae ad Offertorium et populi in fine Missae.[2])

3. Omittitur omnis omnino incensatio praeter incensationem Oblatorum, Crucis, Altaris et Celebrantis post Offertorium nec non ss. Sacramenti ad utramque elevationem.[3])

4. Quae mutantur aut omittuntur in Missa privata de Requiem, ea variantur vel praetermittuntur etiam in solemni.

---

[5]) *S. R. C.* 22. Jan. 1678.

[1]) *Rit. cel.* miss. XIII. n. 2. — [2]) Ibid. — [3]) Ibid.

### *§ 2. Ritus Missae solemnis de Requiem.*

**259.** Subjungimus praecipue ea, quae huic Missae sunt peculiaria, remittentes Lectorem quoad ceteras caeremonias ad capita, in quibus sermo est de Missa solemni. Ministri inferiores recolant, quae pro iis generatim dicta sunt n. 42. praesertim ad 5. Ceroferarii attendant dicta n. 47., Thuriferarius dicta n. 63.

1. Confessione facta precibusque adnexis persolutis, Diaconus et Subdiaconus simul cum Celebrante ascendunt ad altare,[1]) quo a Celebrante osculato, sine praevia genuflexione continuo, quum altare nequaquam sit thurificandum (reg. gen. 3.), cum Celebrante adeunt cornu Epistolae, ubi ad Introitum stant ut alias. Recole n. 75. ad 1.

2. Subdiaconus cantata Epistola non pergit ad osculandam manum Celebrantis, neque ab eo benedicitur (reg. gen. 1. 2.), sed repetita in medio infimo gradu genuflexione, Diacono in cornu Epistolae tradit librum, translaturus ipse de more missale ad cornu Evangelii.

3. Dum Celebrans legit Evangelium, Diaconus librum Evangeliorum uti alias defert ad medium altaris; illo autem expleto simul cum Subdiacono illico descendit, hic in planum, Diaconus ipse autem in supremum gradum, ubi in ora suppedanei genuflexus et profunde inclinatus profert *Munda cor meum etc.* tantum. Tum libro de altari sumpto, quin petat benedictionem (reg. gen. 2.), statim descendit in planum ad dexteram Subdiaconi, ubi, chori cantu finito, facta cum Subdiacono simplici genuflexione in primo gradu, pergit ad cantandum Evangelium in loco consueto. Liber non incensatur. Evangelio cantato Subdiaconus librum non praebet Celebranti osculandum (reg. gen. 1.), sed statim tradit Caeremoniario, neque Diaconus Celebrantem incensat.[2]) Uterque accedit ad locum suum et genuflectit.

4. Subdiaconus cantato a Celebrante *Oremus* ad Offertorium genuflectit in loco suo super infimum gra-

---

[1]) *Schober,* Caer. art. 6. cap. 2. not. 2. — [2]) *Rit. cel.* miss. XIII. n. 2.

dum et per planum accedit ad credentiam, unde calicem velo suo coopertum cum bursa corporalis superposita sine velo humerali defert ad altare. Dum Diaconus corporale explicat, Subdiaconus detrahit calici velum et tradit Acolytho, qui illud referat ad credentiam.[3]) Ante infusionem aquae, quae non benedicitur a Celebrante, non profert verba: *Benedicite Pater reverende* nec deinde patenam sustinendam accipit, sed dum calicis fit oblatio descendit, genuflectit in infimo gradu et ascendit ad sinistram Celebrantis, ut ei assistat more consueto in thurificatione. Celebrans omittit benedictionem aquae, dicit tamen orationem convenientem *Deus, qui humanae etc.* manibus junctis ante pectus.

5. Diaconus cantato a Celebrante *Oremus* ad Offertorium, sine praevia genuflexione ad ejus dexteram ascendit, ubi calicem a Subdiacono delatum accipit, bursam, corporali inde extracto, dextera ad cornu Evangelii ponit, applicans eam candelabris vel gradui, in quo candelabra insistunt, sinistra interim pectori admota, deinde corporale in medio altari explicat et reliqua peragit uti alias. Patenam Subdiacono minime[4]) tradit, sed in loco consueto deponit.

6. Thurificatio post Offertorium fit de more, incensum imponitur eodem prorsus modo et cum iisdem formulis ac in ceteris Missis solemnibus, sed manum, cochlear et thuribulum Diaconus non osculatur (reg. gen. 1.) et in fine Celebrantem tantum, exclusis ceteris, incensat tribus ductibus duplicibus (reg. gen. 3.). Intra thurificationem Subdiaconus, quum patenam non sustineat, concomitando a sinistris Celebrantem cum Diacono a dexteris ejus, posteriorem partem casulae paulisper elevat sicut Diaconus.

7. Si Missae assistat Episcopus dioecesanus sive in cappa magna sive pontificaliter paratus, ipse ad Offertorium thus imponit et post Celebrantem incensatur. Diaconus[5]) comite Thuriferario debitis cum reverentiis accedit ad Episcopum ante incensationem et ministrat

[3]) *Martinucci*, lib. 2. cap. 10. n. 52. — [4]) *Rit. cel.* miss. VII. n. 9. — [5]) Si Episcopus habeat suum Presbyterum assistentem, hic ei ministrat naviculam a Thuriferario allatam.

ad impositionem thuris more solito. Post incensationem altaris Diaconus vel Presbyter assistens Episcopi, si adsit, incensato duobus ductibus duplicibus Celebrante ipsum Episcopum incensat tribus ductibus duplicibus.[6]) Alius nemo incensatur.

8. Ad *Lavabo* Diaconus et Subdiaconus ad Celebrantem accedunt, ut ipsi ministrent alter ampullam aquae cum pelvicula, alter manutergium explicatum in patella.[7]) Postmodum ad sua loca se recipiunt post Celebrantem.

9. Sub finem Praefationis Diaconus et Subdiaconus ascendunt ad altare ad dexteram et sinistram Celebrantis dicturi cum ipso Trisagium. Quo dicto Subdiaconus descendit ad locum suum, Diaconus vero cum debita genuflexione in medio supremo gradu se transfert ad sinistram Celebrantis, ubi assistit usque ad verba *Quam oblationem*, quibus prolatis a Celebrante revertitur ad hujus dexteram, in transitu genuflectens in medio supremo gradu.

10. Paulo ante Consecrationem eodem prorsus tempore, quo Diaconus in transitu super supremum gradum genuflectit, ut diximus, genuflectit et Subdiaconus in loco suo super infimum gradum et per planum accedit ad cornu Epistolae, ubi thuribulum, in quod a Caeremoniario[8]) immissum jam fuit thus, a Thuriferario accipit et genuflexus super infimum gradum ss. Sacramentum ad unamquamque elevationem ter adolet, videlicet *a)* dum Celebrans genuflectit, *b)* dum Hostiam et Calicem elevat, *c)* dum sacras Species deponit,[9]) profunde sese inclinans ante et post trinam

---

[6]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 12. n. 3. — [7]) Hunc modum tradunt auctores Romani: *Martinucci*, lib. 1. cap. 12. § 6. n. 114. et cap. 13. § 6. n. 149. et lib. 2. cap. 10. n. 72. *Baldeschi*, Ausführl. Darstell. II. pars 1. cap. 8. n. 16. Ratio est, quia Diaconus et Subdiaconus sunt ministri, ergo quae proxime Celebrantis servitium spectant, ad ipsos eosdem pertinet. Atqui talia sunt aquae et lintei ministratio. Vide *Eph. lit.* 1890 pag. 388. Quibus proxime accedunt: *Cavalieri*, tom. 5. cap. 27. n. 17.; *Merati*, pars 2. tit. 13. n. 14.; *Bauldry*, pars 3. cap. 13. n. 14.; *Carpo*, pars 2. n. 227. — [8]) Non est Subdiaconi incensum pro elevatione imponere. Cf. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 8. — [9]) *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 15. ad 5.

incensationem uniuscujusque Speciei. Deinde surgit, reddit thuribulum, ad locum suum in medio altaris in plano reversus, super infimum gradum simpliciter genuflectit et assurgens ibi stat usque ad *Pax Domini.* Quae verba dum Celebrans cantat, Subdiaconus genuflectit in loco suo et ascendit ad sinistram Celebrantis. Diaconus omnia peragit, ut in Missa solemni ordinaria, sed patenam Celebranti offert sine osculis (reg. gen. 1.).

11. Absoluto *Agnus Dei,* quum danda non sit Pax,[10]) Diaconus et Subdiaconus mutant loca, Diaconus descendit in secundum gradum et absque genuflexione transit ad sinistram. Subdiaconus descendit in planum et absque genuflexione ascendit ad dexteram Celebrantis, facientes genuflexionem utrimque i. e. in utroque latere. Translatio missalis per Diaconum et calicis per Subdiaconum fit more solito.

12. Post ultimam Orationem Celebrans more solito cantat *Dominus vobiscum,* deinde conversus ad altare submissa voce dicit *Requiescant in pace.*[11]) Eadem verba cantat (semper in numero plurali, etiamsi pro uno tantum defuncto missa celebretur) etiam Diaconus, facie pariter ad altare conversa. Benedictio non datur, sed statim dicitur ultimum Evangelium more consueto.

13. Si habendus sit sermo funebris in laudem defuncti, habeatur finita Missa ante Absolutionem.[12]) Orator sit in veste talari nigra sine superpelliceo et stola. Ante sermonem non petitur benedictio ab Episcopo, utcunque sit praesens, neque recitatur *Ave Maria,* sed signo crucis facto incipitur sermo.[13])

## Caput V.

### *De Absolutione post Missam de Requiem.*

**260.** Post Missam, ita refert Cavalieri, orabatur olim circa defuncti corpus et Sacerdos accedens ipsi mortuo sancte precabatur. Ejusmodi preces, quae anti-

[10]) *Rit. cel.* miss. XIII. n. 1. — [11]) *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 36. — [12]) *Rit. cel.* miss. XIII. n. 3. — [13]) *Carpo*, pars 2. n. 230.; *Merati*, pars 2. tit. 13. n. 18.; *Bauldry*, pars 3. cap. 13. n. 20.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 10.; *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 202. *b*.

quitus solemnes Orationes nuncupabantur, hodie Exsequiae seu Absolutio dicuntur ab oratione *Absolve*, qua semper vel fere semper concluduntur, vel quia per easdem absolvitur functio funebris, aut quia in iisdem exoratur Deus pro absolutione defunctorum a poenis purgatorii.[1]) Haec Absolutio fit vel praesente corpore defuncti, et tunc ex mandato Ritualis Romani fieri debet, vel eo absente, et tunc fieri potest, nisi ex consuetudine vel mandato illius, qui eleemosynam obtulit, etiam in hoc casu peragi debeat.[2]) Ceterum congruum est, ut Absolutio fiat ab ipso Celebrante,[3]) nisi adsit Episcopus.[4])

### *§ 1. Absolutio absente corpore.*

**261.** Hanc Absolutionem peragere licet dumtaxat post Missam de Requiem, non vero post Missam de die, etiamsi applicata fuerit pro defunctis, et Absolutio fieret in paramentis nigris.[1]) Duplici modo fieri potest: *a)* vel ad tumbam extra presbyterium erectam, quae vocatur etiam castrum doloris,[2]) lectus mortuorum,[3]) tumulus,[4]) cenotaphium[5]); *b)* vel super pannum nigrum extensum in presbyterio ante gradus altaris[6]) vel ante gradus presbyterii,[7]) aut super lecticam mortuorum[8]) ibidem positam, quo nomine venit parvus tumulus coopertus panno nigro.[9])

**262.** Si fiat ad tumbam erectam extra presbyterium, Celebrans cum Ministris sacris lecto ultimo Evangelio descendit in planum, factaque ibi debita reverentia ante altare se recipit ad cornu Epistolae,[10]) ubi

---

[1]) *Cavalieri*, tom. 3. cap. 18. n. 1.; cf. *Eph. lit.* 1895 pag. 16. — [2]) *S. R. C.* 31. Jul. 1665 ad 7. et 4. Sept. 1875 ad 4.; cf. *Schober*, in S. Alph. Lib. de caer. miss. Append. IV. cap. 6. n. 2. — [3]) *S. R. C.* 21. Jul. 1855 ad 4. — [4]) *S. R. C.* 25. Sept. 1875 ad 7.

[1]) *S. R. C.* 9. Jun. 1853 ad 1. — [2]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 10. 13. — [3]) Ibid. — [4]) *Rit. cel.* miss. XIII. n. 4. — [5]) *Herdt*, S. Lit. Prax. III. n. 266. — [6]) *Caer. Ep.* l. c. n. 10. 11. — [7]) Ibid. n. 10. — [8]) Ibid. n. 10. 11. 12. In missali *Rit. cel.* miss. XIII. n. 4. vocabulum hoc sumitur etiam ad significandam tumbam. — [9]) *Martinucci*, lib. 4. cap. 10. n. 4. — [10]) *S. R. C.* 7. Sept. 1861 ad 6.; *Rit. cel.* miss. l. c.

adjuvante Caeremoniario vel, si talis vigeat consuetudo, adjuvantibus Ministris sacris [11]) exuitur casula ac manipulo et induitur pluviali nigro. Ministri sacri vero manipulum dumtaxat deponunt. Si desit pluviale, Celebrans manet in alba et stola ante pectus crucis instar aptata, quo casu Ministri sacri ultra manipulos dimittunt etiam dalmaticam et tunicellam.[12])

Subdiaconus accipit crucem ad altare jam praeparatam, ita ut Crucifixi imago ipsi tergum vertat, atque detecto capite, medius inter duos Ceroferarios tenentes candelabra cum candelis accensis, se sistit in medio presbyterii exspectans ibi, usquedum ceteri i. e. Celebrans cum assistentibus reverentiam fecerint Cruci altaris. Qua facta ipse sine reverentia facienda medius inter praedictos Ceroferarios post Thuriferarium ad tumbam procedit, ubi se sistit semper i. e. etiam in Absolutione Sacerdotis inter tumbam et januam ecclesiae,[13]) facie ad altare conversa ac relicto congruo spatio inter se et tumbam Celebranti et Diacono postea transituris. Sic persistit usque ad finem Absolutionis.

Diaconus facta ad altare genuflexione in plano, a sinistris [14]) Celebrantis, cujus pluviale non elevat,[15]) capite cooperto [16]) pergit ad tumbam, ubi stat capite detecto a sinistris Celebrantis. Sub finem cantus *Libera* Celebranti ministrat incensum sine osculis dicens *Benedicite Pater reverende*, Thuriferario sustinente thuribulum. Dicto a Celebrante *Pater noster* aspersorium madefactum sine osculis porrigit Celebranti, quem subinde a dexteris [17]) comitatur in aspersione tumbae, pluviale elevando et genuflectendo, quotiescunque Celebrans aut Cruci altaris majoris aut Cruci Subdiaconi sese inclinat. Si transit ante altare ss. Sacramenti, genuflectit cum Celebrante. Recepto aspergillo, Celebranti thuribulum

[11]) *S. R. C.* 13. Jun. 1676 ad 3. et 23. Apr. 1875; cf. *Eph. lit.* 1896 pag. 39. n. 12. — [12]) *Carpo*, pars 2. n. 259. not. 1.; *Herdt*, S. Lit. Prax. III. n. 250. — [13]) *S. R. C.* 21. Jul. 1855 ad 3.; *Martinucci*, lib. 1. cap. 12. n. 313.; *Herdt*, S. Lit. Prax. III. n. 266. ad 1. — [14]) *Rit. cel.* miss. XIII. n. 4. Si Celebrans pluviali non utatur, Diaconus Celebrantem antecedit. *Herdt*, l. c. n. 250. — [15]) *Herdt*, ibid. — [16]) Conf. *Schober*, Caer. art. 6. cap. 4. not. 2. — [17]) *Rit. cel.* miss. XIII. n. 4.

ministrat sine osculis eumdemque comitatur eodem prorsus modo. Si Celebrans pluviali non sit indutus, opus non est, ut Diaconus aut aliquis ex Clero circumeundo eum comitetur.[18] Dicto a Celebrante post orationem versiculo *Requiem aeternam dona eis Domine,* secundum consuetudinem in plerisque dioecesibus vigentem, Diaconus alta voce cantat *Requiescat* vel *Requiescant in pace* et Cantores respondent *Amen.* Finita Absolutione a sinistris Celebrantis revertitur in sacristiam.

Celebrans assumpto pluviali nigro et facta altari debita reverentia, ut in accessu ad altare, procedit ad tumbam capite cooperto et collocat se altare inter et tumbam, aliquantulum versus cornu Epistolae, ita ut altari nequaquam tergum directe obvertat et ut Crucem Subdiaconi respiciat, caputque detegit. Deinde peragit omnia, quae praescribuntur in Missali Romano Rit. cel. miss. XIII. n. 4. vel in Appendice Missalis minoris continentis Missas pro defunctis vel in Rituali Romano in loco respectivo.[19] Versus finem cantus *Libera*[20] thus imponit dicens: *Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis. Amen;* postea illud benedicit nihil dicens. Absoluto *Libera* et *Kyrie eleison* intonat *Pater noster*, quod secreto prosequitur, dum a loco suo discedit. Ante discessum ex mandato Ritualis[21] profundam capitis inclinationem facit Cruci Subdiaconi, e cujus conspectu recedit, deinde ex mandato Rubricae missalis[22] debitam reverentiam[23] altari majori, ante quod transit,[24] aspergillum a Diacono accipit et tumbam circumiens dextrorsum, eam aspergit in latere dextero tribus vicibus, nempe in parte, quae est versus altare, deinde in media, postremo in parte prope Subdiaconum. Transiens ante Crucem Subdiaconi caput profunde in-

[18]) *Herdt,* l. c. n. 263. — [19]) In Rituali dioecesano Labacensi pag. 185. — [20]) Nullibi praescribitur, ut Celebrans *Libera* intonet et postea cantet *Kyrie*, sed tam *Libera* quam *Kyrie* a cantoribus semper canendum est. — [21]) De Exequiis. — [21]) *Rit. cel.* miss. XIII. n. 4. — [23]) i. e. vel simplicem genuflexionem, vel capitis inclinationem, prout in tabernaculo altaris adest Sanctissimum vel non. — [24]) Cf. *Bouvry,* pars 4. sect. 1. § IV. Appendix de Exequ. pag. 509.

clinat et procedens ulterius alterum tumbae latus aspergit, primo in parte, quae est versus Subdiaconum, tum in media, demum in parte prope altare. Redux in locum suum Diacono restituit aspergillum et ab eo accipit thuribulum. Tum Celebrans cum Diacono eodem modo comitante, facta debita reverentia altari, ante quod transit, non autem Cruci ex adverso stanti,[25]) circuit tumbam, eodem prorsus modo eam ter ab utraque parte thurificando ac eam prius asperserat. Si inter aspergendum et incensandum transeat ante tabernaculum Ss. Sacramenti, genuflectit. Tam in aspergenda quam in thurificanda tumba Celebrans non debet subsistere ad singulas aspersiones et thurificationes, sed eas ambulando peragere sine ulla mora.[26]) Post thurificationem restituto Diacono thuribulo, peragit omnia, quae notantur in Missali vel Rituali.

Versus et oratio, si Absolutio fiat pro uno defuncto, dicuntur in numero singulari; si pro masculo, in masculino genere; si pro femina, in feminino; si pro pluribus, in plurali et in genere masculino, si omnes sint masculi vel inter mulieres aliqui sint masculi, sed in feminino, si omnes sint mulieres. Si Absolutio fiat pro defuncto Sacerdote vel Episcopo, in oratione exprimitur nomen dignitatis sacerdotalis vel pontificalis; alii autem tituli exprimi nequeunt, neque etiam nomen defuncti nisi litera N. apponatur.[27]) Loco orationis *Absolve* dici potest oratio Missae vel alia conveniens; quaecunque autem dicitur, semper brevi terminanda est conclusione.[28])

**263.** Si Absolutio fiat super pannum nigrum, omnia peraguntur modo supra descripto, hisce exceptis: *a)* Crux non adhibetur, quapropter Subdiaconus Celebranti assistit modo consueto[29]); *b)* Celebrans non circumit pannum, sed vel in suppedaneo vel in anteriori presbyterii parte stans aspergit et thurificat pannum in modum crucis i. e. in medio, a suis sinistris et a suis dexteris, Diacono et Subdiacono sibi assistentibus.

[25]) *Herdt*, S. Lit. Prax. III. n. 253. — [26]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 14. n. 481. et lib 4. cap. 10. n. 24. — [27]) *S. R. C.* 22. Mart. 1862 ad 17. — [28]) *S. R. C.* 5. Jul. 1698 ad 4.; cf. *Herdt*, l. c. n. 266. ad 5. — [29]) *Martinucci*, lib. 4. cap. 10. n. 6. sq.

### § 2. *Absolutio praesente corpore.*

**264.** Ritus hujus Absolutionis, quae dicitur etiam Absolutio ad feretrum, describitur in Rituali Romano sub titulo »De Exequiis«.[1])

Notandum hic, quod Celebrans semper se sistit ad pedes defuncti, adeo ut, si defunctus sit Sacerdos, se constituat feretrum inter et portam ecclesiae, si autem non sit Sacerdos, stet inter feretrum et altare, sicut de Absolutione absente corpore dictum est. E converso Subdiaconus Crucem deferens cum Ceroferariis semper se collocat ad caput defuncti i. e. feretrum inter et altare facie ad feretrum versa, si defunctus presbyterali sit charactere insignitus; feretrum inter et ecclesiae januam autem, si minime fuerit Sacerdos.[2])

Aspersionem et incensationem feretri Celebrans incipit semper ad sui dexteram. Ergo si Celebrans sit inter altare et feretrum aspergit et incensat corpus primo a parte Evangelii; si vero stet feretrum inter et portam ecclesiae, aspergit et thurificat corpus ordine inverso, incipiendo nimirum ad latus Epistolae, non praetermissis in transitu faciendis Cruci vel ss. Sacramento debitis reverentiis.

## Caput VI.

### *De Missa pontificali de Requiem.*

**265.** Ritus hujus Missae concordat cum ritu Missae pontificalis solemnis, mutatis et omissis iis, quae in Missis de Requiem mutantur et omittuntur.

1. **Pontificans** non utitur sandaliis, chirothecis nec baculo pastorali.[1]) — Manipulum accipit non post dictam Confessionem, sed ante Missam simul cum reliquis paramentis, ante crucem pectoralem, non autem post tunicellam et dalmaticam,[2]) ita ut ordo sumendi paramenta sit: amictum, albam, cingulum, manipulum, crucem

---

[1]) In Rit. dioec. Labacensi pag. 143. n. 4. sq. — [2]) *Rit. Rom.* de Exequiis; *Carpo*, pars 2. n. 266.

[1]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 2. — [2]) *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 200. sub 2. *c.*

pectoralem, stolam, tunicellam, dalmaticam, casulam, mitram.[3]) — Dicta Confessione, quum ad altare accesserit, librum non osculatur, sed altare tantum et statim redit ad sedem.[4]) — Habet Presbyterum assistentem.[5])

2. **Ministri sacri** Confessione facta simul cum Pontificante ad altare ascendunt more solito, sed Subdiaconus sine libro. Quamprimum Pontificans altare est osculatus, Diaconus ei mitram imponit et omnes descendunt et revertuntur ad sedes. — Subdiaconus cantat Epistolam more solito, sed post eam non osculatur manum Pontificantis. Dum cantatur ultimus versus Sequentiae, Ministri sacri surgunt, Subdiaconus ad sedem permanet, Diaconus autem librum a Caeremoniario acceptum de more ad altare defert. Facta statim altari reverentia in suppedaneo, non praemisso osculo manus Pontificantis, in supremo[6]) gradu genuflexus et profunde inclinatus dicit *Munda cor meum* etc., deinde libro accepto descendit ante infimum gradum, quo eodem tempore accedit Subdiaconus. Facta altari debita reverentia procedunt ad cantandum Evangelium. — Subdiaconus ad Offertorium sine velo humerali calicem cum velo et bursa affert, ad incensationem altaris Celebranti assistit a sinistris, ad elevationem ss. Hostiam et Calicem genuflexus in cornu Epistolae incensat,[7]) ad *Sanctus* et *Agnus Dei*, ut alias in Missis pontificalibus, ad Celebrantem non ascendit, sed persistit in plano retro post Celebrantem, usque ad ablutionem digitorum, qua absoluta ascendit ad altare, ad calicem abstergendum, cooperiendum et deferendum ad credentiam. Diaconus autem more solito ad Celebrantem accedit ad dicendum *Sanctus* et *Agnus Dei*, et deinde a dexteris ejus manet eique inservit, sicut dictum est n. 99. ad 15.

3. **Ministri inferiores** omnes genuflectunt utroque genu: *a)* ad Orationes tam ante Epistolam quam post Communionem,[8]) praeter Caeremoniarium[9]); *b)* a *Sanctus* usque ad *Pax Domini* exclusive[10]); *c)* dum Episcopus

[3]) *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 203. sub 2. c. — [4]) *Caer. Ep.* l. c. n. 4. — [5]) Ibid. n. 3. — [6]) Ibid. n. 6. — [7]) Ibid. n. 8. — [8]) *Caer. Ep.* l. c. n. 5. — [9]) Cf. *Herdt*, l. c. n. 201. sub 5. *a.* — [10]) *Caer. Ep.* l. c. n. 7.

manus lavat omnes genuflectunt etiam Caeremoniarius exceptis Canonicis et Praelatis.[11]

Thuriferarius ad Offertorium tantum ministrat thuribulum et naviculam more solito. Facta altaris thurificatione et Celebrante incensato, thuribulum a Diacono recipit, sed nullum incensat. Ante Consecrationem naviculam tradit Caeremoniario eique ministrat thuribulum ad ingerendum thus, quo facto thuribulum tradit Subdiacono ss. Sacramentum incensaturo intra elevationem, qua absoluta thuribulum recipit et discedit.

Ceroferarii ad Evangelium candelabra non deferunt, Subdiacono tamen librum Evangeliorum tenenti assistunt more solito manibus ante pectus junctis debitas ante altare et Episcopum facientes genuflexiones in transitu. Ad lotionem manuum Pontificanti ministrant aquam et manutergium[12] explicatum. Ad Sanctus accedunt ad altare cum candelabris accensis ibique in plano genuflectunt genuflexique permanent usque ad Communionem inclusive, nisi adsint quatuor[13] funalia ferentes.

Minister de gremiali *a)* dicto ultimo *Kyrie eleison* gremiale ministrat et dum ultimum Kyrie cantatur recipit; *b)* cantata Oratione illud tradit et ante cantum Evangelii recipit; *c)* Offertorio lecto illud porrigit et lotis a Pontificante manibus illud recipit et super credentiam deponit.[14]

Minister de bugia et reliqui ministri inferiores se gerunt sicut in aliis Missis pontificalibus.

**266.** Si fiat Absolutio ad tumbam, Subdiaconus finita Missa accipit Crucem et medius inter duos Ceroferarios cum candelabris accensis facie versa ad altare sistit se in medio presbyterii ante gradus altaris. Post Ceroferarios stant Thuriferarius cum thuribulo et navicula et minister de aqua benedicta, qui si desit, Caeremoniarius secum ferat aspergillum saltem. Episcopo parato pluviali et mitra, facta altari reverentia, omnes accedunt ad tumbam. Praecedit Thuriferarius cum ministro de aqua, sequitur Subdiaconus Crucem deferens

[11]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 10. — [12]) *Martinucci,* lib. 5. cap. 22. n. 100. 124. — [13]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 7. — [14]) *Herdt,* Prax. Pont. II. n. 220.

inter duos Ceroferarios, post hos Caeremoniarius, deinde Diaconus Missae a sinistris Presbyteri assistentis, postremo Episcopus medius inter Diaconos assistentes fimbrias pluvialis ejus elevantes. Minister de libro incedit post Episcopum cum ministro de mitra aliisque ministris. Ad tumbam ita se sistunt: Thuriferarius cum ministro de aqua ante tumbam versus cornu Evangelii, Subdiaconus crucifer cum Ceroferariis ut dictum est n. 262., Episcopus ante tumbam sedet in loco, ubi alias stat Celebrans, Diaconi assistentes hinc inde a lateribus ejus sedere possunt, similiter Presbyter assistens a dexteris et Diaconus a sinistris Episcopi. Post Episcopum stant ministri de libro, de mitra et de bugia etc. Caeremoniarius se sistere poterit a sinistris Diaconi Missae.

Sub finem cantus *Libera* Episcopus more solito thus imponit, ministrante Presbytero assistente naviculam et Thuriferario thuribulum. Antequam cantetur primum *Kyrie eleison* Diaconus assistens secundus mitram Episcopi deponit, qui statim surgit et cantato *Pater noster* tumbam more solito circuit, aspergit et thurificat, qua in functione eum comitantur Diaconi assistentes[15]) fimbrias pluvialis ejus elevantes. Cantata oratione et *Requiescant in pace* Diaconus assistens primus mitram Episcopo imponit et omnes eo ordine, quo venerant, redeunt ad altare, ubi Episcopus paramentis exuitur.

# Tractatus VII.

## De Missis votivis.

### Caput I.

#### *De Missis votivis in genere.*

**267.** Quid et quotuplices sunt Missae votivae?

Missa votiva, generatim loquendo, est ea, quae celebratur extra ordinem officii diei,[1]) sive a Rubricis

[15]) *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 212.

[1]) Unde a quibusdam etiam Missae de Requiem adnumerantur votivis. *Zualdi*, Caer. pag. 155.

praescribatur sive non. Dicitur votiva, quia fit ex voto i. e. ex desiderio aut voluntate sive Ecclesiae sive Celebrantis sive petentis.

Distinguitur Missa votiva late dicta, quae a Rubricis praescribitur celebranda ex voto seu voluntate ipsius Ecclesiae, uti Missa principalis (conventualis) de sancta Maria in sabbatis Adventus ex dispositione Rub. gen. miss. tit. IV. n. 2., licet officium non fiat de s. Maria in sabbato. Missa votiva stricte dicta est ea, quae a Rubricis non praescribitur, sed celebratur ex voto (voluntate, devotione) Celebrantis vel eleemosynam offerentis.

Ratione ritus distinguitur Missa votiva solemnis et privata ac mixta. De singulis nobis sermo erit in sequentibus capitibus.

**268.** Quando Missae votivae celebrantur?

Monet Rubrica: »Id passim non fiat, nisi rationabili de causa, et quoad fieri potest, Missa cum officio conveniat.«[2]) Ut Missa non conformis officio seu votiva celebrari possit, generatim tria haec requiruntur: *a)* Ut ista Missa pro votiva legi permittatur, quia non quaelibet Missa tamquam votiva dici potest; *b)* ut dies eam admittat, quia non qualibet die Missam votivam celebrare licet; *c)* ut habeatur causa rationabilis, quia sine tali causa non licet recedere a Missa conformi officio.

Pro praxi monemus Celebrantem, ut bene distinguat, utrum a petente desideretur Missa vere votiva an sola Missae applicatio; nam Rubricae non respiciunt applicationem, sed dumtaxat speciem Missae. Si fideles norint, quid sit Missa votiva, atque eam communiter intendant, si in honorem certi Sancti Missam postulant, aut Missa votiva dicenda est, aut, qui dat stipendium, monendus est de impedimento, si quod forte existit; si vero fideles Missarum discrimen non norunt, sed Sacerdotis arbitrio sese committunt, dici potest Missa diei eaque in honorem Sancti solummodo applicari.[3])

---

[2]) *Rub. gen.* miss. IV. n. 3. — [3]) *Lehmkuhl,* Theol. mor. vol. II. n. 201.

**269.** Quaenam Missae tamquam votivae celebrari possunt?

1. Certum est, eas omnes tamquam votivas celebrari posse, quae in fine missalis qua tales i. e. tamquam votivae assignantur, videlicet: *a)* Octo Missae votivae in honorem nonnullorum Mysteriorum, scilicet de ss. Trinitate, de Angelis, de Apostolis, de Spiritu Sancto, de Eucharistiae Sacramento, de Cruce et quinque de B. M. V.[4]) *b)* Missae quatuordecim pro diversis rebus et necessitatibus, nimirum pro eligendo summo Pontifice, in die et in anniversario creationis et coronationis Papae, in anniversaris electionis seu consecrationis Episcopi, ad tollendum schisma etc. *c)* Missae votivae sic dictae per annum seu ad libitum quae per decretum S. R. C. die 5. Julii 1883 concessae sunt. Vide infra n. 279.

2. Illae Missae, quae quidem tamquam votivae in missali non assignantur, de quibus tamen in missali indicatur, quomodo more votivo celebrandae sint. Hujusmodi sunt: *a)* Sequentes Missae de Mysteriis Domini, videlicet ss. Nominis Jesu, ss. Cordis Jesu, pretiosissimi Sanguinis, et, ubi concessae sunt, Missae Instrumentorum Passionis Domini, Spineae Coronae scilicet ac Lanceae et Clavorum. *b)* Sequentes Missae de B. M. V., videlicet Immaculatae Conceptionis, Septem Dolorum, Purissimi Cordis Mariae, ubi hoc festum concessum est.

3. Missae Sanctorum quorumcunque canonizatorum et in Martyrologio relatorum vel saltem eorum, quorum officia specialiter ab apostolica Sede concessa sunt, in dioecesibus scilicet respectivis, licet in Martyrologio non assignentur.[5])

**270.** Quaenam Missae tamquam votivae celebrari nequeunt?

1. Missae in honorem illorum Mysteriorum Domini, quae quoad tenorem diebus festivitatis suae ita sunt adnexae, ut veritas verborum extra proprios

---

[4]) A Rubrica hae Missae singulis hebdomadae diebus assignantur, quod valet tantum pro Missa conventuali; pro non conventuali autem Missae dictae quacunque die, quo festum duplex non occurrit, dici possunt. — [5]) *S. R. C.* 19. Oct. 1691.

dies servari nequeat, ideoque dictae Missae alii tempori plane non conveniant. Hujusmodi sunt Missae Nativitatis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis Domini, quae proinde tamquam votivae celebrari nequeunt. Si ergo petatur Missa votiva hujus generis, sumenda est Missa de die currenti cum intentione colendi hoc vel illud Mysterium.[6]

2. Missae propriae de festivitatibus et variis titulis Mariae, exceptis n. 269. ad 2. sub *b* recensitis, non possunt celebrari uti votivae,[7] nisi celebrentur infra earum octavas, quas habent.[8] Si ergo petatur Missa votiva de aliqua festivitate vel titulo B. M. V. extra ejusdem octavam e. g. de Purificatione, Annuntiatione, Visitatione, Assumptione, Praesentatione, Maternitate, Puritate, Monte Carmelo, Rosario etc., substituenda est una ex quinque votivis B. M. V. in fine missalis juxta distributionem temporis cum intentione honorandi B. M. Virginis Purificationem, Annuntiationem etc.[9]

3. Missae de Beatis non possunt celebrari more votivo sine Indulto apostolico, licet concessa sint eorum officia et Missae.[10]

4. Pariter non licet tamquam Missas votivas celebrare Missas de Dominicis,[11] Feriis[12] et Vigiliis[13] per annum.

## Caput II.

### *De Ritu celebrandi Missas votivas.*

**271.** Quoad Missarum formularia:

1. Si petatur Missa votiva in honorem alicujus Sancti, ante omnia videndum est, utrum Missa legenda sit infra an extra octavam illius Sancti, si scilicet eam habeat? Si legatur infra ejus octavam diebus, quibus officium est de die infra octavam, sumenda est Missa officio conveniens et legenda more festivo, non votivo.[1]

[6] *S. R. C.* 22. Dec. 1753 ad 6. 7. — [7] *S. R. C.* 23. Febr. 1884 ad 5. — [8] *S. R. C.* 22. Dec. 1753 ad 5. — [9] Ibid. et *S. R. C.* 12. Mart. 1678 ad 8. — [10] Cf. *S. R. C.* 3. Jun. 1676 ad 1. — [11] *S. R. C.* 4. Mart. 1866 ad 2. — [12] Ibid. — [13] *S. R. C.* 21. Jun. 1855.

[1] Missa enim officio conformis, sive de semiduplici sive de quocunque duplici est festiva; proinde non est votiva nec more votivo dicenda. Ita rescripsit *S. R. C.* 14. Mart. 1896 ad 6.

Quodsi vero non fit officium de octava, sed de alio festo semiduplici, Missa erit quidem de octava i. e. de Sancto, cujus celebratur octava, sed more votivo i. e. sine Credo (in votiva privata), at cum Gloria ratione octavae.

2. Extra suam octavam autem, si Sanctus, in cujus honorem petitur Missa votiva, habeat Missam propriam, dicitur haec ritu scil. votivo, dummodo etiam extra festum veritas in verbis servetur, vel saltem servari possit pauca omittendo aut mutando, sicut statim dicetur. Si propriam Missam non habeat, vel veritas in verbis formularis Missae, etiam omissis vel mutatis nonnullis, nequaquam vel vix servari possit, ideoque Missa propria extra festum plane inconveniens sit, legitur Missa de Communi Sanctorum servata qualitate Sancti et ratione temporis. Omittuntur verba *annua hodie* et similia, quia non conveniunt. Mutantur verba *natalitia, solemnitas, festivitas* in verba *commemoratio, memoria*.

3. Si celebranda sit Missa votiva plurium Sanctorum simul, tunc si sint ejusdem ordinis, sumatur Missa de eorum Communi, et quidem nihil immutando, praeter ea quae modo innuimus, si adsit formulare pro Communi plurimorum eorum e. g. plurimorum Martyrum,[2]) plurimorum Virginum, secus dicendo Orationes in numero plurali in formulari de Communi conveniente. Si vero Sancti non sint ejusdem ordinis, puta alii Martyres alii Confessores aut Virgines etc., tunc sumitur Missa de digniori vel, in casu posito, de Communi plurimorum Martyrum, omittendo in Orationibus qualitates Martyris, Confessoris, Virginis etc., sicut habetur in Missa ss. Nazarii et Victoris Martyrum ac Innocentii Papae Confessoris die 28. Julii.

4. Si tempore paschali celebranda sit Missa votiva alicujus Martyris, cujus festum extra tempus paschale occurrit, Missa sumitur ex Communi pro tempore paschali; et vice versa, si extra tempus paschale celebranda sit Missa votiva alicujus Martyris, cujus festum recolitur tempore paschali, sumenda est Missa ex Com-

[2]) De sanctis 14 Auxiliatoribus, qui omnes (uno forte excepto) sunt Martyres, dicitur Missa *Sapientiam* de Communi plurimorum Martyrum, nullo expresso nomine.

muni respectivo extra tempus paschale juxta qualitatem Martyris; omni in casu tamen retentis iis, quae sunt propria ejusdem Missae, e. g. si habeat proprium Evangelium.[3])

5. Si petatur Missa votiva de B. M. V. *a)* in aliquo festo ejus, sumitur Missa festi, prout jacet,[4]) ergo ritu festivo; *b)* si infra aliquam octavam B. M. V. die, qua officium fit de ea i. e. de octava, celebranda est Missa de octava seu juxta ordinem officii[5]) cum Gloria et Credo, non autem votiva; *c)* si infra Octavam B. M. V. die, qua non fit officium de octava, sed de festo semiduplici, tunc dicitur quidem Missa de octava, sed more votivo, attamen cum Gloria propter octavam;[6]) *d)* si in Vigilia Assumptionis B. M. V., celebrari potest de Vigilia;[7]) *e)* in reliquis casibus dici debet una ex quinque Missis votivis de Beata in fine missalis.[8])

6. Pro gratiarum actione sumitur Missa votiva de ss. Trinitate vel de Spiritu Sancto vel de B. M. V. cum Oratione *Deus cujus misericordiae* addita Orationi Missae, sicut n. 187. ad 7. dictum est. Consule etiam n. 278. ad 2. pag. 313.

7. Si Sacerdos dicere velit Missam votivam in honorem s. Joannis Baptistae, sumere potest Missam ejusdem Nativitatis, sed Orationes dicendae sunt de ejusdem Vigilia. Post Septuagesimam vel tempore paschali Graduale Tractusque vel Versus sumenda sunt de Communi Confessoris non Pontificis.

8. Dicere volens Missam votivam in honorem s. Joseph, sumat Missam votivam per decretum 5. Julii 1883 pro feriis quartis per annum concessam.[9])

9. Si de omnibus apostolis simul petatur Missa votiva, eligenda est Missa de ss. apostolis concessa per citatum decretum.

Si vero petatur Missa de s. Petro tantum vel de s. Paulo solum, dicitur Missa votiva communis utrique apostolo in fine missalis cum intentione vene-

---

[3]) *S. R. C.* 29. Nov. 1738 ad 2. — [4]) *S. R. C.* 12. Mart. 1678 ad 8. — [5]) Ibid. — [6]) *S. R. C.* 15. Apr. 1880 ad 3. — [7]) *S. R. C.* 22. Jul. 1848. — [8]) *S. R. C.* 12. Mart. 1678 ad 8. — [9]) *S. R. C.* 3. Jun. 1892 ad 9.

randi apostolum, cujus Missa votiva petitur; nunquam enim separandi sunt ii, quos Ecclesia conjungit.[10])

Si de horum alterutro dicatur Missa, facienda est Commemoratio alterius, ex eadem ratione. Si ergo quis petat Missam votivam in honorem Conversionis s. Pauli, vel dicatur Missa votiva communis utrique apostolo, ut modo diximus, vel si dicitur Missa Conversionis s. Pauli, fiat Commemoratio s. Petri,[11]) tertia Oratio erit diei currentis.

Missa votiva s. Joannis Apostoli et Evangelistae tempore paschali est ut in ejus festo Ante Portam Latinam die 6. Maji.

Si legenda sit Missa votiva de quopiam alio apostolo, sumatur Missa festi, mutatis mutandis, sicut supra n. 2 diximus. Tempore autem paschali sumitur Missa ex festo s. Marci 25. Aprilis cum Orationibus, Epistola et Evangelio ex Missa propria.

10. De Missa votiva in honorem sacratissimi Cordis Jesu, vide numerum sequentem ad 2. et 3.

**272.** Quoad Missarum particularia:

Praetermissis iis, quae Missis votivis solemnibus vel privatis sunt peculiaria et in locis suis exponenda, subjungimus ea tantum, quae omnibus Missis votivis sunt communia.

1. Psalmus *Judica* dicitur in omnibus Missis votivis, tam solemnibus quam privatis, etiam tempore Passionis.

2. Si Missa habeat Introitum *Gaudeamus*, mutatur in alium convenientem de Communi. Doxologia *Gloria Patri* etc. ad Introitum semper dicitur, etiam Passionis tempore. In Missa votiva ss. Cordis Jesu *Miserebitur* extra tempus paschale non debent omitti *Alleluja;* quod valet etiam de Offertorio et Communione.[12])

3. Graduale, Versiculi et Tractus, si deficiant in propria Missa, sumuntur de Communi et pro temporis varietate mutantur. In Missa votiva ss. Cordis Jesu *Miserebitur*, si post Septuagesimam aut tempore

[10]) *Merati*, pars 1. tit. 4. n. 26. — [11]) Ibid. — [12]) *S. R. C.* 3. Jun. 1892 ad 10.

paschali dicatur, Graduale, Versiculi aut Tractus sumuntur ex altera Missa *Egredimini.*[13])

4. Sequentia in omnibus Missis votivis omittitur.

5. Psalmus *Lavabo* semper terminatur cum doxologia *Gloria Patri*, etiam tempore Passionis.

6. Praefatio dicitur propria Missae votivae, si propriam habeat; si propriam non habeat, dicitur de octava propriam habente, et si plures ejusmodi octavae simul occurrant e. g. ss. Trinitatis et Corporis Christi, dignior vel de octava pro universa Ecclesia praeferatur; si nulla octava propriam habens Praefationem occurrat, dicitur de Tempore propriam habente, secus dicatur communis. Videsis n. 275. ad 4. Nunquam vero dicitur Praefatio festi occurrentis, in quo celebratur votiva vel de quo in Missa votiva fit commemoratio.[14])

7. *Communicantes* et *Hanc igitur* propria octavae recitanda sunt in omni Missa votiva, quae infra eandem octavam celebratur, etiamsi Missa votiva Praefationem propriam habeat.[15])

8. *Ite Missa est* dicitur, quotiescunque in Missa votiva recitatur *Gloria;* secus dicitur *Benedicamus Domino,* in quocunque colore votiva celebretur.

9. Ultimum Evangelium s. Joannis semper dicitur, quamvis celebretur in Dominica, Vigilia, vel Feria proprium Evangelium habente.

## Caput III.

### *De Missa votiva solemni.*

**273.** Quid requiritur ad hanc Missam?

Missa votiva solemnis est ea, quae extra ordinem officii diei pro re gravi vel publica Ecclesiae causa ex praecepto vel saltem licentia Ordinarii solemniter celebratur. Tria ergo requiruntur ad hanc Missam:

1. Res gravis seu talis, quae per se vel per accidens saltem majorem communitatis aut reipublicae

---

[13]) In missalibus recentioribus haec continentur jam in ipso textu Missae *Miserebitur.* — [14]) *S. R. C.* 2. Dec. 1684 ad 8. — [15]) *S. R. C.* 16. Jun. 1663 ad 3.

sive ecclesiasticae sive civilis partem tangit. Causae ergo sufficientes ad cantandam Missam votivam solemnem sunt: obtinendum beneficium cummune, uti pacis, pluviae, serenitatis; avertenda calamitas cummunis, uti belli, morbi cantagiosi, terraemotus; sanitas recuperanda Summi Pontificis, Episcopi, Principis; gratiae agendae pro impetrato magno beneficio communi e. g. post messem peractam, post depulsam calamitatem communem.[1]) Item electio Superioris Generalis vel Provincialis in comitiis generalibus et provincialibus apud Religiosos,[2]) quia ad bonum communitatis religiosae maxime conducit.

Econtra causae, etsi per se gravissimae, tamen ad celebrandam Missam votivam solemnem sufficientes non sunt: electio abbatissae,[3]) vestitio vel professio religiosa,[4]) primitiae Neosacerdotis vel jubilaeum 50 annorum, solemnitas alicujus Sancti vel Mysterii extra propriam diem peragenda, quamvis infra ejusdem octavam.[5])

2. Praeceptum vel saltem licentia Ordinarii ad Missam hujusmodi celebrandam. Penes Ordinarium enim est discernere, quaenam sit res gravis et causa sufficiens ad celebrandam Missam votivam solemnem.

3. Solemnitas extrinseca, qua nimirum Missae solemnes juxta Rubricas celebrari solent, assistentibus scilicet Ministris sacris, cum cantu, thure aliisque caeremoniis. Si Ministri sacri desint, saltem cum aliqua solemnitate, qua a Missis privatis distinguantur, in cantu celebrentur.

**274** Quibus diebus permittitur?

Missa solemnis votiva pro re gravi permittitur omnibus diebus per annum, exceptis: *a)* festis duplicibus primae classis; *b)* Dominicis primae classis, nempe Dominica prima Adventus, Dominica prima Quadragesimae, Dominica Passionis, Palmarum, in Albis et Trinitatis; *c)* feriis privilegiatis Cinerum et hebdomadae majoris; *d)* vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini et Pentecostes.[6])

---

[1]) *S. R. C.* 19. Maji 1607 ad 14. — [2]) *S. R. C.* 16. Apr. 1853 ad 26. — [3]) *S. R. C.* 28. Apr. 1708 ad 6. — [4]) *S. R. C.* 24. Jul. 1683 ad 5. — [5]) *S. R. C.* 24. Jul. 1660. — [6]) *S. R. C.* 27. Mart. 1779 ad 20.

Si hisce diebus exceptis Missa votiva solemnis praescriberetur, sumenda esset Missa conformis officio seu de die, ejusque Orationi principali adjungenda esset Oratio Missae votivae sub unâ conclusione, sicut n. 187. ad 2. diximus, deinde sub distincta conclusione addendae reliquae Commemorationes, si quae sint praescriptae.[7]

**275.** Quo ritu celebratur?

Ante omnia recole ea, quae quoad ritum omnibus Missis votivis communem dicta sunt n. 272. Quoad ritum Missis votivis solemnibus peculiarem haec observa:

1. Hymnus *Gloria* semper dicitur, nisi celebretur in colore violaceo, quo in casu omittitur.[8]

2. Oratio semper dicitur unica[9] sine ulla Commemoratione Dominicae, Feriae majoris, Festi duplicis vel semiduplicis. etiam in ecclesiis, in quibus una tantum cantatur Missa. Excipe tamen, si celebretur *a)* pro gratiarum actione, quia tunc Oratio *Deus cujus misericordiae* adjungitur sub unâ conclusione;[10] *b)* coram ss. Sacramento exposito, quia tunc Commemoratio Sanctissimi additur sub unâ conclusione. Vide n. 187. ad 1.

3. Symbolum *Credo* semper dicitur in Dominicis, sive celebretur in colore violaceo sive in alio colore, et sive Sanctus. de quo Missa votiva solemnis celebratur, in suo festo Symbolum habeat sive non.[11] Sed etiam extra Dominicam semper dicitur *Credo*, quotiescunque Missa votiva solemnis non celebratur in colore violaceo.[12]

4. Praefatio in Missis votivis solemnibus, quae cantantur in Dominicis, non est communis, sed de ss. Trinitate, si ipsa Missa votiva vel octava vel tempus propriam non habeat;[13] secus dicitur vel de Missa votiva vel de octava vel de tempore, sicut n. 272. ad 6. dictum est.

5. Cantum quod attinet, notandum est, Missas votivas solemnes tonum solemnem seu festivum habere

---

[7]) *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 29. — [8]) *S. R. C.* 13. Febr. 1666 ad 6. — [9]) Rub. gen. miss. IX. n. 14. *S. R. C.* 23. Apr. 1875 ad 6. — [10]) Rub. post. Miss. vot. de ss. Trinitate. — [11]) *S. R. C.* 13. Aug. 1667 ad 3. — [12]) *S. R. C.* 13. Febr. 1666 ad 6. — [13]) Decisionem contrariam *S. R. C.* 16. Apr. 1853 ad 27. vim legis non amplius habere, patet ex *Eph. lit.* 1896 pag. 32.

in Orationibus, Praefatione et Oratione Dominica.[14]) Tonus *Ite Missa est* sequitur tonum Gloriae et Praefationis; *Benedicamus Domino* cantatur ut in Vigilia Nativitatis Domini.[15])

## Caput IV.

### *De Missa votiva privata.*

**276.** Quid est Missa votiva privata?

Missa privata inter votivas dicitur ea, quae ex privata, sed semper rationabili causa celebratur. Talis causa rationabilis et sufficiens est petitio facta a dante eleemosynam, specialis devotio Celebrantis vel petentis vel populi erga aliquod Mysterium vel Sanctum. Nota distinctiva hujus Missae non est ritus privatus, quia celebrari potest etiam solemniter, neque defectus praecepti vel licentiae Episcopi, quia celebrari potest etiam ex praecepto et licentia Ordinarii, sed est causa minus gravis et privata.

**277.** Quibus diebus permittitur?

1. In omnibus festis semiduplicibus, exceptis diebus infra octavas privilegiatas Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi et Nativitatis Domini,[1]) excepta etiam die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum.

2. In omnibus festis simplicibus.

3. In omnibus feriis non privilegiatis, quales sunt omnes feriae per annum, exceptis feria quarta Cinerum et feriis omnibus hebdomadae majoris.

4. In omnibus vigiliis non privilegiatis, quales sunt omnes vigiliae praeter eas Epiphaniae, Pentecostes et Nativitatis Domini.

Prohibentur ergo Missae votivae privatae: *a)* in omnibus festis duplicibus, *b)* in omnibus Dominicis per annum, *c)* omnibus diebus exceptis supra recensitis. Si Missa votiva petatur tali die prohibita, sumatur Missa de die, cui tamen non licet addere Orationem Missae votivae,[2]) nisi tertia Oratia sit ad libitum. Similiter non

---

[14]) Rub. gen. miss. XII. n. 4. — [15]) Rub. ordin. miss. in fine.
[1]) *S. R. C.* 28. Sept. 1675. — [2]) *S. R. C.* 7. Sept. 1850 ad 3.

licet diebus semiduplicibus canere eodem die eademque in ecclesia duas Missas votivas ejusdem Sancti.[3])

**278.** Quo ritu celebratur?

Praeter ea, quae omnibus Missis votivis sunt communia (vide n. 272.), in Missis hujusmodi privatis observanda sunt etiam sequentia, quae iis sunt peculiaria:

1. Hymnus *Gloria* in votivis privatis nunquam dicitur, quantumvis solemniter celebrentur,[4]) praeterquam *a)* in Missis votivis B. M. V. in Sabbato, etiamsi non fiat officium de Beata;[5]) *b)* in Missis ejusdem B. M. V., quae celebrantur infra ejus octavam more votivo, sicut n. 271. ad 5. diximus; *c)* in Missis votivis Angelorum, sive singulorum sive simul sumptorum; *d)* in Missis Sanctorum, quae more votivo celebrantur infra eorum octavas,[6]) sicut n. 271. ad 1. innuimus.

2. Orationes dici debent saltem tres,[7]) etiam tempore Passionis, quamvis solemniter celebrentur, aliquando plures, scilicet: *a)* quando duae vel plures Commemorationes speciales faciendae sunt, *b)* quando Orationes votivae ex mandato Rubricarum vel Superioris addendae sunt v. g. Commemoratio Sanctissimi, Oratio imperata, quo in casu non requiritur numerus impar. Recole n. 181. ad 6. 7. Potest autem, sed non debet Celebrans post Commemorationes de praecepto pro arbitrio suo addere plures Orationes votivas,[8]) dummodo numerus omnium Orationum simul sumptarum impar sit et septenarium numerum non excedat.

Ordinem Orationum quod attinet, prima Oratio dicitur de Missa votiva ipsa, secunda de officio diei, tertia, quae secundo loco in Missa diei recitanda esset. Si ergo Missa diei sit de octava, tertia Oratio erit, quae secundo loco infra ipsam octavam ponitur; si de vigilia, tertia Oratio dicenda erit, quae secundo loco in vigilia assignatur; si de semiduplici, simplici aut feria, tertia Oratio recitanda erit, quae secundo loco de tempore dicenda praescribitur in Rub. gen. miss. IX. n. 2. sq.

---

[3]) *S. R. C.* 11. Sept. 1847 ad 18. — [4]) *S. R. C.* 2. Sept. 1690 ad 1. — [5]) *S. R. C* 30. Jul. 1689. — [6]) Cf. *S. R. C.* 15. Apr. 1880 ad 3. — [7]) *S. R. C.* 3. Mart. 1818. — [8]) Rub. gen. miss. IX. n. 12. 14.

Notandae sunt tamen quaedam exceptiones: *a)* In Missis votivis B. M. V. tertia Oratio dicitur de Spiritu Sancto [9]) et similiter in Missa votiva omnium Sanctorum. *b)* In Missa votiva ss. apostolorum Petri et Pauli non dicitur tertia Oratio *A cunctis* sed *Concede* de B. M. V., sicut n. 196. ad 4. diximus. Recole etiam dicta n. 271. ad 9. *c)* In Missa votiva privata pro gratiarum actione, tertio loco vel post Commemorationes speciales, si quae sint, sed ante Orationes votivas dicitur Oratio *Deus cujus misericordiae,* quae reperitur post Missam votivam ss. Trinitatis in fine missalis.

3. Symbolum *Credo* in Missis votivis privatis nunquam dicitur, quamvis solemniter celebrentur [10]) et Mysterium vel Sanctus, de quo dicitur Missa votiva, in suo festo habeat *Credo*.

4. Notamus adhuc, Missas votivas privatas, etiamsi solemniter celebrentur, tonum simplicem seu ferialem habere in Orationibus, Praefatione Oratione Dominica et *Benedicamus Domino. Ite Missa est* sequitur tonum Hymni Gloria.

## Caput V.

### *De Missis votivis ad libitum seu per annum.*

**279.** Quaenam est qualitas Missarum harum?

Genus speciale Missarum votivarum constituunt Missae votivae sic dictae ad libitum [1]) seu per annum, quae scilicet per decretum S. R. C. die 5. Julii 1883 pro singulis hebdomadae diebus per annum assignatae sunt, videlicet pro feria secunda de ss. Angelis, pro feria tertia de ss. Apostolis, pro feria quarta de s. Joseph, pro feria quinta de ss. Eucharistiae Sacramento, pro feria sexta de Passione Domini, pro Sabbato de Immaculata. Romae loco Missae de ss. Apostolis pro feria tertia assignata est Missa de ss. Apostolis Petro et Paulo. Quae dispositio afficit non tantum eos, quae Romae materialiter

[9]) Ibid. n. 15. — [10]) *S. R. C.* 2. Sept. 1690 ad 1.

[1]) Eph. lit. 1888 pag. 215. ad 9.

degunt, etiamsi Kalendario Urbis non utantur,[2] sed etiam eos, qui Kalendario Cleri Romani utentes extra Urbem degunt.[3])

Quum hae Missae, sicut officia iis convenientia, prorsus sint *ad libitum,* patet, loco Missae votivae hujusmodi, alterius Missae celebrandae singulis Sacerdotibus libertatem dari. A qua libertate tamen eximuntur: *a)* Canonicorum collegia et communitates, quae ad chori legem adiguntur, et haec votiva officia, approbante semel pro semper Ordinario, acceptarunt,[4]) ita ut ab hac acceptatione non amplius liceat recedere, neque legitime e. g. vi dispensationis a choro absentibus.[5]) Quod tamen intelligendum est tantum quoad Missam conventualem, quum singuli de collegio, qui Missam privatam faciunt, quoad Missas singulis de Clero aequiparentur.[6]) Eximuntur a dicta libertate *b)* etiam ii, quibus jam antea per Indultum apostolicum concessum fuerat privilegium, officium votivum recitandi, quibus proinde non datur optio inter officium feriale et votivum nisi diebus in priori indulto exceptis. Propositum fuit dubium: »Quum ex decreto diei 5. Julii 1883 liberum sit iis, qui nullo canonico titulo ad chorum tenentur, recitare quibusdam feriis exceptis vel officium feriale vel officium votivum huic feriae respondens, quaeritur: Utrum obligatio adhuc maneat solum officium votivum recitandi ubi istud officium ante jam fuerat speciali privilegio alicui dioecesi concessum, ita ut praefatis diebus ferialibus non detur optio inter officium feriale et officium votivum? Et quatenus affirmative, an optio detur diebus contentis in novo Indulto 5. Julii 1883 in alio praecedenti exceptis?« S. R. C. rescripsit: »Affirmative ad primam et secundam partem.«[7])

Missae, de quibus sermo, medium quodammodo locum tenent inter Missas votivas et festivas. Sunt scilicet vere votivae sensu latiori; votivae, quia non concordant cum officio diei, sensu tamen latiori, quia ex

---

[2]) *S. R. C.* 9. Maji 1884 ad 3. — [3]) *S. R. C.* 18. Maji 1889. — [4]) *S. R. C.* 10. Nov. 1883 ad 1. 2. 3. Vide Indult. apost. de 5. Jul. 1883. — [5]) *S. R. C.* 12. Febr. 1884 ad 7. — [6]) *Eph. lit.* 1888 pag. 365. n. 23. — [7]) *S. R. C.* 24. Nov. 1883 ad 1.

voto Ecclesiae dicuntur; ast non celebrantur ritu votivo sed festivo, sicut festa semiduplicia, ideoque semper habent Gloria et cantantur in tono festivo. Quapropter a quibusdam mixtae appellantur.[8])

**280.** Quando hae Missae celebrantur?

1. Permittuntur: *a)* Diebus singulis assignatis loco Missarum ferialium occurrentium quocunque anni tempore, exceptis feriis infra recensitis.[9]) *b)* In festis simplicibus.[10]) *c)* In vigiliis non privilegiatis.[11])

2. Prohibentur: *a)* Feria quarta Cinerum, feriis totius temporis Passionis et sacri Adventus a die 17. ad 24. Decembris inclusive.[12]) *b)* Feriis infra octavam alicujus festi.[13]) *c)* Die, qua officium Dominicae anticipandum praescribitur.[14]) *d)* Feria sexta post octavam Ascensionis Missam votivam de Passione non licet celebrare.[15])

Quae prohibitiones ita tamen intelligendae sunt, ut, quia officia votiva recitari iis diebus nequeunt, etiam Missas votivas ritu festivo i. e. cum *Gloria* agere non liceat. Si quis autem hoc tempore vetito, dummodo Rubricae id alias permittant, unam ex Missis supra dictis e. g. de sancto Joseph celebrare velit, eam tantum ritu votivo i. e. sine Gloria (exceptis Missis ss. Angelorum et B. M. V. in Sabbato, quae semper Gloriam habent) et in cantu feriali celebrare debet,[16]) ideoque in Missa de Passione colore violaceo utatur, pro qua Missa aliis temporibus totius anni color rubeus praescribitur.[17])

[8]) *Eph. lit.* 1888 pag. 364. sq. Rubrica his Missis praefixa habet: »Secunda et tertia oratio erunt ut in Semiduplicibus, pro diversitate temporis. Fiunt quoque Commemorationes de Simplici ac de feria cum ejus Evangelio in fine Missae, prout de iis actum est de respondente officio votivo per annum, juxta Rubricas missalis. Dicitur Gloria, omittitur Credo.« — [9]) Rub. his. Miss. praefixa. — [10]) *S. R. C.* 24. Nov. 1883 ad 3. *Eph. lit.* 1888 pag. 230. ad I. et pag. 362. ad 20. — [11]) *S. R. C.* 16. Jan. 1885 ad 1. 2., ubi etiam statuitur, in casu recitati in choro officii votivi celebrandas esse in Cathedralibus duas Missas, una scil. idque votiva de die respondente post Tertiam, altera de Vigilia post Nonam. — [12]) Rub. his miss. praefixa. — [13]) *S. R. C.* 13. Aug. 1883 ad 1. — [14]) *S. R. C.* 5. Febr. 1895 ad 1. Cf. *Eph. lit.* 1888 pag. 307. sq. — [15]) *S. R. C.* 29. Apr. 1887 ad 1. — [16]) *Schober* in s. Alphonsi Lib. de caer. miss. Append. 3. cap. 3. A. n. 4. — [17]) *S. R. C.* 24. Nov. 1883 ad 2.

**281.** Quaenam est cohaerentia inter officium recitatum et Missam celebrandam?

1. Recitans officium votivum celebrare poterit: *a)* Missam votivam officio (votivo) respondentem; *b)* aliam Missam votivam ex concessis a Leone XIII. officio non respondentem,[18]) sed ritu stricte votivo cum Oratione secunda de votivo occurrente et tertia, quae aliunde secundo loco diceretur in Missa respondenti officio diei;[19]) *c)* aliam quamcunque votivam privatam cum Orationibus ut ad *b* praecedentem;[20]) *d)* Missam de feria majore occurrente,[21]) sed cum commemoratione officii votivi;[22]) *e)* Missam de Requiem privatam, quia officium est semiduplex, quod admittit Missas de Requiem.

2. Recitans officium feriale i. e. de feria non privilegiata celebrare poterit: *a)* Missam de feria, de qua officium, sine commemoratione officii votivi huic feriae respondentis; *b)* Missam votivam quamcunque ex concessis a Leone XIII. sive feriae respondentem[23]) sive non respondentem, sed in utroque casu ritu stricte votivo i. e. sine Gloria et cum *Benedicamus Domino* in fine, exceptis Missis de Angelis et de B. M. V. in Sabbato, in quibus semper dicitur Gloria et *Ite Missa est.* *c)* Missas quascunque votivas privatas,[24]) pariter sine commemoratione officii votivi feriae respondentis; *d)* Missam de Requiem, quia in simplicibus, quale et officium feriae, licet celebrare hujusmodi Missas.

---

[18]) Ratio est, quia haec officia sunt ritus semiduplicis, qui admittit Missas votivas privatas. — [19]) Si quis recitaverit Officium de s. Joseph, poterit dicere Missam ex votivis ad libitum de Immaculata, dummodo omittat *Gloria* et *Ite Missa est*, cujus loco dicat *Benedicamus Domino* et dicat tres saltem Orationes ut supra ac ultimum Evangelium s. Joannis. *Eph. lit.* 1888 pag. 365. et 1889 pag. 538. 543. — [20]) *Eph. lit.* 1889 pag. 561. ad XI. Ratio est eadem ac in nota 18. relata. — [21]) *Eph. lit.* 1891 pag 689. — [22]) In una Strigonien. propositum fuit dubium 8: »Recitans privatim officium aliquod votivum feriis Quadrag. Quatuor tempor. aut Vigiliarum, potestne celebrare Missam de feria in colore violaceo? Et si affirmative, debetne omittere commemorationem officii votivi illa feria privatim recitati?“ S. R. C. die 30. Aug. 1892 rescripsit ad dub. 8: Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.« Cf. *Eph. lit.* 1892 pag. 588. n. 8. et 1893 pag. 12. not. 2. — [23]) *Eph. lit.* 1888 pag. 365. ad 24. — [24]) Ratio est. quia officia ferialia sunt ritus simplicis, qui admittit Missas votivas privatas.

# Tractatus VIII.

## De Missis quibusdam peculiaribus.

### Caput I.

### *De Celebrante Missam privatam coram Episcopo.*

**282.** Quae hic notantur caeremoniae, observandae sunt in Missa privata coram Episcopo in sua dioecesi, etiam in ecclesiis Regularium, quomodolibet exemptis, coram Archiepiscopo in sua provincia, coram Patriarcha in suo primatu, coram Nuntio et Legato apostolico in territorio eorum nuntiaturae seu legationis, coram Cardinali ubique terrarum,[1]) coram Abbate benedicto in suo monasterio, et etiam coram Episcopo in oratoriis privatis, quamvis extra dioecesim,[2]) si tamen dicti Praelati Missae non assistant sine habitu dignitatis suae.[3]) Si Missa celebratur coram Praelato extra territorium jurisdictionis suae, Celebrans nihil aliud observare debet, nisi quod accedens ad altare et recedens ab eodem in principio et fine Missae, transeundo ante Praelatum, ipsi caput coopertum profunde inclinet.[4])

Episcopus praesens Missae privatae per alium celebratae, genuflectit super genuflexorio sibi parato ante medium altaris, vel e regione in cornu Epistolae, nisi aliud situs loci suadeat[6]) v. g. in cornu Evangelii.

**283.** — 1. Si Episcopus Celebrantem praevenerit, tunc more solito Celebrans accedit ad altare cum calice et cooperto capite. Transiens ante Episcopum, caput coopertum profunde eidem inclinat, nisi expositum sit ss. Sacramentum.[5]) Si genuflectat Episcopus super genuflexorio in facie altaris, Celebrans accedit ante infimum gradum versus cornu Evangelii, ne tergum vertat Episcopo, caput detegit et facta altari debita reverentia, ascendit per gradus versus cornu Evangelii, et aptato calice apertoque missali per eandem viam descendit in

---

[1]) Rit. cel. miss. III. n. 2. *Baldeschi,* I. pars 1. cap. 6. — [2]) *S. Alphonsus,* Lib. de caer. miss. cap. 16. n. 1. — [3]) Conf. *S. R. C.* 22. Mart. 1862 ad 23. — [4]) *Herdt.* S. Lit. Prax. II. n. 40. — [5]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 30. n. 1. — [6]) *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 6.

planum, ubi consistens versus cornu Evangelii, facie versa ad cornu Epistolae exspectat signum incipiendi, quo dato ab Episcopo, profunde eidem se inclinat. Erectus et conversus ad altare in cornu Evangelii, debitam altari facit reverentiam et more solito incipit Missam.

Si Episcopus non in facie altaris, sed a latere in cornu Epistolae vel Evangelii assistat, Celebrans in medio se sistere potest, quia tunc eidem terga non vertit et commode illi debitas inclinationes exhibere potest. Si Episcopus genuflecteret ad cornu Evangelii, Celebrans posset ascendere et descendere per gradus versus cornu Epistolae.

Si Celebrans ad altare accesserit ante adventum Episcopi, tunc accomodato calice apertoque missali, exspectat in plano a cornu Evangelii. Episcopo adveniente vertit se in eodem loco et profunde inclinatus ipsum salutat. Mox erectus exspectat signum incipiendi Missam, quo accepto, se gerit ut supra.[7])

2. Ad Confiteor Celebrans non dicit *Vobis fratres* nec *Vos fratres*, sed conversus ad Episcopum *Tibi pater* et *Te pater*.[8]) More solito autem dicit *Misereatur* et *Indulgentiam*. Dicto *Oremus*, antequam altare ascendat, conversus ad Episcopum profundam ei facit inclinationem, deinde accedit ad medium altaris ante infimum gradum et incipiens *Aufer a nobis* ascendit per gradus Missam prosecuturus.

3. Finito Evangelio Celebrans non osculatur librum nec dicit *Per evangelica dicta etc.*,[9]) sed ipso in medio altaris exspectante,[10]) donec liber reportatus sit, Capellanus Episcopi vel, eo deficiente, minister Missae, missale apertum, nulla praemissa reverentia, ad Episcopum

---

[7]) Minister sicut alias genuflectit, scil. sub Confessione a sinistris Celebrantis. Quantum fieri potest, caveat, ne tergum vertat Episcopo. Perrecturus ab una parte ad alteram, transit post Episcopum in medio genuflexum et dum reverentia ei facienda est, genuflectere tenetur. *Herdt.* S. Lit. Prax. II. n. 39. — [8]) Minister semper dicit *Tibi Pater* et *Te Pater* aliquantulum conversus ad Celebrantem. Rit. cel. miss. III. n. 9. — [9]) Rit. cel. miss. VI. n. 2. — [10]) *Martinucci*, lib. 1. cap. 23. n. 9.

defert,[11]) ostendens ei initium Evangelii. Dicto ab Episcopo *Per evangelica dicta etc.* et libro osculato, Capellanus vel minister, facta Episcopo genuflexione, librum clausum ad altare reportat. Quo facto Celebrans Missam prosequitur more solito usque ad Communionem.

4. Pax non datur, nisi cum instrumento, ubi in usu est. Et tunc finita prima Oratione ante Communionem, Celebrans osculatur altare, deinde instrumentum pacis ei porrectum a ministro genuflexo ad dexteram ejus, dicens *Pax tecum;* minister respondet *Et cum spiritu tuo,* et instrumentum defert[12]) Episcopo osculandum sine reverentia dicens *Pax tecum,* cui respondet Episcopus *Et cum spiritu tuo;* dein minister Episcopo genuflectit. Celebrans interim Missam prosequitur.

5. Ad benedictionem populi Celebrans more solito dicit *Benedicat vos omnipotens Deus;* tum conversus ad populum, antequam benedicat, caput Episcopo profunde inclinat,[13]) quasi licentiam benedicendi petens, nisi expositum sit ss. Sacramentum;[14]) deinde capite erecto prosequitur *Pater et Filius et Spiritus Sanctus,* benedicens adstantes a parte, ubi non est Episcopus, scilicet a parte Evangelii, si Episcopus sit in medio vel in parte Epistolae.

6. Finito ultimo Evangelio, Celebrans in cornu Evangelii persistens, ad Episcopum se convertit eique caput profunde inclinat. Deinde vel ibidem expectat, donec Episcopus discesserit, vel, si Episcopus moram faciat, ad medium altaris accedit, accepto calice descendit, et facta altari et Episcopo debita reverentia, in sacristiam revertitur.

---

[11]) Si plures adsint Praelati, missale defertur digniori dumtaxat, nulli vero, si plures adsint aequales. Sed nec in hoc casu Celebrans librum osculatur nec dicit *Per evangelica dicta. Caer. Ep.* lib. 1. cap. 30. n. 3. *Herdt.* Prax. Pont. I. n. 228. a. — [12]) Si plures adsint Praelati, primo datur digniori, deinde aliis juxta ordinem. Si plures adsint aequales, datur primo illi, qui primum locum occupat, vel ei, qui proximus est altari et aliis successive. *Herdt,* l. c. ad *b.* et S. Lit. Prax. II. n. 39. ad 5. — [13]) Rit. cel. miss. XII. n. 3. — [14]) *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 6.

7. Notat s. Alphonsus,[15]) Sacerdotem celebrantem coram proprio Praelato diebus, quibus Orationem *ad libitum* dicere licet, non posse dicere Orationem pro seipso, sed convenire, ut Orationem pro Praelato (Episcopo) sumat.

## Caput II.

### *De Celebrante Missam solemnem coram Episcopo.*

**284** — 1. Agitur hic de Missa solemni, quae celebratur coram Episcopo dioecesano, sicut dictum est n. 282. Si Missa solemnis celebretur coram Episcopis extraneis, a Celebrante omnia ita peragenda sunt, ac si praesentes non essent. Verumtamen ante et post Missam nudo capite in transitu salutandi sunt.

Reverentia Episcopo assistenti Missae solemni sive in choro sive in throno, a Celebrante non exhibetur nisi inclinatio,[1]) licet non sit Canonicus, sed simplex Sacerdos, et licet ceteri omnes genuflectant. Si expositum sit ss. Sacramentum, nec inclinatio ei exhibetur in accessu, recessu et transitu. Vide n. 106. ad 1. 2.

**285.** Si Episcopus Missae solemni assistat in choro, quod in Cathedralibus semper fieri debet, quando rochetto et mozzetta[2]) indutus est, ipse non benedicit incensum, neque Subdiaconum post Epistolam, neque Diaconum ante Evangelium, neque aquam ad Offertorium, neque populum in fine Missae; quae omnia ad Celebrantem spectant. Quapropter Celebrans omnia peragit sicut alias, nullo respectu habito Episcopi, ac si non adesset,[3]) excepta dumtaxat benedictione[4]) populi in fine Missae, ante quam impertiendam Celebrans se vertit ad Episcopum sedentem in primo stallo chori eique caput profunde inclinat, quasi veniam petens, deinde benedicit a parte Episcopo opposita, sicut dictum

[15]) Lib. de Caer. miss. cap. 5. n. 11. et cap. 16. n. 7.

[1]) Id est profunda corporis inclinatio ante et intra Missam usque ad Communionem exclusive (Cf. Rit. cel. miss. III. n. 2, 11.; *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 43. ad 3.), profunda capitis inclinatio autem post sumptionem sacrae Communionis. (Cf. Rit. cel. miss. XII. n. 3.) — [2]) *S. R. C.* 14. Jul. 1638. — [3]) *S. R. C.* 7. Dec. 1844 ad 2. quaest. 1—5. — [4]) Ibid. quaest. 6.; *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 142. § 1.

est n. 283. ad 5. Quod tamen intelligendum est de casu dumtaxat, si chorus sit ante altare; si enim stalla sint retro post altare, Celebrans benedictionem impertit more solito.

**286.** Episcopus Missae solemni assistere potest etiam in throno, idque vel cappa indutus vel pontificaliter paratus. In utroque casu assistunt ei saltem duo Canonici ut Diaconi assistentes in habitu chorali. Quibus addi potest Dignitarius ut Presbyter assistens. Celebrans in quovis casu, sive Episcopus assistat in cappa vel in pontificalibus, haec observet:

1. Si praesente jam Episcopo Celebrans cum Ministris ad altare supervenerit, facta altari debita reverentia, in eodem loco persistens se vertit ad Episcopum eique exhibet profundam corporis inclinationem, nisi expositum sit Sanctissimum, quia tunc omittitur reverentia Episcopo praestanda. Si accedendo ad altare transeat ante Episcopum, in transitu profunde sese ei inclinat capite aperto.

Si vero, quod certe decet, Celebrans ante adventum Episcopi ad altare accesserit, in scamno ad cornu Epistolae cum Ministris sacris sedet, exspectans adventum Episcopi. Quo adveniente, caput detegit, surgit cum Ministris, eique super genuflexorium procumbenti, debitam facit corporis inclinationem. Dum Episcopus orat, detecto capite accedit retro post Episcopum versus ejus sinistram ibique stat[5]) cum Ministris. Si Episcopus paratus cum pluviali, mitra et pastorali assistere velit, Celebrans non vadit ad eum, dum orat, sed ad scamnum persistit, donec Episcopus paratus a sede descendat ad incipiendam Missam.

2. Si facienda sit Aspersio aquae benedictae[6]), Episcopo ad thronum ascendente, Celebrans pluviali indutus ad altare accedit et facta eidem reverentia in infimo gradu genuflexus cantat *Asperges me* vel tempore paschali *Vidi aquam*, aspergens altare tantum. Mox surgens, manentibus Ministris sacris genuflexis ad altare, cum

---

[5]) Conf. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 28. n. 1. — [6]) *Herdt*, Prax. Pont. III. n. 198.

Caeremoniario (et Acolytho cum aqua benedicta) accedit ad Episcopum in sede, eique debita facta reverentia aspergillum porrigit cum osculis consuetis, Caeremoniario (et Acolytho) interim genuflexo usque ad reditum ad altare. Episcopus aspergit primo seipsum, tum Celebrantem stantem capite inclinato, postea assistentes sibi, et aspergillum Celebranti reddit, qui illud debitis cum osculis recipit et facta inclinatione Episcopo, ad altare reversus illique facta reverentia, aspergit Ministros sacros adhuc genuflexos, chorum ceterosque more solito. Aspersione et oratione conveniente absoluta factaque altari ac Episcopo reverentia recedit e medio altaris[7]) et accedit ad scamnum in cornu Epistolae. Deposito ibi pluviali assumptisque casula et manipulo, revertitur ad altare ibique se sistit, ut dicetur.

3. Accedente Episcopo ad altare ad incipiendam Missam, Celebrans stat a sinistris ejus paulo post eum, simul cum eo altari faciens reverentiam eique respondens, ac si Episcopus celebraret. Infra *Confiteor* ad verba *Tibi Pater et Te Pater* convertit se ad Episcopum.[8]) Dicto ab Episcopo *Indulgentiam*, Celebrans inclinatione versus eum facta se retrahit[9]) constituitque inter Diaconum et Subdiaconum et prosequitur cum ipsis *Deus, tu conversus etc.*; Diaconi vero assistentes, qui hucusque steterunt retro post Episcopum (vide n. 107. ad 3.), accedunt hinc inde ad latera Episcopi, qui stans in eodem loco similiter cum iisdem recitat *Deus, tu conversus etc.*[10]) Dicto *Oremus* ante *Aufer a nobis etc.*, Episcopus redit ad sedem, Celebrans vero, facta ei transeunti debita

---

[7]) Notamus sequentem decisionem in una Sancti Marci, Dub. 4: »An Canonicus Hebdomadarius celebraturus Missam solemnem, post aspersionem aquae benedictae in die Dominico faciendam, possit in plano seu in medio altaris et ante gradus ejus se expoliare pluviali et induere casulam de scamno vel credentia excipiendam?« *S. R. C.* rescripsit: Ad 4: »Affirmative ad primam partem, *nisi adsit Episcopus.*« Dub. 5: »Praedicto in casu Canonicus Hebdomadarius toto rigore debetne accedere ad scamnum vel ad credentiam ibique se expoliare pluviali et induere casulam?« *S. R. C.* rescripsit: Ad 5: »Provisum in praecedenti.« *S. R. C.* 22. Mart. 1862 ad 4. 5. — [8]) *S. R. C.* 2. Sept. 1597 ad 5. — [9]) *S. R. C.* 5. Mart. 1870 ad 8. — [10]) *S. R. C.* 14. Nov. 1676 ad 6.

inclinatione, ad gradus altaris accedit et dicens *Oremus. Aufer a nobis etc.* more solito ascendit per gradus.

4. Ante altaris incensationem Episcopus thus imponit, Celebrante interim exspectante, donec thuribulum allatum sibique ministratum fuerit sine osculis a Diacono, qui eum post altaris incensationem adolet duobus ductibus duplicibus, sive Episcopus sit paratus pontificaliter sive cappa tantum.

5. Nec Subdiacono post cantatam Epistolam nec Diacono ante Evangelium cantandum benedictionem impertit; item nec incensum imponit ante Evangelium nec librum osculatur nec dicit *Per evangelica dicta etc.* post Evangelium. Haec omnia enim peraguntur et dicuntur ab Episcopo assistente.[11]) Incensatur autem Celebrans post cantum Evangelii a Diacono duobus ductibus duplicibus, nisi Episcopus assistat paratus cum pluviali et mitra, in quo casu Episcopus solus tribus ductibus duplicibus thurificatur.[12]) Sive autem Celebrans incensetur sive non, exspectare tamen debet ad cantandum *Credo* aut *Dominus vobiscum,* donec Episcopus librum sit osculatus et incensationem acceperit.

6. Ad Offertorium Celebrans aquam non benedicit,[13]) recitat tamen orationem *Deus, qui humanae substantiae etc.*[14]) manibus ante pectus junctis. Ipse nec imponit nec benedicit incensum, sed Episcopus, thurificat autem Oblata, Crucem et altare more solito et in fine duobus ductibus duplicibus adoletur.

7. Dicta oratione *Placeat,* Celebrans non dicit *Benedicat vos etc.* nec benedictionem impertit populo; sed immediate se retrahit cum Ministris sacris ad cornu Epistolae, faciem suam vertendo ad Episcopum eique caput profunde inclinando, dum Episcopus solemniter benedicit. Accepta benedictione se erigit et signat, tunc si indulgentia publicanda sit, se iterum inclinat Episcopo ad petendam licentiam eam publicandi, et Episcopo annuente[15]) e libello praeparato eandem publicat. Quo

[11]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 9. n. 8. — [12]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 13.; *S. R. C.* 4. Aug. 1674 ad 1. — [13]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 9. n. 8. — [14]) *Herdt,* Prax. Pont. II. n. 162. — [15]) *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 9. n. 6.

facto per medium altaris debitis cum reverentiis accedit ad cornu Evangelii, ubi de more legit Evangelium.

8. Lecto Evangelio vel in cornu Evangelii cum Ministris vertit se ad Episcopum debitam ei faciens reverentiam et exspectans, donec Episcopus discesserit, vel dato signo [16]) ab Episcopo, debitis cum reverentiis altari et Episcopo faciendis in Sacristiam discedit.

**287.** Si Episcopus extra Cathedralem in aliqua suae dioeceseos ecclesia Missae solemni assistere velit, paretur sedes a latere Evangelii, si loci situs id patiatur, elevata a solo tribus gradibus tapetibus tectis. Ante altare collocetur genuflexorium tapete coopertum et cum pulvinis.

Si velit pontificaliter indutus Missae solemni assistere, supra altare parantur pluviale, stola, cingulum, alba, amictus et mitra, nisi in eo expositum sit ss. Sacramentum, quo in casu paramenta ponuntur in mensa juxta sedem, nisi Episcopus ea sumere velit in sacristia. Missale et bugia in credentia vel in dicta mensa collocantur.

Si solemniter excipiendus sit Episcopus in adventu suo, Clerus illius loci vel ecclesiae in habitu chorali i. e. in superpelliceis accedit ad portam ecclesiae. Ibi dignior [17]) ecclesiae (parochus, rector ecclesiae) et non alius, licet adsit aliquis Canonicus cathedralis, in habitu chorali sine stola [18]) genuflectens porrigit Episcopo aspergillum cum debitis osculis.[19]) Episcopus aspergit primum seipsum, deinde digniorem Sacerdotem et ceteros de Clero genuflexos. Postea aspergillum a praefato Sacerdote digniore genuflexo cum osculis consuetis recipitur et Episcopus a Clero ad altare deducitur.

---

[16]) Solet Episcopus Celebrantem ejusque Ministros signare, tali modo indicans, eos posse abire. *Herdt*, l. c. n. 153. — [17]) Conf. *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 15. n. 3.; *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 129. *b.* — [18]) *S. R. C.* 16. Apr. 1853 ad 31. et 20. Maji 1892 ad I. Vide *Eph. lit.* 1892 pag. 396. — [19]) Quando vero totum capitulum Episcopum comitatur ideoque capitulariter et cum indumentis canonicalibus proceditur, uti in processionibus in die s. Marci et Rogationem, per digniorem ex capitulo Cathedralis aspergillum Episcopo porrigitur. *S. R. C.* 18. Aug. 1884 ad 3.

Si Episcopus rochetto et mozzetta indutus Missarum solemniis extra Cathedralem[20]) assistat, Celebrans se gerit, ut supra n. 285. dictum est de assistentia Episcopi in choro. Si vero assistat cappa magna vestitus vel pontificaliter paratus, Celebrans observet, quae n. 286. dicta sunt de assistentia hujusmodi in Cathedrali.

## Caput III.

### *De Missis Neosacerdotis.*

**288.** Si facienda sit Aspersio aquae benedictae, praemittatur omnibus caeremoniis fiatque per ipsum Celebrantem i. e. Neosacerdotem. Deinde potest, si talis vigeat consuetudo, solemniter invocari Spiritus Sanctus. Omnibus ad altare genuflexis, a Celebrante genuflexo vel a cantoribus genuflexis[1]) intonatur hymnus *Veni Creator* vel *Veni Sancte Spiritus*, in cujus fine dicto ℣. *Emitte Spiritum tuum et creabuntur* (T. P. *Alleluja)* et ℟. *Et renovabis faciem terrae* (T. P. *Alleluja)*. Celebrans solus assurgit et stans subdit orationem *Deus qui corda etc.*

Ex consuetudine antiquissima fere ubique introducta licet Neomystae adhibere in prima Missa Presbyterum assistentem, amictu super rochetto et super eo pluviali absque stola[2]) indutum, dummodo assistat tantum ad librum.[3]) Omnino interdicitur Presbytero assistenti: aspergere populum ante Missam aqua benedicta,[4]) quod est ipsius Celebrantis; incensare Celebrantem,[5]) quod est officium Diaconi; fidelibus cum patena ministrare in distribuenda Communione,[6]) quod aeque spectat ad Diaconum. Ceterum Presbyter assistens semper praesto sit Celebranti, suggerendo illi submissa voce, vel modesto nutu indicando, si in aliquo forte vel memoriae lapsu, vel alia de causa deficeret aut titubaret.[7]) Ad

[20]) *S. R. C.* 7. Dec. 1844 ad 2.

[1]) Genuflectitur ad integram stropham primam. *S. R. C.* 14. Nov. 1676 ad 7. — [2]) *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 7. n. 1. 3.; *S. R. C.* 11. Mart. 1837 ad 2. et 30. Dec. 1881 ad 16. — [3]) *S. R. C.* 1. Dec. 1882 ad 2. — [4]) *S. R. C.* 11. Mart. 1837 ad 1. — [5]) Ibid. ad 3. — [6]) Ibid. ad 2. — [7]) *Caer. Ep.* l. c. n. 3.

librum stat in latere Celebrantis a medio altaris remotiori; opportune demonstrat Celebranti initium omnium et singulorum, quae ex libro sunt legenda et cantanda, manu a Celebrante remotiori, extensis et unitis digitis, vel solo digito indicando.[8])

Missa ipsa, sive privata sive solemnis, celebratur ritu consueto. In principio Missae ad Confessionem aliasque preces in plano faciendas, Presbyter assistens stat a dexteris Celebrantis, Diaconus autem a sinistris, a cujus sinistris se sistit Subdiaconus. Celebrans semper incensatur a Diacono, etiam post cantatum Evangelium. Presbyter assistens itidem incensatur a Diacono duobus ductibus duplicibus ante Subdiaconum. Pacem dat Celebrans soli Presbytero assistenti, seclusis aliis, quia non est Missa pontificalis; Presbyter assistens eam dat Diacono, hic Subdiacono, qui eam distribuit reliquis. Sacra Communio distribuatur intra Missam immediate post sumptionem pretiosissimi Sanguinis ritu n. 214. vel 215. descripto. Infra distributionem Diaconus Celebrantem comitatur a dexteris et communicantium mento patenam nuda manu apprehensam supponere potest.[9]) Ad benedictionem in fine Missae Presbyter assistens medius inter Diaconum a dexteris et Subdiaconum a sinistris genuflectit in supremo gradu.

Post Missam pro gratiarum actione hymnus Ambrosianus cani potest. Omnibus ante altare quasi in gyro stantibus, Celebrans more solito intonat *Te Deum* et adjungit versiculum cum oratione. Hymnus praedictus post Missam canendus est semper in paramentis coloris paramentorum, in quibus Missa celebrabatur, licet in Missa color fuisset violaceus.[10]) Si in fine danda sit benedictio cum Sanctissimo in ostensorio, Celebrans assumere debet pluviale[11]) et velum humerale. Ad hujusmodi Missam fas quidem est oblationes recipere, at vetitum est ad hunc finem ab altari discedere.[12])

---

[8]) *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 6. — [9]) *S. R. C.* 12. Aug. 1854 ad 20. — [10]) *S. R. C.* 3. Jun. 1892 ad 7. — [11]) Ibid. ad 8. — [12]) *Cavalieri*, tom. 5. cap. 13. decr. 3. n. 8.

**289.** Leo XIII. concedere dignatus est, servatis de jure servandis, Indulgentiam plenariam Sacerdoti primum Sacrum facienti ejusque consanguineis ad tertium usque gradum inclusive, qui primo eidem Sacro interfuerint, ceteris vero Christifidelibus adstantibus Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum.[13])

**290.** Tres Missae ab Episcopo injunctae, una de Spiritu Sancto, altera de B. M. V., tertia pro defunctis, sunt Missae votivae privatae ideoque non possunt celebrari nisi diebus a Rubricis permissis[14]) et ritu votivo. Videsis n. 277. et 278. Missa pro defunctis erit quotidiana cum Orationibus ibi positis. Sola Missae qualitas, non vero sacrificii applicatio praecipitur; licet ergo stipendium accipere.[15])

## Caput IV.

### *De Missa in aliena ecclesia.*

**291.** Nomine alienae acclesiae hic venit omnis ecclesia, licet intra limites propriae parochiae sita, quae utitur Directorio ab illo Celebrantis diverso. Tamquam supremum principium hac in re valet dispositio Rubricarum : »Missa quotidie dicitur secundum ordinem officii[1]) et: »Missa conveniat cum officio.«[2]) Non distinguit quidem Rubrica, quocum officio convenire debeat Missa, an cum Celebrantis an cum ecclesiae alienae officio? Hucusque tanquam regula generalis tenebatur, ut Celebrans officio a se recitato sese conformet, nisi aut loci solemnitas, aut coloris diversitas, aut ritus qualitas praescriberent vel permitterent cum officio ecclesiae alienae conformitatem.

Per decretum Urbis et Orbis de die 9. Decembris 1895 autem alia praxis introducta est et regula statuta: Sacerdos celebrans in aliena ecclesia conformet se, non proprio, sed ecclesiae alienae Directorio. En decretum ipsum. »Omnes et singuli Sacerdotes, tam saeculares quam regulares, ad ecclesiam

[13]) S. Ind. C. 16. Jan. 1886 ad 4. — [14]) *S. R. C.* 11. Apr. 1840 ad 5 — [15]) S. Alphonsus, Theol. mor. tom. VII. n. 829.

[1]) Rub. gen. miss. ab initio. — [2]) Rub. spec. ante Miss votiv.

confluentes vel ad oratorium publicum, Missas quum Sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent officio ejusdem ecclesiae vel oratorii conformes, sive illae in Romano sive in Regularium missali contineantur; exclusis tamen peculiaribus ritibus ordinum propriis. Si vero in dicta ecclesia vel oratorio officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex Celebrantibus liberum sit Missam de Requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria; iis tamen exceptis diebus, in quibus praefatas Missas Rubricae missalis Romani vel S. R. C. decreta prohibent.«

**292.** Ex quo decreto sequitur pro praxi:

1. Quivis Sacerdos, ad quemcunque Clerum pertineat et quacunque in ecclesia aliena Missam faciat, vetatur a Missa officio suo conformi in aliena ecclesia dicenda, et jubetur eam conformare officio ecclesiae alienae, sive sit de eodem Sancto vel Mysterio sive non, sive sit color idem sive diversus.

2. Ab hac regula excipitur unicus casus, si nempe in ecclesia aliena agatur officium ritus semiduplicis vel simplicis. Tunc enim potest, sed non debet celebrare Missam vel officio proprio [3]) vel ecclesiae alienae conformem, vel Missam de Requie, vel votivam, vel de feria occurrente. Haec autem libertas cessat quibusdam diebus anni, in quibus ritus quidem duplici est inferior, sed dictae Missae alia de causa prohibentur.

3. Dicta conformitas debet esse omnimoda et perfecta, ita ut Celebrans Kalendario suo penitus neglecto omnino illud ecclesiae alienae sequi teneatur, sive quoad Symbolum, sive quoad Commemorationes, sive quoad Praefationem propriam. Nec potest amplius proprium suum ritum considerare, sive simplex sit, sive semiduplex, sive duplex, sed standum Kalendario ecclesiae, in qua celebrat, excepto unico casu ad 2.

4. Conformitas, de qua sermo, vi praesentis decreti extenditur etiam ad Missas Regularium proprias, licet in missali Romano haud contineantur, imo ad

---

[3]) Sed non ritu votivo, quia Missa officio proprio conformis, semper est festiva. *S. R. C.* 14. Mart. 1896 ad 6.

Missas de Beatis nondum canonizatis, dummodo ecclesiae, in qua Missa fieri debet, sint indultae. Ritus nihilominus Regularium proprii adhuc manent vetiti, quippe qui a praesente lege manifeste excluduntur.

5. Dispositiones praefatae, sicut omnes et singulos Sacerdotes, tam saeculares quam regulares respiciunt, ita extenduntur etiam ad omnes ecclesias et oratoria publica, minime vero ad oratoria privata, in quibus Celebrans suo Kalendario sese conformare debet.

---

# Appendix

***complectens Orationes in ss. Missæ Sacrificio memoriter recitandas.***

Dum lavat manus: *Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam: ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.*

Ad Amictum: *Impone, Domine, capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus.*

Ad Albam: *Dealba me, Domine, et munda cor meum: ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.*

Ad Cingulum: *Praecinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis: ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.*

Ad Manipulum: *Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris: ut cum exsultatione recipiam mercedem laboris.*

Ad Stolam: *Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi parentis, et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.*

Ad Casulam: *Domine, qui dixisti: jugum meum suave est, et onus meum leve: fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.*

S. *In nomine Patris † et Filii et Spiritus sancti. Amen.*

S. *Introibo ad altare Dei.*

M. *Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.*

S. *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta; ab homine iniquo et doloso erue me.*

M. *Quia tu es, Deus, fortitudo mea: quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?*

S. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.*

M. *Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui laetificat juventutem meam.*

S. *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?*

M. *Spera in Deo; quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.*

S. *Gloria Patri et Filio etc.*

S. *Introibo ad altare Dei.*

M. *Ad Deum qui laetificat juventutem meam.*

S. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

M. *Qui fecit coelum et terram.*

S. *Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis et vobis, fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos, fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.*

M. *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam.*

S. *Amen.*

M. *Confiteor etc. (— tibi, pater; — te, pater).*

S. *Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam aeternam.*

M. *Amen.*

S *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus.*

M. *Amen.*

S. *Deus tu conversus vivificabis nos.*
M. *Et plebs tua laetabitur in te.*
S. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.*
M. *Et salutare tuum da nobis.*
S. *Domine exaudi orationem meam.*
M. *Et clamor meus ad te veniat.*
S. *Dominus vobiscum.*
M. *Et cum spiritu tuo.*

*Oremus. Aufer a nobis, quaesumus, Domine, iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

*Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiae hic sunt, et omnium Sanctorum: ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.*

S. *Kyrie eleison.* M. *Kyrie eleison.*
S. *Kyrie eleison.* M. *Christe eleison*
S. *Christe eleison.* M. *Christe eleison.*
S. *Kyrie eleison.* M. *Kyrie eleison.*
S. *Kyrie eleison.*

*Gloria in excelsis Deo: et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam: Domine Deus, Rex coelestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite, Jesu Christe Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris: Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus; Tu solus Dominus: Tu solus Altissimus, Jesu Christe; cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.*

Ante Evangelium: *Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

*Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo et in labiis meis: ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen.*

*Sequentia (initium) Sancti Evangelii secundum N.*
℟. *Gloria tibi Domine.*

Post Evangelium: *Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.*

*Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in coelum; sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.*

Ad Oblationem hostiae: *Suscipe, sancte Pater omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo, vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis, ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.*

Ad Infusionem aquae: *Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti: da nobis per hujus aquae et vini mysterium ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.*

Ad Oblationem calicis: *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinae majestatis tuae pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.*

*In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te, Domine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.*

*Veni, Sanctificator, omnipotens aeterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.*

Ps. 25. *Lavabo inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine.*

*Ut audiam vocem laudis et enarrem universa mirabilia tua.*

*Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae.*

*Ne perdas cum impiis Deus animam meam et cum viris sanguinum vitam meam:*

*In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.*

*Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.*

*Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.*

*Gloria Patri etc.*

*Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Jesu Christi, Domini nostri: et in honorem beatae Mariae semper Virginis et beati Joannis Baptistae et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et istorum et omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.*

*Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.*

℟. *Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis, ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram totiusque Ecclesiae suae sanctae. Amen.*

*Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua, Hosanna in excelsis.*

*Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.*

Initium Canonis: *Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas et benedicas haec † dona, haec † munera, haec † sancta Sacrificia illibata.*

Ad Memento Vivorum: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum.*

*Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quaesumus, bene † dictam, adscri † ptam, ra † tam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris: ut nobis Cor † pus et San † guis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.*

Consecratio: *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in coelum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens bene † dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et manducate ex hoc omnes: Hoc est enim Corpus meum.*

*Simili modo, postquam coenatum est, accipiens et hunc praeclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et bibite ex eo omnes. Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

*Haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.*

Post: Unde et memores etc.: *Hostiam † puram, hostiam † sanctam, hostiam † immaculatam, Panem † sanctum vitae aeternae, et Calicem † salutis perpetuae,*

*Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae Majestatis tuae, ut quotquot ex hac altaris participatione, sacrosanctum Filii tui Cor † pus et San † guinem sumpserimus, omni benedictione coelesti, et gratia repleamur, etc.*

Ad Memento Mortuorum: *Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt, cum signo fidei et dormiunt in somno pacis.*

Post: Nobis quoque peccatoribus, etc.: *Sancti†ficas, vivi†ficas, bene†dicis, et praestas nobis: Per ip†sum, et cum ip†so, et in ip†so, est tibi Deo Patri † omnipotenti, in unitate Spiritus † Sancti, omnis honor et gloria.*

Post: Pater Noster: *Da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adjuti et a peccato simus semper liberi et ab omni perturbatione securi. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus etc.*

*Haec commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.*

Ante Communionem: *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris: qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.*

*Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis: et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas, qui cum eodem Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.*

*Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam: qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.*

*Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.*

*Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.*

*Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.*

*Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meus salvus ero.*

*Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.*

Ad Purificationem: *Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus: et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.*

Ad Ablutionem: *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis: et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt Sacramenta. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.*

Ad Benedictionem: *Placeat tibi, Sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta: ut Sacrificium, quod oculis tuae Majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

*Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.*

Formula benedictionis neosacerdotalis a S. R. C. approbata: *Oremus. Deus qui charitatis dona per gratiam S. Spiritus tuorum fidelium cordibus infudisti; da famulis et famulabus tuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis et corporis, ut te tota virtute diligant et quae tibi placita sunt, tota dilectione perficiant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* (Postea dicatur:) *Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii † et Spiritus Sancti descendat super vos (te) et maneat semper. Amen.*

# Ordo servandus in celebrandis Missis votivis privatis.

| Missa votiva | Color | Missa | Glor. | Orationes | Credo | Praefatio | Bened. Dno |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| De SS. Trinit. | Alb. | Propr. | Omitt. | Ut infr. a) | Omitt. | Propr. | Bened. Dno |
| De Spiritu Sto. | Rub. | Propr. | Omitt. | Ut infr. a) | Omitt. | Propr. | Bened. Dno |
| De SS. Sacram. | Alb. | Propr. | Omitt. | Ut infr. a) | Omitt. | De Nativ. | Bened. Dno |
| De Passion. Dni | Viol. (e) | Propr. | Omitt. | Ut infr. a) | Omitt. | De Cruce | Bened. Dno |
| De S. Cruce | Rub. | Propr. | Omitt. | Ut infr. a) | Omitt. | De Cruce | Bened. Dno |
| De B. M. V. | Alb. | Propr. | In Sabb. et inf. Oct. B. M. V. Gloria | Ut infr. b) | Omitt. | Propr. | In Sabb. et inf. Oct. B. M. V. Ite M. e. |
| De Ss. Angelis | Alb. | Propr. | Gloria | Ut infr. a) | Omitt. | Ut infr. d) | Ite M. est |
| De Ss. Apostol. | Rub. (f) | Propr. | Omitt. | Ut infr. c) | Omitt. | Propr. | Bened. Dno |
| Pro quacun. necessit. | Viol. | Propr. | Omitt. | Ut infr. a) | Omitt. | Ut infr. d) | Bened. Dno |
| Pro Infirmis | Viol. | Propr. | Omitt. | Ut infr. a) | Omitt. | Ut infr. d) | Bened. Dno |
| Pro Sponsis | Alb. | Propr. | Omitt. | Ut infr. a) | Omitt. | Ut infr. d) | Bened. Dno |
| De Sanctis | Ut in Festo | Propr. vel de coi | Omitt. | Ut infr. a) | Omitt. | Propr. si adsit vel ut infr. d) | Bened. Dno |

a) Or. 1. Miss. vot., 2. Off. curr., 3. vel de Oct., fer. maj. (si occurrat tempore Adv. Quadrag. Quat. Temp. etc.) vel Vigil. vel Simplicis occurr., vel A cunctis, vel de B. M. V. pro divers. temp.
b) Or. 1. & 2. ut supra ad (a), 3. de Spirito Sancto.
c) Ut supra ad (a), sed in Miss. votiv. Ss. App. Petri et Pauli, quando dicenda esset Or. A cunctis, ejus loco dic. Or. Concede.
d) De Oct. curr. vel de tempore, alioquin communis.
e) In Missis votivis de Instrumentis Passionis Domini adhibetur color rubeus, ubi Missae propriae in eorum festis indultae sunt; aliter violaceus.
f) Excepta Missa votiva s. Joannis Ap. et Ev. extra tempus paschale, s. Petri ad Vincula et Conversionis s. Pauli in quibus adhibendus est color albus.

| | Celebrans | Diaconus |
|---|---|---|
| Ingressus ad altare. | 1. Omnibus paratis, si voluerit, capite detecto thus imponet dicens: *Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis Amen*, illudque benedicet nihil dicens. Signo dato a Caeremoniario, caput detectum profunde inclinat Cruci sacristiae et infime Ministris salutantibus. Birretum imponit et progreditur ad altare post Ministros sacros. | 1. Sacris vestibus indutus, si thus imponendum sit, capite detecto parum inclinatus Celebranti naviculam et cochlear cum osculis ministrat dicens: *Benedicite Pater reverende.* Cochleari cum osculis recepto et navicula Thuriferario restituta, caput detectum simul cum aliis profunde inclinat Cruci sacristiae et mediocriter Celebranti. Capite cooperto progreditur ad altare ante Celebrantem. |
| Initium Missae. | 2. Ad altare birretum tradit Diacono et facta Cruci altaris profunda corporis inclinatione, vel ss. Sacramento incluso simplici genuflexione in plano, peragit Aspersionem aquae benedictae (n. 237.), si facienda sit, et incipit Missam more solito. Ad verba Confessionis *Vobis fratres* et *Vos fratres* profunde inclinatus convertit se aliquantulum ad Diaconum deinde ad Subdiaconum et similiter sub *Misereatur vestri*, sed mediocriter tantum inclinatus. | 2. Ad altare caput detegit et paululum recedens ante gradus, si accessus fiat a parte Epistolae, transitum praebet Celebranti. Cum osculis consuetis accipit birretum Celebrantis, quod simul cum suo tradit Caeremoniario. Genuflectit in plano a dexteris Celebrantis et, si facienda sit Aspersio aquae benedictae, observat dicta n. 74. ad 2., secus statim se signat et alternatim cum Celebrante stans dicit psalmum *Judica* cum Confessione et versiculis in exordio Missae praescriptis. Ad *Misereatur tui* paululum inclinatus convertit se ad Celebrantem, ad *Tibi Pater* et *Te Pater* in Confessione idem facit cum profunda corporis inclinatione. |

# Ritus Missae solemnis.

| Subdiaconus | Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi |
|---|---|
| 1. Sacris vestibus indutus, caput detectum simul cum aliis profunde inclinat Cruci sacristiae et mediocriter Celebranti. Capite cooperto progreditur ad altare ante Celebrantem. | 1. Si imponendum sit thus, Thuriferarius stans a dexteris Diaconi thuribulum ministrat Celebranti.<br>Dato a Caeremoniario signo, omnes caput profunde inclinant primo Cruci sacristiae dein Celebranti. Praecedit Thuriferarius cum thuribulo, sequuntur duo Acolythi cum candelabris accensis deinde Caeremoniarius. |
| 2. Ad altare caput detegit et, si accessus fiat a parte Evangelii, paululum recedit, ut transeat Celebrans. Ante gradus altaris a sinistris Celebrantis constitutus birretum deponit et genuflectit in plano, se signat cum Celebrante eique respondet. Intra Confessionem et *Misereatur tui* se gerit uti Diaconus.<br>Si facienda sit Aspersio aquae benedictae, observat dicta n. 74. ad 2. | 2. Acolythi, si comitantur Crucem, sine reverentia directe accedunt ad credentiam ibique deponunt candelabra et incepta Missa in genua procumbunt. Si vero non comitantur Crucem, ad altare se sistunt hinc inde in angulis graduum et simul cum ceteris simpliciter genuflectunt in plano, deinde accedunt ad credentiam. Cf. n. 46. ad 1.<br>Thuriferarius subsistit ante gradus altaris versus cornu Evangelii a sinistris Subdiaconi. Facta simul cum ceteris genuflexione simplici in plano, accedit ad credentiam, ubi medius inter Acolythos genua submittit.<br>Caeremoniarius se sistit ad dexteram Diaconi in cornu Epistolae. Facta cum reliquis simplici genuflexione in plano, birreta disponit in sedibus, deinde genuflectit in plano ad cornu Epistolae.<br>Infra Aspersionem aquae benedictae omnes genuflectunt, post aspersionem altaris et Ministrorum sacrorum surgunt, ante- |

| | Celebrans | Diaconus |
|---|---|---|
| **Incensatio.** | 3. Dicto *Oremus* ascendit ad altare, quo osculato, a Diacono invitatus, ad cornu Epistolae conversus, sinistra pectori admota, ter injicit thus in thuribulum dicens: *Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis Amen* illudque benedicit nihil dicens. Thuribulo accepto, ad altare se convertit et, facta Cruci profunda capitis inclinatione vel Sanctissimo incluso simplici genuflexione, Crucem incensat tribus ductibus simplicibus; deinde iterata inclinatione vel genuflexione ut antea, altare incensat modo n. 238. ad 3. exposito. Incensatione altaris finita, thuribulum reddit Diacono nihil dicens, a quo subinde incensatur stans in suppedaneo ad cornu Epistolae. | 3. Dicto a Celebrante *Oremus* a dexteris ejus ascendit ad altare sine ulla reverentia. Ad impositionem thuris parum inclinatus Celebranti cum osculis ministrat naviculam cum cochleari dicens: *Benedicite Pater reverende.* Cochleari post impositionem sub osculis consuetis recepto et simul cum navicula Caeremoniario restituto, thuribulum cum osculis Celebranti tradit. Ante et post incensationem Crucis genuflectit et similiter infra incensationem, quotiescunque transit ante medium altaris. Celebrantem incensantem concomitatur a dexteris, sinistra posteriorem partem casulae elevans, dextera pectori admota. Recepto cum osculis post incensationem altaris thuribulo, stans in plano ad cornu Epistolae Celebrantem incensat tribus ductibus duplicibus ante et post profunde caput inclinans et thuribulum thuriferario restituit. |
| **Introitus.** | 4. Ad missale conversus legit Introitum ac in eodem loco etiam *Kyrie* more solito. Quo recitato ad medium altaris accedit ibique ma- | 4. Assistit Celebranti legenti Introitum stans a dexteris ejus in secundo gradu, se signat, inclinat et *Kyrie* recitat alternatim cum eo. Cum Celebrante itidem accedit per secundum gradum ad |

| Subdiaconus | Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi |
| --- | --- |
| | quam Celebrans accedat ad chorum. In fine adjuvant, Caeremoniarius Celebrantem, Acolythi Ministros, in induendo manipulos.<br>Ad preces in exordio Missae submissa voce Celebranti respondent, se signant, inclinant, pectus percutiunt, sicut ritus exposcit. |
| 3. Dicto a Celebrante *Oremus* a sinistris ejus ascendit ad altare sine ulla reverentia. Infra impositionem thuris stat post tergum Celebrantis, facie ad eum versa. Ante et post incensationem Crucis et quotiescunque infra incensationem transit ante medium altaris, simpliciter genuflectit. Celebrantem incensantem concomitatur a sinistris, dextera posteriorem partem casulae elevans, sinistra pectori admota. Post incensationem altaris per cornu Epistolae descendit in planum cum Diacono, a cujus sinistris stat infra incensationem Celebrantis, inclinationes debitas ante et post cum eodem faciens. | 3. Dicto a Celebrante *Oremus*, omnes surgunt.<br>Caeremoniarius comitatur Thuriferarium per gradus Epistolae ad Celebrantem praemissa ab utroque in plano genuflexione, et assistit ad incensi impositionem. Infra incensationem altaris missale cum cussino removet, post incensationem iterum reponit.<br>Thuriferarius stans in suppedaneo ministrat thuribulum Celebranti thus imponenti. Quo imposito thuribulum tradit Diacono sine osculis et praemissa genuflexione descendit. Finita incensatione thuribulum a Diacono rêcipit et ante altare genuflexione facta in sacristiam reportat. Ad altare reversus et genuflexione facta, ad credentiam se sistit.<br>Acolythi stant immobiles ad credentiam usque ad Evangelium a Diacono cantandum exclusive. |
| 4. Stat a dexteris Diaconi in plano. Se signat, caput inclinat et *Kyrie* recitat alternatim cum Celebrante. Quo recitato per planum accedit ad locum suum ante medium al- | 4. Se signant et caput inclinant cum Celebrante. Infra sessionem Celebrantis et Ministrorum sacrorum stant. |

| | Celebrans | Diaconus |
|---|---|---|
| | nibus ante pectus junctis exspectat finem cantus. Si sit sedendum attendat dicta n. 234. ad 4. | locum suum ante medium altaris. Si sit sedendum observet dicta n. 71. ad 10. |
| Gloria. | 5. Cantu *Kyrie* expleto intonat *Gloria*, quem hymnum submissa voce prosequitur cum Ministris sacris. Quo recitato, si non sedeat, stat in loco suo manibus ante pectus junctis et caput inclinans ad cantum eorum, quae inclinationem exigunt. Si sedeat, observet dicta n. 234. ad 4. | 5. Ad vocem *Deo* in intonatione hymni angelici caput profunde inclinat et ascendit ad dexteram Celebrantis, quocum prosequitur submissa voce hymnum. Inclinat caput ad verba tum recitata tum cantata inclinationem exigentia. In fine hymni recitati se signat. Si non sit sedendum, hymno recitato sine reverentia ad locum suum redit vel juxta Celebrantem persistit usque ad finem cantus. Si sessio fiat, observet dicta n. 71. ad 10. |
| Orationes. | 6. Post cantatum *Gloria* osculatur altar, cantat *Dominus vobiscum*, accedit ad cornu Epistolae et cantat Orationem vel Orationes. | 6. Ad *Dominus vobiscum* stat in loco suo retro post Celebrantem, quem sine ulla reverentia praemittenda sequitur in eodem gradu ad cornu Epistolae, ubi se sistit retro post Celebrantem caput inclinans ad verba inclinationem exigentia, sed non respondet *Amen* ad Orationes. |
| Epistola. | 7. Legit Epistolam cum Graduali voce submissa et in eodem loco stans exspectat Subdiaconum post cantatam Epistolam accedentem, cui ante se in cornu Epistolae genuflexo dexteram super librum positam osculandam praebet et benedictionem impertit, nihil dicens. | 7. Circa finem ultimae Orationis accedit ad dexteram Celebrantis, cui assistit in legenda Epistola, post quam dicit *Deo gratias*. Post Graduale paulum recedit et dat locum Subdiacono post cantatam Epistolam ad Celebrantem accedenti et benedictionem petenti. |

| Subdiaconus | Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi |
| --- | --- |
| taris simul cum Celebrante et Diacono. Si sit sedendum observet dicta n. 71. ad 10. | |
| 5. Ad vocem *Deo* in intonatione hymni angelici caput profunde inclinat et ascendit ad sinistram Celebrantis. In omnibus se gerit sicut Diaconus. Si fiat sessio, observet dicta n. 71. ad 10. | 5. Caput inclinant et se signant cum Celebrante et Ministris sacris.<br>Caeremoniarius dat signum sedendi vel surgendi, si opus sit.<br>Infra sessionem Celebrantis et Ministrorum sacrorum stant. |
| 6. Ad *Dominus vobiscum* stat in loco suo retro post Celebrantem in plano. Deinde sequitur sine reverentia Diaconum et Celebrantem ad cornu Epistolae in plano, ubi intra Orationes easdem exsequitur inclinationes ac Diaconus, sed non respondet ad Orationes. | 6. Caeremoniarius cantato a Celebrante *Dominus vobiscum* ascendit ad altare in cornu Epistolae et Celebranti ad Orationes assistit. |
| 7. Accepto cum debita inclinatione a Caeremoniario libro Epistolarum, in medio infimo gradu simpliciter genuflectit et illico adit cornu Epistolae retro post Celebrantem in plano, ubi silente choro et musica cantat Epistolam. Qua cantata iterum genuflectit in medio infimo gradu et accedens per planum ad Celebrantem in cornu Epistolae exspectantem, genuflexus coram eo in ultimo vel penultimo gradu manum ejus in libro Epistolarum positam osculatur et | 7. Caeremoniarius circa finem ultimae Orationis librum Epistolarum de credentia acceptum debita cum inclinatione Subdiacono tradit, cui se adjungit a sinistris et in plano ante medium altaris simplici genuflexione facta accedit ad cornu Epistolae eique adstat in cantanda Epistola. Qua finita dicit *Deo gratias* et iterata cum Subdiacono ante medium altaris in plano genuflexione simplici, eum comitatur ad Celebrantem in cornu Epistolae ad recipiendam benedictionem. |

| | Celebrans | Diaconus |
|---|---|---|
| Evangelium. | 8. Data Subdiacono benedictione, per suam sinistram se vertens accedit ad medium altaris, ubi de more dicit *Munda cor meum etc.* Transit ad cornu Evangelii ad legendum submissa voce Evangelium, quo lecto nec librum osculatur nec dicit *Per evangelica dicta deleantur etc.* | 8. Accipit librum Subdiaconi, disponit signacula pro legendo Evangelio et, librum clausum ambabus manibus ante pectus elevatum tenens, descendit in planum ante medium altaris, ibique in medio infimo gradu genuflexione facta, ascendit suppedaneum et librum deponit in medio altaris cum apertura versus cornu Evangelii. Ibi manibus ante pectus junctis persistit a dexteris Celebrantis Evangelium legentis. |
| | 9. Lecto Evangelio accedit ad medium altaris, imponit thus sicut ante Introitum, thuribulum vero non accipit, sed conversus ad altare junctis ante pectus manibus exspectat Diaconum benedicendum. Cui benedictionem impertit conversus ad eum manibus junctis dicens: *Dominus sit in corde tuo etc.* (n. 238. ad 7.), et dexteram libro impositam osculandam praebet, sinistra pectori admota. Deinde sine ulla reverentia accedit ad cornu Epistolae, ubi ad altare conversus exspectat initium cantus Evangelii. | 9. Celebranti post lectum Evangelium thus imponenti ministrat naviculam more solito, dicens: *Benedicite Pater reverende.* Navicula Caeremoniario restituta in medio supremo gradu adgeniculatus et profunde inclinatus dicit: *Munda cor etc.* Assurgit et sumpto de altari libro utroque genu flexus in suppedaneo versus Celebrantem dicit: *Jube, domne, benedicere.* Benedictione accepta nihil respondet, sed osculata manu Celebrantis in libro posita, surgit et inclinatione Celebranti facta, descendit in planum ad dexteram Subdiaconi. |
| | 10. Cantato a Diacono *Dominus vobiscum* vertit se ad Diaconum et se signat. Ad nomen Jesu caput inclinat Cruci | 10. Finito cantu chori genuflectit cum aliis et accedit ad locum Evangelii cantandi. Librum apertum tradit Subdiacono et stans sicut Celebrans ad Evangelium |

| Subdiaconus | Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi |
|---|---|
| benedictionem accipit. Assurgit et librum tradit Diacono. | |
| 8. Accipit missale Celebrantis et cum cussino transfert ad cornu Evangelii in transitu genuflexione facta in medio infimo gradu. Celebranti legenti Evangelium assistit a sinistris respondens ad ea, ad quae est respondendum, non autem se signans aut inclinans neque genuflectens, si missale sustineat. | 8. Thuriferarius in promptu habeat thuribulum et naviculam cum cochleari. |
| 9. Dicto *Laus tibi Christe* accommodat missale cum cussino versus medium altaris et stat ad impositionem thuris sicut ante Introitum. Incenso imposito sine reverentia facienda descendit in locum suum ante gradus altaris, ubi paulisper versus cornu Evangelii recedens exspectat Diaconum. | 9. Caeremoniarius et Thuriferarius, lecto a Celebrante Evangelio, ascendunt ad altare ad imponendum thus, ut ante Introitum. Thuribulum tamen non traditur Diacono, sed, thure imposito et genuflexione facta, ambo descendunt ad credentiam.<br>Acolythi cum candelabris accensis et Thuriferarius cum thuribulo Caeremoniario duce accedunt ad medium ante gradus altaris, ubi nulla facta reverentia ita se sistunt, ut triplex series efficiatur, prima Ministrorum sacrorum, secunda Thuriferarii et Caeremoniarii, tertia Acolythorum. |
| 10. Finito cantu chori genuflectit cum Diacono et accedit ad locum Evangelii cantandi, ubi stat medius inter duos Acolythos facie versa ad Diaconum | 10. Ministris sacris genuflectentibus, omnes genuflectunt et accedunt ad locum Evangelii cantandi. |

| | Celebrans | Diaconus |
|---|---|---|
| | altaris, ad nomen Mariae vel Sancti, cujus fit Missa vel commemoratio, versus librum Diaconi (si Imago eorum sit in loco principali altaris, versus altare) et si sit genuflectendum, genuflectit etiam versus altare. | in Missa privata, facie ad Subdiaconum conversa cantat: *Dominus vobiscum* et librum ac seipsum signans: *Sequentia* vel *Initium* etc. Incensat librum in medio, ad sui sinistram et sui dexteram cum inclinatione capitis ante et post et cantat Evangelium. Infra cantum inclinationes et genuflexiones occurrentes facit versus librum. |
| | 11. Cantato Evangelio allatum sibi a Subdiacono librum Evangeliorum osculatur, utraque manu illum ex parte inferiori apprehendens et dicens: *Per evangelica dicta etc.* Deinde ter a Diacono incensatur et accedit ad medium altaris, ubi nullam facit reverentiam. | 11. Evangelio cantato manu dextera digitis extensis et junctis indicat Subdiacono initium textus Evangelii et paulum se retrahens Subdiacono transeunti dat locum. Accipit thuribulum, Celebrantem incensat tribus ductibus duplicibus et ascendit in locum suum, ubi simpliciter genuflectit eodem tempore, quo Subdiaconus in suo loco. |
| Credo. | 12. Stans in medio altaris intonat *Credo*, si dicendum sit, et prosequitur cum Ministris, inclinans se et genuflectens tam ad recitationem quam ad cantum eorum, quae has exigunt reverentias. | 12. Ad vocem *Deum*, dum intonatur Symbolum, caput profunde inclinat et sine reverentia ascendit ad dexteram Celebrantis, quocum prosequitur Symbolum inclinans se, genuflectens et in fine se signans sicut Celebrans. |
| | 13. Si non sit sedendum, ad verba cantus *Descendit de coelis* cum | 13. Si non sit sedendum, ad latus Celebrantis persistit, ut suo tempore cum Celebrante descen- |

| Subdiaconus | Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi |
|---|---|
| utraque manu circa inferiorem partem tenens librum elevatum ante faciem, nullam faciens intra cantum Evangelii reverentiam. | Acolythus I. se sistit a dexteris, Acolythus II. a sinistris Subdiaconi librum tenentis, facie ad Diaconum conversa, nullam facientes reverentiam toto tempore.<br>Thuriferarius stat a dexteris Diaconi, Caeremoniarius a sinistris ejusdem, ambo genuflectentes, si opus sit, versus altare, et caput inclinantes ad nomen Mariae vel Sancti versus librum (vel versus altare, si in eo adsit eorum Imago), ad nomen Jesu autem versus altare. |
| 11. Evangelio cantato librum apertum supra brachium sinistrum demissum viâ rectâ absque ulla reverentia per gradus anteriores defert ad Celebrantem, cui indicat initium Evangelii osculandum. Libro osculato et clauso Celebranti se inclinat, descendit et librum tradit Caeremoniario, dein accedit ad locum suum, ubi simpliciter genuflectit eodem tempore, quo Diaconus in suo loco. | 11. Caeremoniarius dicto post Evangelium *Laus tibi Christe* ducit Acolythos ad credentiam.<br>Acolythi post Evangelium transeuntes ante medium altaris in plano simpliciter genuflectunt simul cum Caeremoniario et candelabra deponunt in credentia.<br>Thuriferarius cantato Evangelio thuribulum sine osculis tradit Diacono eique Celebrantem thurificanti adstat a sinistris debitas cum eodem faciens inclinationes. Postremo abit cum thuribulo genuflexione simplici in plano ante medium altaris facta. |
| 12. Ad vocem *Deum*, dum intonatur Symbolum, caput profunde inclinat et sine reverentia ascendit ad sinistram Celebrantis, ubi se infra recitationem gerit sicut Diaconus. | 12. Ad *Credo* caput inclinant, genuflectunt et se signant, sicut Celebrans et Ministri ad altare. |
| 13. Si non sit sedendum persistit a sinistris Celebrantis, quocum ad cantum verborum | 13. Si non fiat sessio, Caeremoniarius, si opus sit, ad cantum verborum *Descendit de coelis* |

| | Celebrans | Diaconus |
|---|---|---|
| | Ministris sine reverentia descendit ad penultimum gradum et in ora suppedanei utrumque flectit genu cum profunda capitis inclinatione ad verba cantanda: *Et incarnatus* usque ad *homo factus est* inclusive. Deinde iterum ascendit ad altare ibique persistit manibus ante pectus junctis. | dat ad penultimum gradum, ibique in ora suppedanei utrumque genu flectat cum profunda capitis inclinatione ad verba: *Et incarnatus* usque ad *homo factus est* inclusive. Deinde ascendit cum Celebrante iterum ad altare, genuflectit, via breviori ad credentiam descendit, indeque bursam cum corporali usque ad oculos elevatam via longiori defert ad altare, genuflexione facta in medio infimo gradu. Collocata bursa versus cornu Evangelii ad candelabra, corporale in medio mensae explicat et persistit ad altare usque ad verba *Et vitam venturi* a choro cantata, quo tempore cum Subdiacono revertitur ad locum suum retro post Celebrantem sine reverentia. |
| Sessio. | 14. Si sit sedendum, post recitatum Symbolum pergit ad sedes et observet dicta n. 234. ad 4. Ad cantum verborum: *Et incarnatus est etc.* detectum caput profunde inclinat, quin surgat. In Natali Domini et Annuntiatione B. M. V. attendat dicta n. 238. ad 8. | 14. Si sit sedendum, observet dicta n. 71. ad 10. Ad verba cantata: *Et incarnatus est etc.* caput detectum inclinat. In Natali Domini et Annuntiatione B. M. V. accedit cum Celebrante et Subdiacono ad gradus altaris ibique genuflectit. Relege dicta n. 76. ad 6. |
| | Cantatis verbis praefatis caput cooperit et persistit in sessione. | Cantatis verbis *homo factus est* assurgit et facta Celebranti capitis inclinatione, pergit Caeremoniario duce ad credentiam, unde bursam cum corporali ut supra ipse solus defert ad altare, non omittens debitas reverentias faciendas tum Celebranti in transitu tum altari in accessu et recessu. |

| Subdiaconus | Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi |
| --- | --- |
| *Descendit de coelis* ad penultimum gradum descendit et in ora suppedanei genuflectit cum profunda capitis inclinatione sicut Celebrans et Diaconus, quibuscum iterum revertitur ad altare ibique permanet usque ad verba *Et vitam venturi* cantata, quo tempore cum Diacono descendit ad locum suum in plano, sine reverentia. | Celebrantem et Ministros invitat ad genuflectendum in ora suppedanei, reliquos vero ad genuflectendum in plano eosque post cantata verba *homo factus est* monet, ut surgant. Similiter potest Caeremoniarius admonere etiam Diaconum, ut post illa verba sumat bursam de credentia, sed ad altare redeuntem non comitatur. |
| 14. In sessione imitatur Diaconum. | 14. Si sit sedendum, Caeremoniarius Celebrantam et Ministros. si opus sit, invitat ad sessionem. Infra sessionem stant et caput inclinant, sicut Celebrans et Ministri sacri. Ad verba cantata: *Et incarnatus est etc.* in genua procumbunt, deinde iterum stant. |
| Assurgit simul cum Diacono et stat in loco suo ad sedem capite detecto, birretum manibus ante pectus tenens, usque ad reditum Diaconi. | Caeremoniarius, cantato versiculo *Et incarnatus est etc.* accedit ad Diaconum, quem capitis inclinatione invitat ad capiendam bursam de credentia; ad altare autem eum non comitatur. |

| | Celebrans | Diaconus |
|---|---|---|
| | Finito cantu Symboli accedit more solito ad altare ad locum suum. Relege n. 238. ad 8. | Corporali in medio altari explicato et genuflexione simplici altari facta, redit ad sedem et sedet usque ad finitum cantum, deinde accedit ad altare cum Celebrante et Subdiacono, genuflectit simpliciter in primo gradu et ascendit ad locum suum. |
| **Offertorium.** | 15. Osculato altari cantat *Dominus vobiscum* atque *Oremus* et voce submissa legit Offertorium. | 15. Ad *Oremus* a Celebrante cantatum caput profunde inclinat et sine alia reverentia ascendit ad dexteram Celebrantis. |
| | Accipit patenam cum hostia e manibus Diaconi, offert de more hostiam et patenam ponit sub corporali. | Calicem a Subdiacono allatum detegit, pallam prope corporale deponit, patenam cum hostia Celebranti cum osculis consuetis tradit ita, ut in traditione brachium suum sinistrum sit sub brachio dextero Celebrantis. |
| | Dum Diaconus infundit vinum, stat manibus junctis ante pectus. | Extersum a Subdiacono calicem sinistrâ unacum purificatorio accipit ad nodum et statim vinum infundit. |
| | Dicto a Subdiacono: *Benedicite Pater reverende*, sinistrâ super altare posita, dexterâ signum crucis facit super ampullam aquae dicens: *Deus, qui humanae etc.* Deinde acceptum e manibus Diaconi calicem offert more solito. | Aqua a Subdiacono infusa, abstergit purificatorio guttas cuppae intus adhaerentes et purificatorium in loco suo deponit. Calicem dexterâ ad cuppam, sinistrâ ad pedem apprehensum cum osculis consuetis tradit Celebranti. Infra oblationem calicis, sinistrâ pectori admotâ, dexterâ brachium Celebrantis vel pedem calicis sustentat, secreto cum Celebrante dicens: *Offerimus tibi etc.* |

| Subdiaconus | Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi |
|---|---|
| Reverso Diacono iterum sedet, finito cantu accedit cum Celebrante ad altare cum genuflexione simplici in primo gradu et persistit in loco suo in plano. | Caeremoniarius sub finem cantus dat signum surgendi et accedendi ad altare. |
| 15. Ad *Oremus* a Celebrante cantatum simpliciter genuflectit in infimo gradu et pergit ad credentiam, ubi velum humerale ipsi imponitur. Deponit velum calicis, quem parte dexterâ veli humeralis totaliter contegit et manu dextera insuper posita, sinistra ad nodum apprehensum defert ad altare (simul cum bursa, si non sit dictum Credo). | 15. Caeremoniarius, cantato a Celebrante *Oremus*, accedit ad Subdiaconum, quem inclinatione capitis invitat, ut accedat ad credentiam, ubi ei velum humerale imponit et ad credentiam remanet. |
| A dexteris Diaconi constitutus calicem extergit purificatorio et utrumque tradit Diacono, cui etiam ampullam vini ministrat dexterâ, sinistrâ pectori admota. | Acolythus I., Subdiaconum calicem deferentem secutus, sine praevia genuflexione ampullas aquae et vini super pelvicula defert ad altare. |
| Accipit ampullam aquae eamque parumper elevatam Celebranti ostendens aliquantulum inclinatus dicit: *Benedicite Pater reverende.* Benedictione facta paucas guttas aquae infundit in calicem. Recipit ampullam vini a Diacono, utramque reddit Acolytho. | Thuriferarius in promptu habeat thuribulum et naviculam cum cochleari.<br>Acolythus I. ampullas aquae et vini cum pelvicula ad credentiam refert absque genuflexione. |
| Dextera accipit patenam a Diacono sibi oblatam, quo auxiliante tum manum tum patenam veli humeralis extremitate cooperit et descendit in planum retro post Celebrantem, ubi genuflexione simplici in primo | |

| | Celebrans | Diaconus |
|---|---|---|
| | | Calicem palla cooperit et patenam in dexteram Subdiaconi ita tradit, ut pars concava Subdiaconum respiciat. Deinde patenam manumque Subdiaconi veli humeralis extremitate cooperit. |
| Incensatio. | 16. Dicto *Veni sanctificator etc.*, thus imponit sicut ad Introitum, sed cum speciali formula. Vide n. 238. ad 10.<br><br>Deinde incensat Oblata, Crucem, Altare, demum ipse incensatur more solito. Vide ibid. | 16. Celebranti thus imponenti ministrat naviculam cum cochleari parum inclinatus dicens: *Benedicite Pater reverende.*<br><br>Toto incensationis tempore comitatur Celebrantem a dexteris ejus, sinistra elevans posteriorem partem casulae, dextera pectori admota. Ante incensationem Crucis calicem dextera amovet versus cornu Epistolae intra corporale; Cruce incensata eum reponit iterum in medio corporali. Genuflectit ante et post incensationem Crucis et quotiescunque transit ante medium altaris. Infra incensationem Oblatorum extremitate manus dexterae pedem calicis tenet. |
| Lavabo. | 17. Incensatur a Diacono, statim lavat manus stans in eodem loco suppedanei, deinde redit ad medium altaris et prosequitur Missam de more. | 17. Finita incensatione altaris Celebrantem incensat tribus ductibus duplicibus sicut ad Introitum, deinde chorum, si adsit, sicut n. 84. dictum est. Redux ad altare (vel, deficiente choro, statim post incensatum Celebrantem) incensat Subdiaconum uno vel duobus ductibus secundum consuetudinem. Postremo ipse in loco suo, praemissa genuflexione versus |

| Subdiaconus | Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi |
|---|---|
| gradu facta consistit sustinens patenam elevatam, sinistra pectori applicita, usque ad finem Orationis Dominicae. | |
| 16. Infra impositionem thuris stat immobilis loco suo. | 16. Caeremoniarius et Thuriferarius ascendunt ad Celebrantem, cui ministrant ad impositionem incensi, sicut ad Introitum. |
| Pari modo stat infra incensationem. | Caeremoniarius amovet missale sicut ad Introitum et permanet in cornu Evangelii, ut suo tempore Celebranti assistat in legendis Secretis et Praefatione.<br>Thuriferarius post incensatum Celebrantem comitatur Diaconum ad incensandum chorum, si adsit. Redux ad altare, post incensatum a Diacono Subdiaconum, Diaconum ipsum stans in eodem loco incensat uno vel duobus ductibus secundum consuetudinem, deinde assistentes ad credentiam unico ductu simplici, postremo genuflexione ad altare facta populum tribus ductibus simplicibus inclinatione ante et post facta. Genuflexione ad altare repetita, abit cum thuribulo. |
| 17. Celebrante (et choro, si adsit) incensato sine genuflexione se vertit ad Diaconum, a quo incensatur. Deinde iterum absque genuflexione vertit se ad altare et suo tempore respondet ad *Orate fratres*. | 17. Acolythi interim Celebranti incensato ministrant ad *Lavabo*, primus stans a dexteris cum aqua et pelvicula, secundus stans a sinistris primi cum manutergio et patella, caput inclinantes ante et post. Post lotionem omnia ad credentiam reportant ibique stant manibus junctis ante pectus. Dum incensantur vertunt se versus Thuriferarium incensantem cum ca- |

| | Celebrans | Diaconus |
|---|---|---|
| | | altare, a Thuriferario incensatur. Deinceps stat in loco suo et respondet ad *Orate fratres.* |
| Praefatio. | 18. Dictis Secretis cantat Praefationem. Qua cantata humeris inclinatis more solito cum Ministris dicit *Sanctus* etc. | 18. Infra Praefationem stans in loco suo caput inclinat cum Celebrante. Circa finem ascendit sine ulla reverentia ad dexteram Celebrantis, quocum mediocriter inclinatus submisse dicit Trisagium et se signat. Deinde accedit ad sinistram Celebrantis in transitu simpliciter genuflectendo in medio supremo gradu. |
| Canon. | 19. Missam prosequitur ritu consueto. | 19. Ad *Quam Oblationem* etc. ad dexteram Celebrantis transiens simpliciter genuflectit in medio supremo gradu. Mox in genua procumbit. |
| Consecratio. | 20. Fiunt omnia sicut in Missa privata. | 20. Ad elevationem ss. Hostiae profunde se inclinans sinistra posteriorem partem casulae Celebrantis aliquantulum elevat, dextera pectori impositâ. Celebrante a genuflexione surgente, assurgit, calicem detegit et palla |

| Subdiaconus | Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi |
|---|---|
| | pitis inclinatione ante et post incensationem. |
| 18. Infra Praefationem caput non inclinat. Post eam ascendit ad sinistram Celebrantis sine ulla reverentia et se gerit sicut Diaconus; attamen non se signat in fine. Deinde absque reverentia descendit in locum suum, ubi non genuflectit. | 18. Caeremoniarius assistit Celebranti in cantanda Praefatione, qua finita, genuflexione praemissa, descendit per gradus laterales Evangelii et transit ad credentiam, in transitu ante medium altaris genuflexione simplici facta in plano. Ad *Sanctus* in genua procumbit<br>Thuriferarius finita Praefatione etiam genua submittit usque ad Consecrationem exclusive.<br>Funalia ferentes ante finem Praefationis accedunt in Sacristiam ad accipienda funalia, quae ad *Sanctus* deferunt ad altare sicut dictum est n. 48. et 49.<br>Acolythi ad Sanctus genuflectunt ad credentiam. Si autem non adsint speciales Clerici ad portanda funalia deputati, Acolythi Missae cum luminaribus ad *Sanctus* accedunt ad altare sicut dictum est n. 46. ad 8.<br>Acolythus I. campanulam pulsat ad *Sanctus*, nisi per alium hoc fiat. |
| 19. Quo tempore Diaconus ante elevationem genuflectit in suppedaneo, genuflectit et ipse Subdiaconus utroque genu in medio infimo gradu. | 19. Caeremoniarius paulo ante Consecrationem sine benedictione stans thus injicit in thuribulum a Thuriferario praesentatum. Deinde genua submittit. |
| 20. Infra utramque elevationem genuflexus caput profunde inclinat, patena demissa ad pectus. | 20. Thuriferarius, thure a Caeremoniario imposito, genuflectit utroque genu in cornu Epistolae in plano ad gradus altaris. Infra elevationem unamquamque s. Speciem ter incensat, scilicet dum Celebrans genuflectit, dum |

| | Celebrans | Diaconus |
|---|---|---|
| | | super altare posita, iterum genuflectit ut antea. |
| | Elevat Calicem ut in Missa privata et prosequitur Missam de more usque ad *Pater noster*. | Ad elevationem Calicis se gerit ut ad elevationem ss. Hostiae. Dum Celebrans Calicem demittit, surgit, pallam Calici imponit, cum Celebrante genuflectit et accedit ad ejus sinistram, ubi iterum genuflectit et ad librum assistit. |
| | | Ad verba Celebrantis *Per quem haec omnia* genuflectit, transit ad ejus dexteram, detegit Calicem et cum Celebrante genuflectit.<br>Ante Orationem Dominicam, postquam Celebrans digitos suos super calicem exterserit, Calicem iterum cooperit et genuflectit simul cum Celebrante, a cujus dexteris permanet usque ad inceptum *Pater noster*. |
| Pater noster. | 21. Cantat *Per omnia saecula saeculorum. Oremus. Praeceptis salutaribus* etc. et *Pater noster*, in cujus fine patenam a Diacono ministratam accipit eâdemque se signat ut in Missa privata. | 21. Incepto *Pater noster* genuflectit et redit ad locum suum retro post Celebrantem, ubi non genuflectit. Ad verba Celebrantis: *Et dimitte nobis* etc. genuflectit in loco suo et ascendit ad dexteram Celebrantis, ubi non genuflectit. Patenam a Subdiacono acceptam interius exteriusque purificatorio extergit, verticaliter erectam cum parte concava versus medium altaris collocat super |

| Subdiaconus | Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi |
| --- | --- |
| | s. Speciem elevat, dum eam iterum deponit, caput profunde inclinans ante et post trinam incensationem.<br><br>Acolythus I. infra utramque elevationem campanulam pulsat, nisi per alium hoc fiat. |
| Calice deposito surgit et stat ut antea. | Elevatione absoluta omnes surgunt et deinceps stant.<br>Thuriferarius abit cum thuribulo.<br>Funalia ferentes vel Acolythi genuflexione simplici ante altare facta redeunt in sacristiam, funalia deponunt et iterum revertuntur ad altare, ante cujus gradus genuflexionem simplicem faciunt et ad loca sua se conferunt.<br><br>Caeremoniarius, postquam Diaconus a sinistra ad dexteram Celebrantis transierit, accedit per planum ad medium altaris retro post Subdiaconum, genuflectit, transit ad cornu Evangelii, accedit per gradus laterales ad sinistram Celebrantis, cui assistit ad librum usque ad *Agnus Dei* inclusive. |
| 21. Dicente Celebrante: *Et dimitte nobis* etc. genuflectit in primo gradu et ascendit ad dexteram Diaconi eique porrigit patenam adhuc velatam. Deinde velum humerale deponit, genuflectit et descendit ad locum suum in plano, ubi non genuflectit, nisi cum Celebrante. | 21. Acolythus I. ad finem *Pater noster*, facta genuflexione simplici accedit per gradus cornus Epistolae ad Subdiaconum, de cujus humeris accipit velum humerale, quod repetita genuflexione defert ad credentiam ibique plicatum deponit. |

| | Celebrans | Diaconus |
|---|---|---|
| | | purificatorium et utraque manu mediante purificatorio circa inferiorem partem hinc inde sustinet et suo tempore cum osculis consuetis Celebranti tradit, purificatorio relicto in loco suo. |
| | Cantat *Per omnia saecula* etc. et *Pax Domini* etc. Reliqua fiunt de more. | Hostia a Celebrante super patenam positâ, Calicem detegit et genuflectit cum Celebrante; particula in calicem immissa, Calicem cooperit et iterum genuflectit cum Celebrante. |
| **Agnus Dei.** | 22. Capite inclinato dicit *Agnus Dei.* Deinde mediocriter inclinatus recitat tres orationes ante Communionem, quarum prima recitata, altare osculatur, deinde convertit se absque genuflexione ad Diaconum, cui dat Pacem ritu praescripto n. 238. ad 12. Data Pace ad altare conversus orationes prosequitur ut in Missa privata. | 22. Dicit voce submissa, capite profunde inclinato, simul cum Celebrante ter *Agnus Dei*, dextera pectus percutiens ad *Miserere nobis* et *Dona nobis pacem.* Deinde in genua procumbit in suppedaneo juxta Celebrantem, quo sese inclinante ad osculandum altare, surgit et simul cum eo osculatur altare extra corporale, manibus non super altare positis, sed ante pectus junctis, et accipit Pacem a Celebrante, capitis inclinatione ante et post facta. Deinde genuflectit et descendit ad dexteram Subdiaconi, cui sine praevia inclinatione aut genuflexione dat Pacem sicut n. 92. dictum est. Inclinatione Subdiacono et genuflexione ad altare facta ascendit ad sinistram Celebrantis, cui assistit ad librum. |

| Subdiaconus | Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi |
|---|---|
| Ad *Pax Domini*, genuflectione in medio infimo gradu facta, ascendit ad sinistram Celebrantis, quocum iterum genuflectit. | Caeremoniarius dicto a Celebrante *Pax Domini* sine genuflexione paululum recedit a libro, ut locum det Subdiacono supervenienti. |
